


MENOCHII

TOTIUS SANCTÆ SCRIPTURÆ

COMMENTARII.

LUGDUNI, EX TYPIS RUSAND, REGIS TYPOGRAPHI.

MENOCHII,

E SOCIETATE JESU,

TOTIUS SANCTÆ SCRIPTURÆ

COMMENTARII

EX OPTIMIS QUIBUSQUE AUCTORIBUS

COLLECTI.

TOMUS PRIMUS.

GENESIS. EXODUS. LEVITICUS. NUMERI. DEUTERONOMIUM.
JOSUE. JUDICES. RUTH. LIBRI 1us ET 2us REGUM.





LUGDUNI,
APUD RUSAND, BIBLIO-TYPOGRAPHUM REGIS.

PARISIIS,
IN BIBLIOTHECA ECCLESIASTICA RUSAND,
Viâ vulgò dictâ Pot-de-Fer, juxta Sanctum Sulpitium.

1825.

DEO OPTIMO MAXIMO

DOMINO UNIVERSORUM

AUCTORIS PIA ET SUBMISSA OPERIS DEDICATIO.

Cui enim potiùs quàm tibi, ô Summa Mens, et bonorum omnium fons, hæc consecrentur ? aut quid æquius videri possit, quàm ut omnia bona, quæ ab oceano illo tuo affluenter in hominum genus derivantur, ad eumdem ipsum refluant? Hic divinarum litterarum apparatus, in quo illustrando qualiscumque opella mea sudavit, totus est tuus, et te verè scientiarum Deum, et præsidem æternarum veritatum agnoscit et prædicat. Tua sunt effata, oracula, præcepta, consilia, et scholæ bonitatis apertæ ad mundum instruendum. In tua luce viderunt videntes, tuo instinctu cecinêre pii vates, tuo afflatu sancti monumenta sua condiderunt : e tuo sinu prodeuntes Apostoli, principes super omnem terram constituti, et doctores universitatis, sacra monita reliquerunt : Evangelistæ tui amanuenses, religionis primordia, Servatoris heroica facinora, vitam, mortem et triumphos, œconomiam salutis, politiam christianam, te stylum et cogitationem dirigente, sempiternæ memoriæ prodidêre. Hæc omnia cùm te agnoscant ducem, auctorem, et dominum, tibi omni jure debentur, et meritissimo consecrantur. Jam verò si me video, qui

minimus sum tibi servientium, cui mea vota suspirant, et vitæ professio, quid est in hoc opere non tuum? Si quid a me excogitatum est ad arcanos tuos sensus et verba vitæ exponenda, in tenebris et obscuritate, in qua tanquam honorato velo pretiosa illa mysteria occultari voluisti, ad sacrum honorem apud homines conciliandum, tu e pharo bonitatis tuæ facem prætulisti, ut mecum omnes agnoscerent, nisi te velut manu patefaciente, ad divinos illos fontes aditum non patere, ne superba hominis intelligentia, quæ in rebus subtilibus inveniendis atque interpretandis gestit et exsultat, tribuat sibi, quod tibi uni debetur. Hos ergo mentis fœtus et laboris fructus, si dedicavero tibi, ô mundi opifex, moderator et custos, nihil non tuum adferam, nihil quod non mille et mille modis tibi debeatur. Alii ad tholos sacratissimorum tuorum templorum suspendent aurea anathemata, atque gemmea: quippe de tuo locupletes, et sub te copiosi, habent multa clara et rara quæ offerant: ego inops meritorum, et a magnis imparatus, hoc specimen industriæ defero, et piorum studiorum. Tu, ô Rex gloriæ, illumina vultum tuum super hoc opus, et consueta bonitate perfice, ut cedat ad gloriam tuam, et eorum bonum qui ad scientiam divinarum litterarum animum suum appellent; donec revelata facie, et in domo tua perfusi claritate luminis tui, pleniùs te et tua videamus. Amen.

J. STEPHANUS MENOCHIUS

SOCIETATIS JESU,

AD LECTOREM.

NEMO mihi, arbitror, jure succenseat, amice lector, si post tam multos sacrarum Litterarum interpretes, quorum maximum sanè proventum nostra hæc ætas tulit, ego etiam earumdem interpretationem aggredi non sum veritus. Hæc enim sacrorum librorum prærogativa est, ut, quemadmodum ab ipsius Ecclesiæ ortu splendidissima quæque ingenia in eis illustrandis elaborarunt; ita et nostro ævo, et iis quæ subsequentur sæculis, haud dubiè defuturi non sint, qui in illis explicandis laborem et industriam conferant. Tanta est enim, ut cum Augustino loquar, christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficere possimus, si eas solas ab ineunte pueritia, ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conaremur addiscere. Tam multa enim semper tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cùm consummaverit homo, tunc incipiet. Neque verò maximis tantùm ingeniis in sacrarum explicatione Litterarum locus est; sed quemadmodum in magnorum molitione ædificiorum, præter summos architectos, minorum etiam gentium artifices subserviunt, cœmentarii, calcarii, latomi; ita post sanctos Patres Ecclesiæ magistros, ac Doctores, Augustinum, Hieronymum et alios hujusmodi, multi semper exstiterunt, qui ingenio et facultate præsertim, si cum summis illis componantur, fortasse mediocri, non tamen mediocriter profuerunt, et qua erant cupiditate incensi de sacrarum Litterarum studiosis bene merendi, rationem aliquam excogitarunt, qua sacro huic studio cum sua æquè aliorumque utilitate operam navare possent: quorum conatus, ut

ab optima mente profectos, secundus etiam (quemadmodum ex eorum lucubrationibus, quæ passim omnium manibus teruntur, apparet) et quem ipsi optaverant eventus excepit. In horum ego numerum, qui, quantùm per alias occupationes licuit, hisce Litteris addictus fuissem, ut venire possem, ea mens incidit, ut breves in universam sacram Scripturam Vulgatæ editionis explicationes darem, quibus litteralem, quem appellant, sacri contextûs sensum, ambagibus, digressionibusque resecatis, facilè et non multi temporis impendio, quilibet assequi posset. Quod opus quanquam ab aliis tentatum est, primùm ab Emanuele Sa, deinde a Joanne Mariana, nostræ societatis hominibus, et Gulielmo etiam Estio (ut de recentioribus tantùm verba faciam), adhuc tamen a divinarum Litterarum studiosis aliquid magis absolutum desiderari sentiebam. Nam Mariana integros aliquot libros intactos reliquit: nec tam in eo, ut bene sacri codices intelligerentur elaboravit, quàm, quæ ipse notaverat ad lectionum varietatem spectantia, aut hebraici textûs cum latina editione, ac septuaginta virorum interpretatione concordiam, ad publicam utilitatem evulgavit. Estius, quod consilium ipsius fuisse profitentur qui posthumas ejus notas in Scripturam ediderunt, carptim multa delibavit, omnia persequi vel noluit, vel aliis exclusus occupationibus, non potuit. Emanuel verò Sa, licèt nullam paginæ divinæ partem interpretatus non sit, brevis tamen adeo est, ut multorum votis, qui paulò uberiorem desiderant explicationem, locum fecerit. Hanc ego, lector, aggredior voluntate sanè majori quàm facultate. Spes tamen est non ingratum fore sacrarum Litterarum candidatis conatum hunc nostrum; nam brevitatem cum perspicuitate, quantùm licuit, conciliare conati sumus, et ex optimis quibusque scriptoribus ea selegimus quæ sacri textûs sententiam plenam facerent; et nisi quid de nostro, quod ad loci faceret interpretationem haberemus, fusè ab aliis disputata in pauca, quantùm fieri potuit, contraximus; illudque universè spectavimus, ut in notationibus hisce, quamvis brevibus, nulla tamen esset iners, et cujus nullum esset operæ pretium. Hæc est, amice lector, operis hujus nostri ratio, hoc consilium. Faxit Deus ut quod ad ipsius gloriam et legentium profectum institutum est, ad finem etiam, numine bene favente, perducatur! Vale.

PROLEGOMENA

IN

SACRAM SCRIPTURAM.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus sacræ Scripturæ.

VARIIS nominibus appellari solet sacra Scriptura. Præcipua sunt *sacræ Litteræ*, *sacræ Scripturæ*, *Scriptura*, *Biblia*, *Testamentum*, *Instrumentum*. Dicuntur sacræ Litteræ tum ratione auctoris, tum argumenti; ille enim Deus est, qui est ipsa sanctitas; hoc autem pariter sacrum est et sanctum, quia idem Deus, et quæ ad illum aliqua ratione referuntur, qualia sunt ea quæ credenda proponuntur, et quæ ad sacramenta spectant, et religionem, et quæ ad mores sanctè et juxta divinæ legis præscriptum instituendos. Eadem ratio est cur *sacræ Scripturæ* dicantur, aut *sanctæ*, ut illas appellat D. Paulus ad Rom. 1. 2: *Quod ante promiserat*, inquit, *per prophetas suos in Scripturis sanctis.* Frequenter tamen sinè addito *Scriptura* tantùm dicitur, aut *Scripturæ*, ut Psal. 86. 6: *Dominus narrabit in Scripturis*, et Joan. 2. 21: *Crediderunt Scripturæ.* Appellantur etiam sacræ Scripturæ *Biblia*, quæ vox licèt cujusvis generis libros significare possit, tamen facta est quasi proprium nomen sacrorum voluminum, propter illorum excellentiam. Sicut eas appellavit S. Chrysost. homil. 9. ad Colossens. cùm ait: *Comparate vobis βιβλία medicamenta animæ*, seu, ut in græco est, κτᾶσθε βιβλία φάρμακα τῆς ψυχῆς. Sic in præfatione Ecclesiastici dicuntur, πάτρια βιβλία. Testamentum dicuntur eædem sacræ Litteræ: primò quia generatim Dei mentem ac voluntatem nobis testantur; secundò quia speciatim varia Dei cum hominibus fœdera, pactaque de terrenis, cœlestibusque bonis, de præceptorum et cæremoniarum suarum observatione, præmio ac pœna certò ac firmè patefaciunt, ac contestantur; tertiò quia speciatim item in hisce libris Deus hæreditatem legat hominibus tanquam filiis. Sic Matth. 25. 34, ubì latinè habemus, *possidete paratum vobis regnum*,

Sacræ litteræ.

Sacræ Scripturæ. Scriptura. Biblia.

Testamentum

græcè est, κληρονομήσατε, hæreditate possidete, et D. Paul. ad Coloss. 3. 24 : *A Domino*, inquit, *accipietis retributionem hæreditatis*. Tandem a Patribus Tertulliano, Hieronymo, Cassiano, et aliis *Instrumentum* appellatur sacra Scriptura, aut *divinum, sacrumve Instrumentum*, cujus nominis ratio esse potest : primò quia nos instruit juxta S. Davidis votum, cujus est illa vox in psal. 118. 27 : *Viam justificationum tuarum instrue me*, et dictum S. Pauli 2. ad Timot. 3. 15, cùm ait : *Quæ* (sacræ nimirum Litteræ) *te possunt instruere ad salutem*; secundò quia instrumenta dicuntur Scripturæ quæ in pactis, conventisque ac rebus omnibus, quas valde certas, ratas, firmasque esse oportet, authenticè docent et instruunt : in Scripturis autem maximus est et præstantissimus hic authenticæ certitudinis modus ; tertiò quia Deus utitur sacris Litteris tanquam instrumento quo nos suî cognitione et amore, salutaribusque vitæ præceptis imbuat.

Instrumentum

CAPUT II.

Quinam sint libri, ex quibus sacrorum Bibliorum volumen coaluit.

Catalogus Bibliorum juxta Judæos.

Duplex est sacrorum librorum veteris Testamenti catalogus. Judaicus alter, alter christianus. Judaicus tempore Esdræ, vel ab ipso Esdra, vel a concilio sacerdotum, cui ipse interfuit, confectus est. In isto catalogo hi libri continentur : Pentateuchus Mosis, liber Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ duo, Job, Psalterium centum quinquaginta Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Prophetæ majores quatuor, Prophetæ minores duodecim. An verò liber Esther in hoc catalogo annumeratus fuerit, inter auctores est dissensio ; alii enim affirmant, alii negant. Catalogus christianus auctoritate Innocentii primi confectus, præter libros jam enumeratos continet etiam hos : Tobiam, Judith, Esther, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, et duos libros Machabæorum. Porro omnes hi libri tam qui priore Hebræorum, quàm posteriore christianorum catalogo comprehenduntur, canonici sunt, et inter sacras Scripturas numerantur, quemadmodum definit Conc. Trid. ses. 4. statim initio, ut de aliis Conciliis nihil dicamus, aut Patribus, qui idem senserunt, et tradiderunt.

Catalogus Biblior. juxta christianos.

Catalogus librorum novi Testamenti.

Libri ad novum Testamentum spectantes his verbis ab eodem Concilio recensentur loco indicato. « Quatuor

Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem; Actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti; quatuordecim epistolæ Pauli apostoli, ad Romanos; duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses; duæ ad Thessalonicenses; duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri apostoli duæ; Joannis apostoli duæ; Jacobi apostoli una; Judæ apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli. »

CAPUT III.

An præter hos aliqui alii fuerint aliquando sacri libri, qui perierint.

Catalogus sacrorum librorum qui non exstant.

Respondeo fuisse plures qui variis sacrarum Scripturarum locis memorantur, quos Serarius in prolegomenis, c. 8. q. 14, recenset. Primus, *liber Bellorum Domini*, Num. 21. 14; secundus, *liber Justorum*, seu *liber Recti*, Josue 10. 13 et 2. Reg. 1. 18; tertius, *liber Verborum* seu Rerum gestarum *Salomonis*, 3. Reg. 11. 41; quartus, *liber Verborum regum Israel*, 3. Reg. 14. 19; quintus, *liber Verborum regum Juda*, ib. n. 29; sextus, *Samuelis libri*, 1. Paral. c. ult.; septimus, alius quidam ejusdem *Samuelis liber*, 1. Reg. 10. 25; octavus, *Nathanis*, 1. Paral. 29. 29, et 2. Paral. 9. 29; nonus, *Gad prophetæ*, ib.; decimus, *Ahiæ prophetæ*, 3. Reg 14. 18, et apertiùs 2. Paral. 9. 29, *in libris Ahiæ prophetæ*; undecimus, *Addo prophetæ*, 2. Paral. 9. 29.; duodecimus, *Jehu prophetæ*, 2. Paral. 20. 34; decimus tertius, *Chozai prophetæ*, 2. Paral. 33. 19; decimus quartus, *Salomonis tria millia Parabolarum*, 3. Reg. 4. 32; decimus quintus, *ejusdem Cantica quinque et mille*, 3. Reg. 4. 32; decimus sextus, *ejusdem Physica de plantis, jumentis, volucribus, etc.*, ib.; decimus septimus, *liber Enoch*, ut ex Judæ apostoli epistola, S. Aug. lib. de Civit. 23 colligit. et l. 18. c. 18, aliique; decimus octavus, *Epistola Eliæ prophetæ*, quam ad regem Israelis misit, 2. Par. 21. 12; decimus nonus, *Jeremiæ Descriptiones*, 2. Mach. 2. 1; vigesimus, *Joannis Hircani liber Dierum*, 1. Mach. ult. n. 24.

An omnes numerati libri fuerint canonici. Quomodo perierint.

Notandum probabiliter dici posse, si non omnes enumeratos, certè aliquos fuisse canonicos, et auctoritatis divinæ, ac eos præsertim, qui non simpliciter citantur, sed cum elogio, et titulo prophetæ. Vide Serar. in proleg. c. 8. q. 14, et Bonfrer. in præloquiis ad Scripturam, c. 6. sect. 3. 4 et 5. Qua verò ratione hi libri perierint non facilè possumus divinare. Videntur tamen

intercidisse, primò eorum qui eos custodiebant negligentiâ, quo modo parùm abfuit quin ipse liber Legis Mosis, hoc est, Deuteronomium periret, quod sub Josia inventum narratur, 4. Reg. 22. 8; secundò aliquorum impietate et malitiâ, quo modo Joachim Jeremiæ prophetæ librum scapello scidit, et in ignem projecit, ut habemus Jerem. c. 36. n. 23; tertiò divina voluntate, ob peccata Judæorum, quemadmodum tabulas legis digito suo scriptas, a Mose confringi voluit, Exod. 32. 16.

An Esdras restituerit libros Scripturæ qui perierant.

Non est hoc loco prætereunda antiquorum opinio, qui tradiderunt divinos omnes libros captâ Jerusalem a Nabuchodonosor, temploque incenso periisse; soluta verò captivitate eosdem ab Esdra ex memoria fuisse restitutos. Ita veteres aliquot patres tradiderunt. Sed hanc opinionem rejiciunt recentiores, qui aiunt Esdram libros sacros in meliorem tantùm ordinem redegisse, a mendis expurgasse, et characterem mutasse, ne cum Samaritanis conveniret; non verò penitus Biblia restituisse. Vide Perer. Præfat. in Gen. Bellarm. Controv. tom. 1. l. 20. c. 1. Bonfrer. in Præloquiis, c. 6. sect. 8. Serar. Proleg. c. 22. q. 1.

CAPUT IV.

Quisnam sit sacræ Scripturæ auctor primarius, quisnam instrumentarius.

Scripturæ auctor Deus.

Primarius sacrorum librorum auctor est ipse Deus, cujus instrumenta fuerunt homines, quorum opera et manu dignata est uti princeps illa causa Deus. Itaque S. Paulus, 2. ad Tim. 3. 16. Scripturam *divinitus inspiratam* appellat, et D. Petrus, ep. 2. c. 1. 21: *Non voluntate*, inquit, *allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati* (φερόμενοι) *locuti sunt sancti Dei homines*, et rursus S. Paulus ad Hebr. 1. 1: *Multifariam*, inquit, *multisque modis locutus est Deus olim per prophetas*, qui amanuenses quidam Dei fuerunt, intelligentes tamen quæ illis suggerebat Spiritus, et quæ dictabat excipientes, nimirum *calami scribæ velociter scribentis*. Psal. 44. 2.

Etiam minuta et humilia quæ in Scripturis habentur a Deo sunt auctore.

Itaque non audiendi hæretici Anomæi qui, ut tradit Epiphanius hæresi 67, contendebant, ab auctoribus Bibliorum interdum nonnulla scripta fuisse secundum hominem, in quibus aut memoria laberentur, aut minùs certa scriberent. Nec etiam illi audiendi, qui sacros hosce auctores vera quidem semper scripsisse dixerunt, nonnulla tamen in his esse, quæ Spiritûs sancti majestate et peculiari illa directione digna non sint, ut, v. g.,

quod dicitur 2. ad Timoth. 4. 13, de penula relicta Troade, aut de cane Tobiæ caudam movente. Tob. c. 11. 9. Alioqui si vel minimum aliquid sit in Scriptura, quod sinè directione illa scriptum sit, jam etiam de aliis dubitare poterimus, sicque *tota Scripturarum vacillaret auctoritas, ideoque et fides nostra*, ut ait D. August. 1. de Doctrina christiana 2. 27. Nec tamen quæ videntur minutiora, suà carent utilitate, si cum majoribus conjungantur; ac proinde nec divina majestate indigna censeri debent. Vide Serar. in Proleg. c. 4. Bonfr. in Præloq. c. 8.

CAPUT V.

Quisnam sacrorum Bibliorum finis.

Finis remotus. Propinquus generalis. Propinquus particularis.

Finis remotus est divina gloria, et nostra felicitas. *Hæc*, inquit S. Joan. c. 20. 31, *scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis*. Finis propinquus, sed generalis est partim Dei cognitio potissimùm supernaturalis, partim verò et præcipuè ejusdem amor, et amor proximi. Finis verò particularis, qui ad generalem conducit, varius est, et ab Apostolo ad quatuor quasi capita revocatur, hoc est, ad doctrinam, redargutionem, correctionem, et eruditionem, cùm ait 2. ad Tim. 3. 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Pertinent autem priora duo ad dogmata, cùm et vera docentur, et falsa redarguuntur; posteriora verò duo ad mores, quorum qui pravi sunt corriguntur, qui boni, ac recti traduntur. Vide Serar. c. 5. Proleg.

CAPUT VI.

De sacrarum Scripturarum veritate et auctoritate.

Biblia verissima.

Quæcumque sacris Bibliis continentur, verissima sunt, quia ejus verbum sunt, qui est summa veritas, quique mentiri nequit. *Non enim est Deus quasi homo, ut mentiatur*, Num. 23. 19; *et Deus verax est, omnis autem homo mendax*. Rom. 3. 4.

Auctoritatem unde habeant.

Eadem verò Biblia libri authentici vocantur, quòd ab Ecclesia sacrorum et divinorum librorum auctoritatem habeant: id enim authenticum dicitur quod auctoritatem habet. Porro licèt Scripturæ sacræ libri hoc ipso quòd scripti sunt, et a Spiritu sancto dictati, in se sint au-

thentici, utpote qui ab ipso Deo auctoritatem divinorum librorum habeant; quia tamen illa auctoritas, ut pote nobis ignota, non sufficit, ut a nobis pro talibus recipiantur, nisi accedet Ecclesiæ auctoritas : idcirco non dicuntur simpliciter, quoad nos authentici, nisi hæc auctoritas accesserit. Ita Bonfrer. c. 3. sect. 3.

CAPUT VII.

Quid sit librum aliquem esse canonicum vel apocryphum.

Canonici libri qui.

Libri canonici illi dicuntur, qui in canonem sive catalogum sacrorum librorum aliquando relati sunt. Itaque hoc differt liber canonicus ab authentico, quòd omnis canonicus etiam authenticus est, nulli enim libri in catalogum divinorum Bibliorum inscribuntur, qui authentici non sint. Libri verò authentici non hoc ipso quòd authentici, etiam canonici sunt; nam etiamsi nullus texeretur illorum catalogus, non tamen propterea authentici non essent.

Apocryphi libri qui.

Libri apocryphi illi dicuntur, qui vel omnino rejiciuntur ut falsi, vel non sunt admissi, ut divinam auctoritatem habentes. Dicuntur apocryphi, hoc est, occulti, absconditi, quòd non producerentur, nec in Ecclesia legerentur. Ex secundi generis apocryphis, quos Ecclesia non rejicit positivè tanquam errores continentes, sed tantùm non admisit, judicium de illis suspendendo, donec certius constet an in canonem inscribendi sint, fieri potest ut aliqui in catalogum recipiantur, ut de aliquibus, qui priùs tales fuerant, factum est. Hinc orta illa distinctio in libros protocanonicos, et deuterocanonicos. Protocanonici illi dicuntur, de quorum auctoritate nunquam dubitatum est. Deuterocanonici, de quibus aliqua fuit aliquando controversia. Hi verò sunt liber Esther totus, vel certè septem ejus postrema capita; Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Machabæorum libri, epistola ad Hebræos, epistola Jacobi, epistola Judæ, epistola Petri secunda, Joannis epistola secunda et tertia, et Apocalypsis. Addi eis debent partes quorumdam librorum, ut in Daniele trium puerorum hymnus, cum oratione Azariæ antecedenti, Susannæ historia, Belis et draconis a Daniele interfecti narratio, Marci caput ultimum et Lucæ 22 de Christi sudore sanguineo, Angelique apparitione, et consolatione historia, et Joannis Evangelii c. 8 de adulteræ

Libri protocanonici. Libri deuterocanonici.

historia. Licèt autem de hisce libris dubitare licuerit olim ante definitionem Ecclesiæ, jam per Conciliorum decreta omnis exclusa est dubitatio, et omnes libri tam proto, quam deuterocanonici ejusdem auctoritatis censendi sunt. Vide Serar. in Proleg. c. 7 et 8. Bonfrer. 3.

CAPUT VIII.

De stylo sacræ Scripturæ, an scilicet sit eloquens, an simplex, an rusticus.

Scripturæ stylus eloquens est.

Huic quæstioni respondent S. August. l. 4 de Doctrina christiana c. 8, Ribera præfatione in Nahum prophetam, Serar. in Proleg. c. 22, Bonfrer. in Præloq. c. 10. Summa responsionis est eloquentem esse, quia quæ in illa continentur aptè scripta sunt ad eum finem quem sibi Spiritus sanctus et scriptores sacri præfixerunt, consideratis circumstantiis locorum, temporis, personarum, quibus ista scribebantur, decorum in omnibus servando. Cùm enim eloquentia pars sit sapientiæ, neque possint viri sapientes non bene, propriè et aptè dicere, sequitur scriptores sacros, qui procul dubio sapientissimi fuerunt, fuisse etiam valde eloquentes. « Audeo dicere, inquit S. August. loco citato, omnes qui » rectè intelligunt quod illi loquuntur, simul intelligere » non eos aliter loqui debuisse. Sicut enim quædam » est eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, » quàm senilem; nec jam dicenda est eloquentia, si personæ » non congruat loquentis : ita est quædam, quæ » viros summa auctoritate dignissimos, planèque divinos » decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, » nec alios ipsa : ipsis enim congruit, aliis autem quantò » videtur humilior, tantò altiùs non ventositate, sed » soliditate transcendit. Ubi verò non eos intelligo, » minùs quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed » eam tamen non dubito esse talem, qualis est ubi ego » intelligo. » Hæc August. vide Riber. loco cit.

An ubique æque elegans.

Quòd si Scriptura non semper et ubique eumdem servat eloquentiæ tenorem, ideo fit, vel quia Spiritus sanctus sacro scriptori, historico, v. g., assistens ne erret, ipsi permittit ut dictionem formet; vel quia, si dicamus singula verba dictare, in verbis tamen suggerendis sese scriptorum ingenio et modo attemperat, ac proinde aliqua inter eos styli existit inæqualitas. Sic Isaias cultus esse dicitur et politus; Jeremias rusticior; Ezechiel ex utroque mediè temperatus.

An Vulgata editio latina rudis sit.

Nostram Vulgatam editionem latinam ut olim ethnici, ita nunc hæretici incultam, impolitam, barbaram criminantur. Sed hac simplicitate nec S. Hieronymus vir doctissimus, et trium linguarum peritissimus offensus est, qui cùm novum Testamentum recognosceret, sublatis erroribus qui irrepserant, quæ a græco fonte discrepabant, et sensum corrumpebant, correxit, reliqua reliquit intacta, ut ipse testatur Præfatione in quatuor Evangelia ad Damasum. Et sanè cum rudi sermone stare potest eloquentia, cùm nihil prohibeat, quominus ii etiam eloquentes sint, qui lingua vernacula loquuntur in iis urbibus, in quibus aut pronuntiatio, aut voces et phrases a puro linguæ regionis illius sapore desciscunt. Adde multas Scripturæ voces ab aliquibus barbaras censeri, quæ tamen latinæ sunt, et a bonis auctoribus usurpatæ, quod egregiè ostendit Gretserus noster in defensione controversiarum Bellarmini tom. 1. l. 2, c. 14, ubì de solœcismis et barbarismis, qui vulgato interpreti tribuuntur.

CAPUT IX.

Quo idiomate primùm conscripti sint libri canonici.

Quo idiomate scripti sint libri veteris Testamenti.

Triplicem linguam (præter græcam) hoc loco distinguere possumus. Puram hebraicam, puram chaldaicam, et ex utraque mixtam, quam syriacam vocant. Judæi ante captivitatem babylonicam usi sunt lingua purè hebraica. Tempore captivitatis cœperunt loqui chaldaicè, non quidem perfectè, sed partim chaldaicè, partim hebraicè. Hinc orta est tertia lingua, qua Judæi post captivitatem babylonicam usi sunt usque ad Christum, et deinceps; et hæc tertia vocabatur vel syriaca, ut dixi, vel hebraica, latè sumendo nomen linguæ hebraicæ. Omnes ergo libri veteris Testamenti, qui habentur in canone Hebræorum, quem supra habes, c. 2, scripti sunt lingua purè hebraica : nisi quod in libro Esdræ, et Danielis quædam partes sermone chaldaico annexæ sunt. De aliis libris qui sunt extra canonem Judæorum, sic sentiendum est. Liber Esther scriptus est purè hebraicè; libri Tobiæ et Judith purè chaldaicè, liber Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch et duo Machabæorum exstant græcè. An autem aliqui ex illis primò syriacè scripti sint, dubium est. Vide Serar. in Proleg. c. 3. q. 2 ; Bellarm. l. 2. de Verbo Dei c. 4; Bonfrer. in Præloq. c. 12.

Quod ad novum Testamentum spectat, convenit inter omnes illud lingua græca ferè scriptum esse. Dixi *ferè*, nam de Evangelio Matthæi et Marci, et de Epistolis ad Hebræos et Romanos controversia est. Et quidem de Evangelio Matthæi communis opinio docet scriptum esse hebraicè, quod sentit etiam D. Hieron. lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, et illâ probat conjecturâ, quòd Matthæus veteris Testamenti loca non juxta LXX græcam interpretationem citet, ut alii faciunt evangelistæ, sed juxta hebraicum textum. Evangelium Marci creditur ab eo Romæ latinè conscriptum, quod tamen certissimum non est, cùm Romani græcæ linguæ studiosi essent, ut nunc plerique latinæ. Addunt non pauci ab eodem ipso Marco in latinum idioma conversum. Epistola ad Hebræos eorum idiomate scripta videtur, sic enim facilior illis ad intelligendum esset, et clarior. Postea græcè reddita vel a S. Luca, vel a Clemente romano, quorum stylum disertum sapere videtur, ipsumque græcum autographum a Paulo lectum, et probatum. Epistolam ad Romanos quidam censent scriptam latinè, ut pote quæ ad Romanos scriberetur. Attamen probabilior opinio censet græcè scriptam fuisse: suadent frequentes idiotismi græcanici, quibus abundat. Vide plura apud Bonfrer. c. 12. citato.

Quo idiomate scriptum fuerit novum Testamentum

CAPUT X.

An hebraicus sacræ Scripturæ textus, qui nunc exstat, sincerus sit et incorruptus.

Respondeo dubium non esse quin in textu hebræo (quod in omnibus scripturis usu venit aut calamo exaratis, aut typis impressis) menda per incuriam aliquando irrepserint, præsertim cùm in hujus linguæ alphabeto aliquæ litteræ sint inter se multùm similes, beth scilicet et caph; ghimel, et nun; daleth, et resc; he, et cheth; vau, et zain; thet, et mem finale; hain, et tsade, vau et nun finale; samec, et mem finale. Adde exiguam hujus linguæ peritiam, quæ describentibus facilè ansam errandi præbere potuit, præsertim si quis ex alterius ore quæ dictantur, calamo excipiat.

Menda per incuriam irrepserunt

Præter hæc autem menda, quibus sacer textus datâ operâ corruptus non est, alia in eo reperiuntur, quæ Hebræorum vitio sunt illi adspersa ad obscurandam in eo eminentem de Christi adventu veritatem, quod post S. Hieronymi tempora factum censet Bonfrer. in Præloq.

Judæorum etiam malitia

ad Scripturam c. 13. sect. 3; ante tamen quàm hebraico textui puncta ab ipsis inventa appingerint Masorethæ, qui centum, aut paulò plùs annis post S. Hieronymum fuerunt. Porro locorum aliquot depravatio ex D. Hieron. et ex LXX virorum interpretatione, ex Aquilæ, Symachi, et Theodotionis fragmentis, et ex paraphraste chaldæo deprehenditur. Vide Salmeronem, prolegomeno quarto, ubi latè de corrupto textu hebraico disserit, et nonnulla affert loca a Judæis depravata, quod etiam facit Bonfrer. c. 13. ses. 4. Vide etiam Serar. Proleg. c. 12. q. 2. Exceptis verò locis quæ christianæ religionis odio Hebræi corruperunt, in reliquis incorruptis servandis diligentes admodum, et minuti etiam fuerunt; nam ut notat Serar. loco cit. eorum rabbini singulorum librorum versus omnes, singulorum versuum vocabula omnia, singulorum vocabulorum litteras omnes dinumerarunt, annotarunt, et ad posteros transmiserunt. Itaque eò etiam descenderunt, ut quoties unaquæque littera in sacris libris ab ipsis receptis repeteretur, annotarent, et summam inirent, v. g., aleph esse 24377; beth, 38218; ghimel, 29937, et sic de reliquis. Ex quo fit textum hebraicum versioni nostræ magnam lucem afferre posse, et linguæ sanctæ cognitionem magno esse adjumento Bibliorum interpretibus, ut verum illius sensum assequi possint, quod tamen eâ reverentiâ faciendum est, ut non conemur ex hebraico textu latinam nostram versionem temerè emendare, aut damnare; hoc enim esset minùs Ecclesiæ catholicæ diligentiæ fidere, quàm rabbinis Hebræorum, qui ut diligentes fuerint, non tamen publica auctoritate, vel ea Spiritus sancti ope, qua id fecit Ecclesia, ab ipsis præstari potuit.

CAPUT XI.

De septuaginta virorum græca versione.

Quæ occasio versionis LXX.

Ptolemæus Philadelphus, rex Ægypti, librorum studiosissimus, cùm locupletissimam bibliothecam Alexandriæ construxisset, Judæorum etiam sacros libros habere optavit. Itaque ab Eleazaro pontifice septuaginta duos viros impetravit, senos ex qualibet tribu, qui non solam legem mosaicam, ut ait S. Hieronymus in Traditionibus hebraicis, et alibi, sed omnes libros veteris Testamenti in linguam græcam transtulerunt, quæ est sententia S. August. l. 18. de Civ. c. 42, et alibi, Irenæi, Clementis, Epiphanii, et aliorum, quorum sen-

tentiam Bellarminus sequitur l. 2 de Verbo Dei, c. 6 et alii, et probatur, quia Ptolemæum colligendorum librorum admodum studiosum alios Hebræorum libros neglexisse non est probabile; deinde quia apostoli testimonia citant juxta græcam translationem, quæ illo tempore non alia fuit quam LXX; tandem quia miraculo adscribitur quòd suam interpretationem septuaginta duorum dierum spatio absolverint; at nullum esset miraculum si nihil aliud vertissent quàm legem Mosis.

Quoad modum hujus versionis multi Patres et alii auctores admodum graves et docti tradunt singulos in diversis cellulis suam interpretationem elaborasse, in qua omnes planè ad verbum consentientes divino miraculo reperti sint. Vide Salmeron. Proleg. 5. Serar. Proleg. 17. q. c. 10, Bonfrer. in Præloq. c. 16. sect. 3, qui hanc sententiam probabiliorem existimat. Quomodo facta hæc versio.

Ex his sequitur magnam esse debere versionis hujus auctoritatem, si incorrupta ad nos pervenisset, de quo mox dicam. Nam non tam interpretes fuerunt, quàm, ut loquitur Philo, καθάπερ ἐνθουσιῶντες προεφήτευον, *tanquam divino Spiritu afflati prophetarunt*, eosque non interpretes, sed ἱεροφάντας, et προφήτας, appellare non dubitat. Accedit quòd apostoli et evangelistæ in citandis Scripturæ testimoniis ea usi sunt, et Ecclesia græca semper, universalis verò catholica totis 600 annis pro authentica vulgata illam adhibuit, et multi Patres antiquiores eamdem commentariis suis illustrarunt. Quantæ auctoritatis.

Porro corruptam esse multis locis hanc LXX interpretationem D. Hier. præfatione in lib. Par. affirmat his verbis: « Si LXX interpretum pura, et ut ab eis in græcum » versa est, editio permaneret, superfluè me impelleres, » ut hebræa tibi volumina latino sermone transferrem. » Nunc verò cùm pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa, antiquaque transla- » tio corrupta sit, atque violata, etc. » Verum autem esse quod ait D. Hier. confirmari potest ex D. Justino, qui Dialogo cum Triphone judæo affirmat multis locis ab ipsis Judæis depravatam fuisse, et ex eo quòd cùm tradat Aristæus hanc interpretationem in omnibus cum hebræo consensisse, jam non solùm discordat in multis, sed multa habet quæ non sunt in hebræo, quemadmodum vicissim non pauca hebræus habet, quæ in illa non reperiuntur. An modo sit corrupta.

Quanquam verò, ut dixi, mendosa nunc sit LXX virorum interpretatio, tamen post editionem nostram vulgatam præ aliis omnibus maximæ est auctoritatis; Quanti jam fieri debeat.

nam olim authentica fuit expresso vel tacito Ecclesiæ decreto, nec unquam improbata, aut rejecta, quanquam ob eam causam, quæ D. Hieron. movit ut novam interpretationem moliretur, relicta sit. Imò si pura inveniretur, nec rejici posset, cùm sacra aliqua Scriptura eadem immutata permanens, modo admitti ut canonica, modo repudiari non possit.

Quomodo dicatur hæc interpretatio cum hebræo consensisse.

Tandem quia in locis etiam illis, quæ constat non esse corrupta, qualia ea sunt quæ ab apostolis, aut in Evangelio citantur, LXX interpretum versio diversa aliquandò videtur a textu hebræo, dicendum est vel non dissentire, licèt ita prima fronte videtur, vel LXX subinde paraphrastas egisse, sententiâ tamen retentâ; vel hebræas voces plures habere significationes, ita ut varietati occasionem præbeant; vèl tandem etiamsi diversum sonet editio LXX, nihilominus esse authenticam, quia nihil habet contrarium ei quod habetur in fonte, idemque ipsum voluit addi, demi, mutari per hôs interpretes, qui Scripturæ auctor est Deus. Vide plura Bonfr. in Præloq. c. 16. sect. 5 et 6.

CAPUT XII.

De aliis græcis ex hebræo versionibus.

Quænam sint aliæ græcæ Biblior. versiones.

Præter LXX virorum interpretationem aliæ fuerunt ex hebræo in græcum translationes, nimirum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, duæque aliæ incertis auctoribus, quæ quintæ et sextæ editionis nomine citari solent. Aquila ita textui hebraico adhæsit, ut verbum verbo reddere sit conatus; Symmachus sensum sensu, Theodotion mediam viam inter utrumque extremum ingressus est.

Quæ auctoritas illarum.

Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis exigua vel potiùs nulla auctoritas est in iis quæ ad Christum spectant, et christianam religionem. Nam Aquila ex gentili christianus, et ex christiano judæus factus in odium christianæ religionis, quam reliquerat, quæ de Christo sunt de industria corrupit, aut obscuravit. Nec melior fides Symmachi samaritani, nimirum hominis qui e samaritano judæus, iterumque circumcisus, tum ex judæo christianus, tandem ex catholico hæreticus ebionita factus est. Theodotion reliquis duobus scelere pejor post suscepta christiana sacra, Tatiani, Marcionis, Ebionisque hæreses amplexatus est, tandemque proselytus factus, transiit ad judæos. Itaque meritò S. Hier. in c. 3 Habacuc, Aquilam, Symmachum et Theodotionem

Theodotionem semichristianos appellat. Porro in iis, quæ ad christianam religionem non spectant, non parva illorum est auctoritas tum apud cæteros, tum apud Origenem et Hieronymum, quorum versionibus et in sacris Litteris interpretandis, et in adornanda sua latina editione dubio procul adjutus est, nec ipse diffitetur, aut dissimulat. Ex tribus verò memoratis interpretibus cæteris prælatus videtur Theodotion, quòd medium illum, qui optimus est, interpretandi modum sit secutus; et Ecclesiæ etiam testimonio, quæ olim totum Danielem ex Theodotionis versione legebat, et etiamnum duo postrema capita, cum hymno trium puerorum, et oratione antecedente c. 2 legit. Quinta et sexta editio non damnantur ab antiquis, ut parum fideles, minùsve sinceræ; imò Athanasius in Synopsi quintam, Hieronymus non uno loco utramque laudat. Nunc harum omnium versionum fragmenta reliqua sunt, integræ versiones perierunt.

Tandem notandum est Lucianum martyrem et Hesychium non novas edidisse versiones, sed emendasse eam quæ erat LXX virorum. Luciani emendationem Constantinopolis et Græcia; Hesychii Ægyptus amplexa est. Vide Ser. c. 16. Bonfrer. cap. 17. De editionibus Luciani et Hesychii.

CAPUT XIII.

De Origenis tetraplis, hexaplis, octaplis.

Ex superioribus editionibus, quas memoravimus, Origenis tetrapla, hexapla et octapla coaluerunt, in eadem pagina quatuor vel pluribus interpretationibus per columellas descriptis, et inter sese compositis, ut in quo discreparent, aut convenirent, facili comparatione agnosci posset. Similis industria adhibita est superiori sæculo in editione Bibliorum regiorum, in quibus hebraicus textus, græcus, chaldæusque eodem modo, et ad eumdem usum et finem dispositus est. Addiderat Origenes ad textum obeliscos et asteriscos, quibus, quæ deessent, aut redundarent notata, faciliùs a legentibus internosci possent. Tetrapla dicuntur quæ quatuor, hexapla quæ sex, octapla quæ octo interpretationes complectuntur. Horum tetraplorum etc., non infrequens mentio apud veteres, ac præsertim apud S. Hieronymum, ideoque, ut quid fuerint percipiatur, non inutiliter explicata sunt. Vide Bonfr. c. 16. sect. 9. Quid fuerint, et in quem usum concinnata.

CAPUT XIV.

De græco textu Testamenti novi.

Corruptus est aliquibus in locis.

IDEM dicendum est de græco textu Testamenti novi, quod de hebraico et græco veteris dictum est, scilicet corruptum esse alicubi sive librariorum et typographorum negligentia et incuria, sive malitia et perfidia hæreticorum. Serar. in Proleg. c. 13. et Bonfrer. in Præloq. c. 14, aliqua loca proferunt corrupta, quæ apud ipsos vide. Nobis satis est scire menda in textum illum irrepsisse, ac proinde potiùs ex latino græcum textum, quàm ex græco latinum emendandum esse. Quanquam non negaverim, posse ex græco Vulgatæ editionis latinæ textum emendari, si aliunde suppetant argumenta quibus evincatur, aut latinam editionem esse corruptam, aut græcam incorruptam. Est etiam, ut omnium bonorum interpretum usus docet, usui græcus contextus ad ambiguitates tollendas, et locorum multorum vim meliùs assequendam, cùm nimirum latinæ linguæ inopia græcæ fecunditatem ac energiam æquare non potuit. Vide exempla apud Canum. de Locis theologicis, cap. 16.

CAPUT XV.

De Paraphrasi chaldæa.

In quos libros exstet Chaldæa paraphrasis.

CHALDÆA lingua editi sunt libri Tobiæ et Judith, et ex parte libri Esdræ et Danielis. Præterea in omnes libros veteris Testamenti, qui Judæorum canone continentur, exstat chaldaicum Thargum, ut vocant, quæ vox interpretationem, sive paraphrasim significat, exceptis tamen libris Paralipomenon, Esdræ et Danielis.

Quinam illius auctores.

Hujus paraphrasis auctores tres nominantur: Onchelos, Jonathan, et Joseph cæcus. Vox ista Onchelos Aquilam significat; atque ideo putant aliqui hunc eumdem illum Aquilam esse, qui ex hebræo in græcum sacros libros convertit. Paraphrasis Oncheli, sive Aquilæ est tantùm in Pentateuchum. Jonathan significat *donum Dei*, ut etiam vox græca *Theodotion*, quare non desunt qui hujus partis Thargum auctorem faciunt Theodotionem græcæ editionis, de qua supra diximus, auctorem. Jonathæ paraphrasis exstat in libros Josue, Judicum, Regum, et Prophetas omnes. Rabbi Joseph cæci (quem aliqui dubitant fueritne Didimus ille cæcus, quem laudat

S. Hier. et *videntem* suum vocat in prooemio epistolæ ad Galatas) est paraphrasis in Job, Ruth, Esther, et in libros Salomonis.

Utiles sunt hæ paraphrases ad convincendos Judæos, a quibus magni fiunt, ad explicationem etiam sacri textûs, ejusque sententiam meliùs assequendam. Paraphrasis chaldæa, exceptâ illâ quæ est in Pentateuchum, thalmudistarum fabulis conspersa est, nec planè incorrupta Oncheli in Pentateuchum, ut allatis aliquot exemplis ex singulis Pentateuchi libris probat Bellarminus tom. 1. Controv. l. 2. de Verbo Dei c. 3. Vide Serar. in Proleg. c. 14. Bonfrer. in Præloquiis, c. 19. sect. 1. Quæ Paraphrasis hujus utilitas.

CAPUT XVI.

De Syriaca novi Testamenti versione.

Exstat in bibliis regiis totius novi Testamenti syriaca interpretatio præter epistolam secundam Petri; secundam et tertiam Joannis, epistolam Judæ et Apocalypsim. Serar. in Proleg. c. 15. q. 1, ait a maronitis Romam, quæ deerant, esse delata. In quos libros exstet.

Versionis hujus auctor a Syris putatur S. Marcus evangelista, quod tamen Bellar. l. 2 de Verbo Dei c. 4, et Serar. loco. cit. q. 2, non probant, et certum est saltem quoad evangelium S. Joannis, et Apocalypsim, qui libri post S. Marci obitum scripti sunt. Quis auctor.

Hujus editionis duplex est utilitas. Altera communis, quòd scilicet in multis nostram editionem Vulgatam firmat, stabilit, eique lucem affert, quod versionum collatio facere solet. Altera utilitas peculiaris est contra hæreticos nostri temporis, quia adjunctos habet titulos, et inscriptiones varias, quibus significatur quid ex novo Testamento legi soleret in hujus, aut illius sancti festo die, in veneratione sanctæ Crucis, in quadragesima, in jejuniis aliis, in Commemoratione fidelium defunctorum etc., ex quibus Ecclesiæ ritus stabiliuntur, et consensio ostenditur cum romana Ecclesia. Quæ utilitas.

Hujus versionis non est tanta auctoritas, quanta latinæ nostræ editionis, imò nec quanta græci textûs, nam sunt in ea nævi quidam, qui meritò viris doctis displicent. Vide Serar. in Prolegom. toto c. 15. et Bonfrer. in Præloq. c. 19. sect. 2. Bellarm. loco citato. Quæ auctoritas.

CAPUT XVII.

De auctore Vulgatæ nostræ editionis latinæ.

Quæ sit vulgata editio.

Cum loquimur de Vulgata editione latina, sermo est de ea quæ nunc in manibus omnium versatur, et a Conc. Trid. et passim *Vulgata editio* appellatur. Nam fuerunt quidem aliæ latinæ editiones ante D. Hieron. ac præsertim illa, cujus cum laude meminit S. Aug. l. 2 de Doctrina christiana, c. 15. et *Italam* vocat. *In ipsis*, inquit, *interpretationibus Itala cæteris præfertur. Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sermonis.* Verùm cùm D. Hieron. novam suam ex hebræo versionem edidit, hæc paulatim Doctorum et Patrum consensione tacita admissa est, priore illa relicta, quæ priùs Ecclesiæ usu passim terebatur.

Quis auctor Vulgatæ editionis veteris Testamenti.

Hujus porro Vulgatæ nostræ editionis quoad vetus Testamentum auctor S. Hieronymus, qui illud totum ex hebræo in latinum transtulit, excepto libro Sapientiæ, Ecclesiastico, Machabæis, et Baruch, et Epistola Jeremiæ. Et quidem quòd ipse verterit ex hebræo vetus Testamentum præter alios, qui id affirmant, ipsemet profitetur in fine libri de ecclesiasticis Scriptoribus: *Novum*, inquit, *Testamentum græcæ fidei reddidi: vetus juxta hebraicum transtuli:* cui consentit D. Aug. l. 18 de Civitate Dei, c. 43: *Non defuit*, inquit, *temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, et omnium trium linguarum peritus, qui non ex græco, sed ex hebræo in latinum eloquium easdem Scripturas converterit.*

Quòd verò illos libros, quos excepimus, non converterit, ex eo probatur, quia nunquam a se hos libros conversos memorat ipse S. Hieronym. cùm tamen hoc in aliis libris facere consueverit; 2. quia phrases ac verba, quæ in his libris habet Vulgata nostra versio, inveniuntur eadem in Patribus D. Hieronymo vetustioribus, v. g., in S. Cypriano. Credibile autem est hos non vertisse, quia vel canonicos non putavit, ut Ecclesiasticum, vel hebraicos non invenit, ut Sapientiam, ut significat Præfatione in Proverbia; nam Baruch a se ideo prætermissum disertè narrat ipsemet in Præfatione in Hieremiam. Vide plura apud Serar. in Proleg. c. 19. q. 1, 2, 3 et 4.

Psalterii versionis quis auctor.

Notandum autem est Hieronymum etiam Psalterium ex hebræo in latinum convertisse, quod etiamnum exstat inter opera D. Hieron.; sed hanc Hieronymi versionem Ecclesia non recepit, ea fortasse de causa, quia

cùm in ecclesiis quotidie Psalmi juxta LXX canerentur, iisque fidelium aures assuevissent, durum ac propemódum violentum fuisset Hieronymianam versionem inducere. Retenta ergo est antiqua ab ipso tamen D. Hieronymo, et priùs a Luciano martyre emendata. De quo vide D. Hieron. Epist. ad Suniam et Fretellam. Vide Serar. loco cit. q. 3, et Bonfrer. in Præloquiis c. 15. sect. 1 et 2.

Quis latinæ Testamenti novi.

Quod attinet ad novi Testamenti interpretationem, auctor illius ignoratur. S. Marcus, ut supra dictum est, Evangelium suum latinè scripsisse creditur. Cæterum, licèt interpres ignoretur, non dubium tamen eam interpretationem factam statim initio Ecclesiæ, planèque verisimile est ab apostolis visam et probatam. Hanc a mendis, quæ vel per imprudentiam irrepserant, vel ab aliquibus temerè inserta erant, Damasi pontificis auctoritate D. Hieronymus emendavit. Vide Bonfrer. cap. 15. sect. 2.

CAPUT XVIII.

De Vulgatæ latinæ editionis auctoritate.

Magna hujus editionis auctoritas, et cu

Vulgatæ nostræ editionis auctoritas apud catholicos summa esse debet, et reipsa est. Primò quia antiqua, et multorum sæculorum usu in Ecclesia usurpata; 2. quia D. Hier. illius auctor, ut linguarum peritissimus peritè, ut sanctissimus fideliter et diligenter interpretatus, et divino auxilio ad opus bene perficiendum peculiariter adjutus est; 3. propter Conc. Trid. dec. sess. 4. quod est hujusmodi : « Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat : statuit et declarat ut hæc ipsa vetus, et Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. » Ita Concil.

Quid sit editionem Vulgatam esse authenticam.

Cùm verò nostra versio a Concilio dicitur authentica, significatur absolutè et simpliciter esse fidelem et sinceram; nihil continere quod fidei repugnet aut bonis moribus, nihil in ea esse quod apertè falsitatis, vel contradictionis alicujus possit revinci, etiamsi ad fidem,

vel mores nihil pertineat, et omnibus aliis latinis interpretationibus anteponendam. Et quanquam ipsis fontibus hebræis et græcis non anteponatur (quia Concilium nullam comparationem facit), nec si puri sint, anteponi possit : tamen de facto, ut nunc res se habent, pluris illis a nobis facienda est ; rivus enim purus et minimè turbatus fonti turbato et impuro prudenter anteponi potest et debet.

An melior fieri possit.

Nihil tamen contra Concilii mentem ageret, qui non temerè , sed solidis ductus rationibus diceret aliquid meliùs verti potuisse, vel clariùs, cùm et ipse Hieronymus nonnulla in sua versione emendarit, fassusque sit rectiùs aliter potuisse. Vide Serar. in Proleg. c. 19. q. 13, et Bonfrer. in Præloquiis, c. 15. sect. 3.

CAPUT XIX.

De sacræ Scripturæ obscuritate.

Sacram Scripturam obscuram esse. Unde hæc obscuritas.

Negant hæretici sacram Scripturam obscuram esse , et intellectu difficilem, sed negant quod experientia evidenter docet, quod apertè colligitur ex tam multis in sacra Biblia commentariis , quæ quotidie prodeunt ; quodque communi consensu Patres docent. Vide Salmeron. latè de hoc disputantem Prolegom. 2, Serar. in Prolegom. c. 12, Bonfrer in Præloq. c. 9.

Causæ obscuritatis duæ præcipuæ sunt : prima petitur ex rebus ipsis , secunda ex modo illas proponendi et explicandi. Et quidem quod ad res attinet, agit frequenter de rebus sublimibus, cœlestibus, et quæ sub sensum non cadunt , atque ideo illas imbecillitas nostra non capit, ut locum habeat quod ait Christus, Joan. 3. 12 : *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis ?* ad quæ scilicet humana intelligentia non ascendit. Rursus agit de rebus longinquitate temporis a nobis distantibus, quæ propterea suam inde difficultatem et obscuritatem habent: talia sunt quæ futura extremis Antichristi temporibus, talia quæ olim fuerunt in veteri lege et ante illam, quæ propter morum illius ævi a nostris discrepantiam, aliarumque circumstantiarum ignorationem difficilia intellectu nobis redduntur. Secunda ex modo loquendi sacræ Scripturæ quæ metaphoris abundat, allegoriis, catachresibus, antiphrasibus, quæque multa symbolis involuta de industria proponit.

Cur Deus Scripturas voluerit esse obscuras.

Nec desunt causæ cur Deus Scripturas voluerit esse obscuras : primò, ne vilescerent, quæ enim facilia, con-

temnuntur; secundò, ut honestam haberent homines occupationem dum in assequenda Scripturarum sententia laborant; tertiò, ut ex difficultate cresceret studii illius delectatio; cùm enim in alicujus veritatis indagatione laboravimus, plùs delectamur cùm illam percipimus; quartò, ut diuturno labore et tempore quæsita et versata, altiùs mentibus nostris infigerentur, nec facilè exciderent.

CAPUT XX.

De variis sensibus sacræ Scripturæ.

Duplex sensus litteralis et mysticus.

Duplex sensus sacræ Scripturæ assignari solet : litteralis scilicet, sive historicus et mysticus, sive, ut alii appellant, figuratus. Sensus litteralis est ille quem verba sive propriè, sive metaphoricè accepta ex Spiritûs sancti loquentis intentione, primò et immediatè significant. Dixi *metaphoricè*, quia quòd metaphorâ aut alio tropo sensus aliquis exprimatur, non facit quominus sensus sit litteralis, v. g., cùm dixit Christus, Matt. 16. 6 : *Cavete a fermento Pharisæorum*, idem est secundum litteram, ac si remotâ fermenti metaphorâ dixisset, cavete a doctrina Pharisæorum, ut ipsemet statim apostolis non intelligentibus explicavit. Dixi *ex Spiritûs sancti loquentis intentione*, nam ex ea pendet ut verba vel propriè sumantur, vel metaphoricè, ut si quis dicat : *Cave, leo rugiens circuit*. Ambiguum est simpliciterne, et ut verba sonant, an verò tropicè intelligenda sint, de leonene, an de dæmone. Verum quidem est ex antecedentibus et consequentibus ex subjecta materia, et aliis adjunctis frequenter colligi posse quem sensum exhibere velit qui loquitur; tamen hæc distinctio primariò et per se pendet ex mente ipsius loquentis.

Mysticus sensus quis.

Mysticus sensus est qui non proximè per voces, sed mediatè et remotè, mediantibus scilicet rebus per voces sensu litterali significatis, a Spiritu sancto indicatur, v. g. Deut. c. 25 præcipitur : *Non alligabis os bovi trituranti*. Sensus litteralis est is quem verba sonant. Sensus verò mysticus ille est qui, supposito sensu litterali, ex eo, et rebus per ipsum significatis ulteriùs intenditur a Spiritu sancto, hoc est, ut explicat S. Paulus 1. Cor. 9, doctoribus, concionatoribus necessarium et honestum victum suppeditandum.

Mysticus sensus quotuplex.

Porro mysticus sensus triplex est : allegoricus, tropologicus, sive moralis, et anagogicus. Allegoricus spec-

tat Christum et Ecclesiam militantem, sive res omnes fidei, quæ viæ in patriam tendentis sunt propria, iis exceptis quæ ad patriam spectant; hæc enim ad anagogicum sensum pertinent, qui ideo dicitur anagogicus, nam ἀνάγειν græcè sursum vehere, aut ducere significat. Tropologicus est, qui versatur circa mores quos Græci τρόπους appellant. Uno verbo sensus allegoricus est de rebus credendis; tropologicus, de rebus agendis; anagogicus, de rebus sperandis. Hinc vulgati illi versus :

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis, quid agas; quò tendas, anagogia.

Notandum tamen frequenter a Patribus et aliis quemlibet sensum mysticum allegoricum appellari. De sensibus Scripturæ, vide Serar. c. 21, Bonfr. c. 20.

CAPUT XXI.

Quomodo sensus litteralis investigandus sit.

Quæ juvent ad assequendum sensum litteralem.

Ad assequendum sacræ Scripturæ sensum litteralem juvant primò alia loca similia Scripturæ, quibus idem clariùs dicatur, vel ex quorum collatione lux aliqua obscuriori accedat; 2. traditiones Ecclesiæ; 3. Conciliorum definitiones; 4. interpretationes Patrum; 5. theologia scholastica; 6. linguarum peritia; 7. cognitio aliarum scientiarum, philosophiæ, astrologiæ, etc.; 8. diligens consideratio antecedentium et consequentium, et adjunctorum, quod tamen in Prophetis, Proverbiis, Ecclesiastico, et Psalmis locum non habet; nam Prophetæ, et Psaltes, pro affectu et lumine prophetico quo agebantur, frequenter a figura ad rem figuratam transiliunt, aut etiam longiùs evolant ad alia, prout spiritus vult quo reguntur. Proverbia verò et Ecclesiasticus sunt collectio quædam præceptorum quæ necessarium inter se ordinem nec requirunt, nec servant.

CAPUT XXII.

Quomodo mystici sensus eruendi sint.

Difficultas nvestigandi sensum mysticum.

In primis sciendum est difficilius esse investigare verum sensum mysticum, quàm sensum litteralem. Ratio est quia litteralis sensus percipitur iis adjumentis quæ diximus, ac præsertim consideratione antecedentium

et consequentium, etc. In sensu autem mystico, qui totus abstractus est, et ex Spiritus sancti intentione pendet, pauciora habemus adminicula quibus juvemur, et frequenter quæ intenduntur ab iis quæ nobis veniunt in mentem multùm distant. Itaque S. Greg. Hom. 15. in Evang. parabolam seminantis explicans, quæ habetur Lucæ 8, quam ipsemet Dominus quomodo intelligenda esset exposuerat: *Quis enim mihi unquam crederet*, inquit, *si spinas divitias interpretari voluissem, maximè cùm illæ pungant, istæ delectent? et tamen spinæ sunt, etc.*

Ex hoc sequitur multos sensus mysticos afferri solere, qui sola aliqua tenui conjectura nituntur, quorum proinde exigua veritas et utilitas est, in quo præsertim peccatur ab iis, qui sensus mysticos quærunt, priusquam litteralem assecuti sint, cùm ille in hoc, ut solidus sit, fundari debeat.

CAPUT XXIII.

De comparatione sensus litteralis cum sensu mystico.

An omnes sensus ex quolibet loco erui possint.

Præter hactenus dicta de sensu litterali et mystico notandum est primò cujuslibet loci sacræ Scripturæ sensum aliquem litteralem esse, sensum verò mysticum in aliquibus quidem reperiri, in aliis verò non item, v. g. cùm dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Nullus enim hic est mysticus sensus. Rursus alia loca esse, in quibus triplex sensus mysticus assignari possit, v. g., sabbati institutio. Allegoricè significare potest requiem Christi in sepulcro; tropologicè, cessationem a peccato; anagogicè, quietem sanctorum in cœlo: in aliis locis aliquando duo sensus, aliquando unus tantùm locum habere potest pro varietate rei de qua loquitur Scriptura; itaque ex omnibus locis omnes sensus extundere velle non solùm supervacaneum, sed etiam ineptum est.

Sensus mysticus proprius veteris Testamenti.

Secundò notandum sensum mysticum ferè erui ex veteri Testamento, quod figuris, allegoriis, symbolisque rerum futurorum abundat. Sunt tamen etiam in novo, quæ hunc sensum admittant, nam, v. g., navicula Petri undis jactata Ecclesiæ persecutiones significat, etc.

Quis sensus dignior.

Tertiò notandum sensum mysticum digniorem esse si cum ejusdem loci sensu litterali conferatur; figuræ enim præstat figuratum, quod intellige de eo mystico sensu quem Spiritus sanctus intendit. Patet enim præs-

tantius esse quod sensu mystico docetur de suppeditando concionatoribus necessaria, quàm quod cortex legis exhibet, cùm prohibet alligari os bovi trituranti. Si tamen non de subordinatis sensibus per modum figuræ, et figurati loquamur, sed absolutè, tunc dicendum sensum litteralem æquè præstantem ac mysticum esse posse, cùm de rebus præstantissimis esse possit, ut de Trinitate, Incarnatione, Christi Passione, etc. Imò absolutè, omnibus pensatis, dicendum sensum litteralem mystico anteferendum : primò, quia de rebus æquè præstantibus esse potest; secundò, quia in omnibus Scripturæ locis reperitur; tertiò, quia est certior, et ad probandum utilior, de quo mox dicemus. Vide Serar. Prolegom. c. 21. q. 10, Bonfr. in Præloquiis, c. 20. sect. 3.

CAPUT XXIV.

An sensus mysticus vim habeat ad probandum.

Qui sensus mystici apti ad probandum.

Ex sensu mystico æquè firmum argumentum peti potest atque ex litterali, si constet eum sensum verum esse, et a Spiritu sancto intentum. Plerumque autem ex hoc sensu desumpta argumenta infirma sunt, quia nescimus an ille sit verus sensus mysticus. Constat autem aliquem esse verum sensum mysticum vel ex Scriptura, ut de illo quem supra attulimus de bove triturante constat ex D. Paulo, vel ex Conciliis, vel ex consensu Patrum et Ecclesiæ Doctorum : v. g. (ut rem alio exemplo illustrem) Matt. c. 2. n. 15, dicitur : *Ut adimpleatur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum.* Locus qui citatur est Oseæ 11, et sensus litteralis est de filiis Israel ex Ægypti et Pharaonis servitute eductis. Sensus mysticus a Spiritu sancto intentus, de Christo ex Ægypto revocato. Nec satis est dicere hæc sensu accommodatitio tantùm Christo, v. g., aut argumento, de quo agitur, aptari; nam citatis testimoniis evangelistæ et apostoli aliquid probare intendunt efficaciter, quod tamen sensu accommodatitio fieri non potest, ut dicemus. Vide Serar. c. 21. q. 10, Bonfr. c. 20. sect. 4.

CAPUT XXV.

An ejusdem loci plures sensus litterales esse possint.

Eumdem locum Scripturæ posse aliquando plures habere sensus litterales docent Patres, D. Hieron. Ep. 103, Chrys. Hom. 7. in primam ad Cor. Aug. l. 2 de Doctrina christiana, c. 27 et l. 12 Confess. c. 26 et apertiùs c. 31, multique theologi apud Serar. in Proleg. c. 21. q. 12, et apud Bonfr. in Præloquiis, c. 20. sect. 5; et ratio peti potest tum ex sacræ Scripturæ fecunditate, tum ex eo quòd in signis ab hominibus institutis eadem res duo simul significare potest, ut v. g., si sono campanæ, aut clangore tubæ signum dari soleat in adventu hostium, et etiam cùm aliquod incendium excitatur; si accedat ut eodem tempore hostes adsint, et partem aliquam civitatis flamma corripiat, signum campana editum utrumque significare poterit eodem tempore. Pari ratione si scripsero: *Lege facienda disces*, et nullam adscripsero interpunctionem, more veterum Hebræorum, duplicem exhibebo sensum; cùm vox *lege*, et imperativus verbi *lego*, et ablativus nominis *lex* esse possit. Ejusdem loci plures sensus litterales aliquando esse possunt.

Porro probabile est sacros scriptores cùm locum aliquem scribebant, in quo duplex, aut multiplex sensus latebat sive litteralis, sive mysticus, eosdem sensus Domino revelante cognovisse, quamvis in rigore necesse non sit, cùm sufficiat si unum bonum sensum concipiant et intendant. Imò nihil repugnat Spiritum sanctum ita alicui Scripturas sacras dictare, ut nihil intelligat, sed tantùm se habeat ut amanuensis, quæ ab alio dicuntur non percipiens. Nec rursus repugnat Spiritum aliquid dictare, et bonum sensum intendere, eum verò qui scribit vel loquitur falsum aliquid, absonum, et impium intendere. Sic Caiphas, Joan. 11, sensu politico, impio, et falso dixit: *Expedit vobis ut moriatur unus homo pro populo, et non tota gens pereat*, qui tamen ab evangelista dicitur prophetasse, quia illius voce Spiritus sanctus verum et bonum sensum expressit. An sacer scriptor dum scribit omnes sensus litterales, aut mysticos cognoscat.

CAPUT XXVI.

De sensu accommodatitio.

Sensus accommodatitius est, cùm ea quæ litterali, aut mystico sensu alia occasione dicuntur in Scriptura, transferimus ad res alias. Sic quod de Noe dicitur in Eccle- Quis sensus accommodatitius.

siastico, cap. 44. 17 : *Inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, Ecclesia omnibus confessoribus accommodat. Pulcherrimè hoc sensu, et convenientissimè usus est S. Bernardus, et ex recentioribus Baronius in suis Præfationibus ad singulos annalium tomos. Sacri Concilii tridentini gravissimum exstat decretum contra eos qui verba Scripturarum ad res profanas, ad facetias, aut significationes obscenas traducunt, quod vide sess. 4 extrema.

Non est utilis ad probandum.

Porro e sensu accommodatitio nullum quasi divinum, necessarium, ac firmum argumentum ad probandum duci potest. Quia Spiritus sanctus neque proximè et immediatè, neque remotè id significare voluit per verba Scripturæ, cùm pro cujusque ingenio, cùm quadrant, aliò ut libuerit, torqueantur, et alteri argumento, quod nihil cum sacræ Scripturæ argumento habet commune, adaptentur. Vide Serar. c. 12. q. 14, latè de sensu accommodatitio disserentem.

CAPUT XXVII.

De Cabala.

Quid sit Cabala.

Cabala קבלה vox est hebraica, et idem est quod *receptio*, a radice קבל *cabal*, recipere ; significatque arcanam Scripturæ intelligentiam, a majoribus ad posteros quasi per manus transmissam. Sunt autem sensus, qui cabalâ explicantur similes sensibus mysticis, de quibus supra diximus; hoc autem maximè differunt, quòd sensus cabalistici non planis verbis, et quæ facilè percipiantur, explicari solent, sed obscuris et ænigmaticis, ut olim solebat Pythagoras sua dogmata symbolis obvelare. Exempla propositionum cabalisticarum habes multa apud Bonfr. in Præloq. c. 21. sect. 1; unum sufficiat: *Nisi nomini Abraham littera he addita fuisset, Abraham non generasset.* Et hæc quidem est veterum cabala.

Alterum genus Cabalæ.

Alia est recentiorum cabala, quæ ferè in dictionibus, et litteris verborum Scripturæ ludit, ad eum modum, quo anagrammatismi fieri solent, vel aliquo alio simili, v. g., resolvendo litteras, transponendo, unam cum alia commutando, figuram, aut vim arithmeticam illarum perpendendo. Videtur hæc cabala ex aliquibus Scripturæ locis, quæ symbolicè, et non sinè mysterio, quod in litteris lateat, proponuntur, occasionem sumpsisse, ut cùm prodigiosa illa manus tres obscuras illas voces, aut initiales earum litteras scripsit in pariete : Mane,

Thecel, Phares, Dan. c. 5. Item cùm Jeremias, c. 25. n. 26, per litterarum mutationem cùm *Babel* dicere vellet, dixit *Sesac*, ut eo loco interpretatur D. Hieron. quem vide.

Simile mysterium est in Apocalypsi, c. 13, cùm agitur de numero nominis bestiæ. Si ergo cabala hæc referatur ad mysteria hæc Scripturæ quæ dixi, aut alia hujusmodi enodanda, rejici non potest : si verò in aliis per mutationem, v. g., litterarum sensus bonos et pios exprimat, laudem merebitur, sed in re tenui versabitur labor, qui similis illorum industriæ erit, qui anagrammatismos concinnant; nam de iis nihil attinet dicere qui sensus malos eruunt, aut, quod pejus est, qui ad magiam hebraicis caracteribus Scripturæ abutuntur; hi enim gravissimè peccant rei sacræ abusu, et usurpatione damnatarum artium, ut res ipsa per se loquitur. De cabala vide Galatinum lib. 1. c. 6, Rhodiginum l. 10. c. 1. Tholosan. de Rep. l. 12. c. 5, Picum Mirand. in Apologet. Serar. l. 1. in Josue, q. 2. Bonfrer. in Præloquiis c. 21.

CAPUT XXVIII.

De sacrorum Bibliorum discendorum modo.

Quomodo dispositus esse debet, qui sacris Scripturis studet.

Ad sacras litteras intelligendas præter bonitatem ingenii, reverens animi demissio, et mentis puritas afferenda est, quia *sapientia longè abest a superbia*, ut ait Ecclesiasticus c. 15. 7, *et in malevolam animam non introibit*, Sap. 1. Addenda oratio ex Jacobi monito : *Si quis*, inquit, *indiget sapientia, postulet a Deo*, Jacob. 5. Adhibendum studium diligens et pertinax, ex magna discendi cupiditate profectum, sanctos Patres, et optimos quosque interpretes legendo, bonos præceptores in sacris litteris diligenter versatos consulendo, et cum aliis eidem studio addictis conferendo. Habet etiam ad hanc rem momenti plurimùm linguarum hebraicæ et græcæ cognitio, et universè quò plùs quis in quocumque scientiarum genere profecerit, eò majora habebit ad hoc studium adjumenta. Vix enim est rei alicujus cognitio etiam mechanicarum artium, quæ in Scriptura interpretanda usui non sit, et quibusdam locis etiam maximè necessaria. De sacrorum Bibliorum discendorum modo latè Serar. in Proleg. c. ult. per multas quæstiones.

ELENCHUS

OPERUM A TYRONIBUS THEOLOGIS PRÆCIPUÈ CONSULENDORUM CIRCA SCRIPTURÆ SACRÆ INTERPRETATIONEM.

NOTANDUM est 1.° præsentem indicem non ea mente evulgari, ut βιβλιοφίλοις, multò minùs ut doctis dirigendis inserviat, sed ea tantùm, ut tyronum theologorum studiis prosit. Ad hunc porro scopum attingendum probatissima tantùm, etsi numero paucissima, opera notare curavimus, ea sedulò omittentes, quæ etsi aliquo sub respectu fortè commendanda, falsæ tamen vel temerariæ doctrinæ famam subeunt. Locupletiorem indicem exhibent multi auctores, imprimis P. Calmet, in Bibliotheca sacra quam biblico suo dictionario affixit. 2.° Quamvis numero paucissimis operibus constet indiculus noster, non abs re tamen fore visum est nonnulla magis utilia vel necessaria asterisco notare, quæ absolutè sufficiunt sive tyronibus theologis, sive sacerdotibus permultis, sacro ministerio sic addictis ut pro sacris scientiis excolendis vix aliquam partem de solido die demere valeant.

I. PROLEGOMENA ET ALIÆ INTRODUCTIONES AD SCRIPTURAM SACRAM.

Introductio ad sacram Scripturam et compendium Historiæ ecclesiasticæ, auctore uno sacerdote ex Eudistarum familiâ, *Versaliis*, 1820, 1 vol. in-12.

*J. Hermanni Janssens Hermeneutica sacra, *Leodii*, 1818, 2 vol. in-8.°

Introduction à l'Ecriture sainte, par le P. Lami, de l'Oratoire; in-4.° et in-12.

* Mœurs des Israélites et des Chrétiens, par Fleury; in-12

* Histoire abrégée de la religion avant la venue de J. C. par Lhomond; in-12.

Rob. Lowth de sacra Poesi Hebræorum, prælectiones academicæ; *Oxonii*, 1753, in-8.°; et *Goettingæ*, 1770, 2 vol. in-8.°

Les mêmes en français, par Sicard, sous le titre de Leçons sur la Poésie sacrée des Hébreux, Lyon 1812, 2 vol. in-8.°

II. Versiones et concordiæ.

* Commentaire littéral sur les livres de l'ancien et du nouveau Testament, par le P. D. Carrières; 10 vol. in-12 et in-8.°
Le Psautier français, traduction nouvelle; par M. de Laharpe; in-12.
Le sens propre et littéral des Psaumes de David, exposé brièvement dans une interprétation suivie, avec le sujet de chaque psaume; in-12.
Le nouveau Testament, traduit en français selon la Vulgate; par les PP. Bouhours, Leteiller et Besnier; *Paris*, 1697 et 1702, 2 vol. in-12.
* Histoire de la vie de J. C., par le P. de Ligny; 2 vol. in-4.°
Harmonie ou concorde évangélique, suivant la méthode, et avec les notes de feu M. de Toinard, Paris, 1716, 1 vol. in-8.°
Concordantiæ Bibliorum, 2 vol. in-4.°
Thesaurus biblicus, 2 vol. in-8.°

III. In universam Scripturam commentarii.

* J. Steph. Menochii Commentarii totius Scripturæ, *Parisiis*, 1719, 2 vol. in-fol.; *Lugduni*, 1825, 15 vol. in-8.°
Jacob Tirini in sacram Scripturam Commentarius, *Antuerpiæ*, 1632, 2 vol. in-fol.
La sainte Bible vengée des attaques de l'incrédulité, par Du Clot; 6 vol. in-8.°, *Lyon*, 1824.
Réponses critiques aux difficultés des incrédules contre les livres saints, par Bullet; 4 vol. in-12.

IV. In præcipuos Scripturæ libros commentarii et tractatus varii.

1.° *In libros veteris Testamenti.*

* Lettres de quelques Juifs à M. de Voltaire, par l'abbé Guenée; 3 vol. in-12.
* Liber Psalmorum Vulgatæ editionis, cum notis F. B. (Bellanger); in-4.° et in-12.
Les Psaumes traduits en français, avec des notes et des réflexions; par le P. Berthier; 8 vol. in-12.
Isaïe, traduit en français, avec des notes et des réflexions; par le même; 5 vol. in-12.

Dissertation sur les prophéties, par le cardinal de la Luzerne; in-12.

2.° *In libros novi Testamenti.*

Analyse de l'Evangile, selon l'ordre historique de la concorde, par le P. Mauduit; 4 vol. in-12.
Analyse des Actes des apôtres, par le même; 2 vol. in-12.
Analyse des Epîtres de St. Paul, et des Epîtres canoniques; par le même; 2 vol. in-12.
Réflexions morales sur le nouveau Testament, par le P. Lallemant; 12 vol. in-12.
Joannis Maldonati Commentarii in quatuor Evangelia, *Mussiponti*, 1596; *Lugduni*, 1607, in-fol.
L'Evangile médité et distribué pour tous les jours de l'année, suivant la concorde des évangélistes; par le P. Giraudeau; 8 vol. in-12, et 12 vol. in-12.
Epistolarum B. Pauli triplex expositio, auct. Bernard. à Piconio; 1 vol. in-fol. et 6. vol. in-12.
* Explication des Epîtres de St. Paul, par le P. Bernardin de Piquigny; 4 vol. in-12.
In canonicas apostolorum septem Epistolas collatio, per Claudium Guilliaudum; *Parisiis*, 1550, in-8.°

LIBER

LIBER GENESIS,

HOC EST

GENERATIONIS, CREATIONIS,

SIVE NATALIS MUNDI,

NAM ΓΕΝΕΣΙΣ GRÆCA VOX GENERATIONEM SIGNIFICAT.

AUCTOR LIBRI EST MOSES.

CAPUT PRIMUM.

Describitur mundi generatio, et opus sex dierum.

1. *In principio.* Id est, in primordio seu initio, non æternitatis, nec ævi, sed temporis.

Creavit. Ex nihilo.

* *Deus.* Hebr. *Elohim*, quæ vox pluralis numeri Trinitatem indicat.

Cœlum. Empyreum, quod S. Paulus vocat tertium cœlum, * unà cum angelis, qui simul cum mundo conditi sunt.

Et terram. Globum terræ, cum aquarum mole terræ infusa et superfusa, seseque porrigente usque ad cœlum empyreum : * cœli et terræ nomine intelligitur universum hoc, quale nunc est.

2. *Terra autem erat inanis et vacua.* Vacua hominibus, animantibus, plantis, etc.

Tenebræ. Non lucis privatio, nam lux postea creata; sed luminis defectus, obscuritas, caligo.

Abyssi. Ἄϐυσσον Græcis est quod fundo caret, vel ad cujus fundum penetrari non potest. Abyssum autem vocat totam illam molem terræ et aquæ.

Spiritus Dei. Spiritus sanctus.

Ferebatur super aquas. Fovebat, incubabat aquis, vitali infuso calore prolificam vim aquis largiebatur. Vox hebræa מרחפת *merachephet*, est volucrum, dum super ova et pullos quasi pendulæ volitant, deinde iis incubant, calorem aspirant, fovent, et animant.

3. *Fiat lux.* Lux hæc videtur fuisse corpus lucidum, quod in tenebris illis fulgeret. Fortasse nubes lucida,

ut Exod. 14. 20, Deut. 1. 33. Sunt qui putent fuisse solem informem adhuc, imperfectum : ita multi.

4. *Lucem quòd esset bona.* Vox hebræa טוב *tob*, significat bonum, pulchrum, jucundum, utile, commodum.

Divisit lucem a tenebris. 1. Divisit loco ; nam dum apud nos est lux, apud antipodas est nox, et tenebræ. 2. Tempore, quia sibi succedunt. 3. Causâ : nam causa lucis est corpus lucidum, tenebrarum verò corpus opacum.

5. *Appellavitque.* Nec sic Deus locutus, sed sancivit ut hæc rebus convenientia nomina Adam imponeret, et iis posteri uterentur.

Lucem diem. Nam lux illa ita ferebatur, ut nunc sol, distinguens dies ac noctes.

Vespere et mane. Circa meridiem hæc lux creata : exinde suo motu vesperam fecit, et mane sequens.

Dies unus. Dies primus, phrasi Scripturæ; sic *una sabbati* apud D. Joannem 20 primam hebdomadæ diem significat.

6. *Firmamentum.* רקיע *raquiah*, quæ vox propriè et ut plurimùm significat *expansionem*, seu *extensionem*, eam maximè quæ extensione ipsa corpus fluidum firmat solidatque, LXX, στερέωμα; complectitur autem firmamentum, cœlum stellatum, omnesque orbes cœlestes illi vicinos, tam inferiores quàm superiores, usque ad empyreum. Imò complectitur etiam aerem vicinum a cœlo in terram expansum, et suo loco quasi firmatum.

In medio. Non mathematicè, sed rudi minerva sumpto.

Dividat aquas ab aquis. Aquas veras et naturales, quæ sunt proximè sub cœlo empyreo, ab istis aquis inferioribus. Ita Patres.

8. *Vocavitque Deus firmamentum, cœlum.* Cœli nomen meritò tributum firmamento, quia hujus firmamenti major et melior pars sunt cœli.

9. *Arida.* Terra : dicitur autem arida, quia quæ priùs limosa, et aquis cooperta, nunc fuit ad congruam siccitatem perducta.

10. *Vocavit Deus.* Vide supra, num. 5.

Terram. Hebraicè ארץ *eretz*, a radice רצץ *ratsatz*, id est calcare, ut apud Latinos terra a terendo.

Congregationesque aquarum. Multarum aquarum conceptacula vocantur maria ab Hebræis, ut etiam stagna et lacus.

Appellavit maria. Vide supra, num. 5.

11. *Germinet terra.* Materiam suppeditet germinationi, nam terra duntaxat passivè hac vice, Deus solus activè et efficienter germina produxit.

Herbam virentem. Ex hebræo significatur omne genus herbarum et plantarum : dicit *virentem*, non coloris tantùm significandi causâ, sed vigoris etiam, et succi.

Lignum pomiferum. Id est, *arborem fructiferam*, ut habent hebræa. Pomum ergo ponitur pro quovis arborum fructu. *Lignum* dicunt Hebræi pro arbore.

Cujus semen in semetipso sit. Quod sibi simile gignendi vim habeat, per semen quod habet in semetipso, puta in suo fructu, vel folio, vel radice, vel ramis.

12. *Et protulit terra.* Illo ipso, quo Deus jussit momento, terra omnes plantarum species, easque adultas, et cum fructu maturo produxit. Basil. Ambros. et alii.

14. *Dividant diem ac noctem.* Sermo est de artificiali die : et hæc rudi minerva proponuntur, quasi luna noctem adducat, sicut sol diem : cùm sol utriusque causa sit, diei præsentiâ suâ, noctis absentiâ suâ a nostro hemisphærio.

In signa. Non vana judiciariorum, sed naturalia prognostica pluviæ, serenitatis, gelu, ventorum, etc. Secundò, in signa serendi, plantandi, metendi, navigandi, etc. Tertiò, in signa temporum, dierum scilicet, mensium, annorum, qui solis cursu describuntur.

16. *Duo luminaria magna.* Luna minor est omnibus astris excepto mercurio; vocatur tamen luminare magnum, quia nobis propter vicinitatem major sideribus videtur; et quia majore vi et efficacitate pollet, quàm stellæ.

Præesset. Lucis principatu; nihil sole interdiu, nec nocte luna astrisque splendidius.

20. *Producant aquæ reptile, ... et volatile.* Nam tam pisces, qui reptilis nomine significantur, quàm aves ex aquis creatæ; vocantur autem pisces reptilia, quia carent pedibus, et ventre incubant aquis, quasi repentes.

21. *Cete grandia.* Vox hebræa תנינים *thanninim*, significat dracones et omnia ingentia animalia tam terrestria, quàm aquatica, cujusmodi sunt balænæ quæ sunt quasi dracones aquatici.

Viventem, atque motabilem. Conjunctio *atque* vim habet explicandi id quod præcessit. Significat Moses se vocasse animam viventem quodvis animal quod naturâ, seu ab intrinseco præditum est vi se movendi.

In species suas. Juxta species suas.

Secundum genus. Hoc est, secundum species suas.

22. *Benedixitque eis.* Dei benedicere est benefacere :

benefecit autem Deus piscibus et avibus, cùm eis dedit appetitum et potentiam generandi sibi simile.

Crescite. Numero scilicet, non mole corporis.

Multiplicamini, et replete aquas maris. Sanè piscium summa est copia.

Super terram. Quia volucres in terra nidificant, prolificant, et somnum capiunt.

24. *Jumenta, et reptilia, et bestias terræ.* Jumenta sunt animalia domestica, et mansueta : reptilia dicuntur quæcumque non sunt gressilia, sed repentia, vel saltitantia : bestiæ terræ omnia reliqua animantia, præsertim quæ fera sunt, θηρία.

26. *Faciamus.* Mysterium SS. Trinitatis indicatur, quia non alloquitur angelos, quorum ministerio in creatione Deus nec eguit, nec usus est. * Solet tamen Scriptura de Deo ut rege loqui, reges autem res magnas agunt de consilio primorum : vide 3. Reg. 12. 6, 2. Paral. 10. 9, 3. Reg. 22. 26.

Hominem. אדם *Adam*, quod non est proprium uni homini, sed commune nomen toti speciei.

Ad imaginem et similitudinem. Totus homo est imago Dei, sed non ratione corporis, verùm ratione intellectûs et voluntatis. Ideo hæc imago verè spiritualis est, eaque duplex, una naturalis, altera supernaturalis. Naturalis seu essentialis vocatur, qua homo est animal intellectu et libero arbitrio pollens, qua dignitate gradum naturæ supremum, in quo sunt mentes cœlicæ, attingit. Supernaturalis imago, seu accidentalis, in gratia et justificatione consistit, quæ demum in gloria planè solidabitur, perficieturque. Nihil autem diversum significat imago a similitudine, quia sacra Scriptura de hac re loquens promiscuè hisce vocabulis utitur, aliquando utrumque vocabulum conjungens, ut hìc, et Genes. 5. 3; aliquando alterum solum ponens, ut Genes. 5. 1 et Genes. 9. 6, et ad Coloss. 3. 10. In corpore verò hominis propriè non est imago Dei, sed tamen in eo relucet quodammodo, quatenus corpus est imago mentis.

Præsit. In hebræo est vox pluralis numeri, *præsint*, tam scilicet Adam quàm Eva.

27. *Masculum et feminam creavit eos.* Non simul, sed successivè; non ergo Adam hermaphroditus, quod quidam hæreticus ausus est dicere.

28. *Crescite, et multiplicamini.* Vide sup. n. 22. His verbis benedictio continetur, non præceptum singulis hominibus datum de prole procreanda.

Subjicite eam. Habitationi vestræ, domitis, aut pulsis feris, idoneam facite.

29. *Ecce dedi.* Id est, do, attribuo. Homines usque ad diluvium herbis, fructibusque contenti, carnibus ac vino abstinuerunt, non peculiari aliquo mandato prohibente, sed nonnulla religione inde nata, quòd Deus usum carnium et vini nondum disertè concessisset, ut postea carnis concessit, Genes. 9. 3.

Ligna. Arbores pomiferas.

30. *In quibus est anima vivens.* Quæcumque aliquo sensu sunt prædita, etiam solo tactu, ut quædam vilissima saxis adhærentia.

31. *Valde bona.* Id est, optima, carent enim Hebræi superlativo, et pro eo utuntur nonnunquam additamento hujus vocis, *valde.*

CAPUT II.

Deus quiescit in sabbato, et hunc diem sanctificat; plantat paradisum, ex Adami costa format Evam, eamque dat Adamo in matrimonium.

1. *Omnis ornatus.* Angeli et sidera : pro ornatus hebraicè est צבאם *tzabam*, exercitus, militia; angeli enim et astra Deo militant, jussa illius faciunt, et suos ordines tuentur. Dicuntur *ornatus*, quia cœlum summopere exornant.

2. *Die septimo.* Exclusivè. Itaque dominico die opus creationis inchoatum.

Opus suum. Creationis.

Requievit. Non defatigatione, ut nos solemus, sed sola omissione operationis. Hoc etiam significat vox hebræa שבת *sabat*, cessavit. Hinc factum sabbato nomen, qui dies quietis Hebræis.

3. *Benedixit.* Laudavit, approbavit.

Sanctificavit. Divino cultui segregavit, seu dedicavit, exemplo quietis suæ venerabile reddidit, et inviolabili præcepto servari statuit, non actu, et reipsa, sed decreto et destinatione sua : dies enim sabbati postea a Mose institutus est, Exod. 20. 8. Ita aliqui : alii verò sentiunt actu tunc festum instituisse, colique voluisse ab Adamo ejusque posteris sacro otio, et cultu Dei, maximè recolendo beneficium creationis suæ, totiusque mundi, illo die completæ.

Quod creavit Deus ut faceret. Id est, quod creavit faciendo, et creando fecit, atque perfecit. Hebraismus.

4. *Generationes*. Creationes.

In die. Toto sex dierum spatio. Beda. * Dies aliquando in Scripturis sacris tempus simpliciter significat; sic ביום *bejom*, Num. 8. 17, dicitur de tempore nocturno : *Ex die quo percussi*, *etc*.

5. *Et omne virgultum*. Ex hebræo sic verti posset in die (*primo mundi*) quo fecit Deus cœlum et terram, omne virgultum agri nondum erat in terra, et omnis terra regionis nondum germinabat, sed fons ascendebat de terra.

6. *Sed fons*. Quidam vaporem intelligunt. August. 5. de Gen. c. 10, ait fortasse fontem pro fontibus positum. Cornelius putat vocem אד *ed*, significare inundationem, hoc est abyssum illam primigeniam aquarum, de qua dixit c. 1. n. 2; hæc enim e terra videbatur emergere et ascendere, irrigabatque, et tegebat totam terram.

7. *Formavit igitur*. Redit Moses ad opus sextæ diei, ut formationem hominis luculentiùs explicet. Hebræa ad verbum sic habent : *Plasmavit Deus hominem pulverem*, *vel lutum de terra*. Vox hebræa יצר *jatzar*, et græcum ἔπλασεν, propriè ad figulinam pertinet, idemque est quod plasmavit. Solet Scriptura Deum figulo, hominem argillæ comparare. Lege Jerem. c. 18. n. 2.

Hominem. Ipsum corpus.

De limo terræ. Quamvis corpus humanum aliis etiam constet elementis, tamen terræ tantùm prædominantis fit mentio. LXX legunt, *pulverem accipiens e terra*. Additus ergo liquor, et lutum factum, formatusque protoplastus *de terra terrenus*, ut eum appellat D. Paul. 1. Cor. 15. 47. אדמה *adama* (ex qua formatus, et dictus est Adam) significat terram rubram.

Inspiravit. Non igitur anima fuit educta ex materia, sed ab extrinseco a Deo infusa.

In faciem ejus. In hebræo est באפיו *beappau*, quod Aquila et Symmachus verterunt, εἰς μυκτῆρας, in nares. In naribus enim viget respiratio, quæ signum est animæ latentis. Verùm meliùs vertit noster *in faciem*; non enim in solis naribus, sed in facie tota, et consequenter in toto homine anima est, et relucet.

Spiraculùm vitæ. Hebraicè est, *vitarum*, quia rationalis anima eadem est sensitiva, et vegetativa, et ita largitur homini quasi triplicem vitam, plantarum, brutorum et angelorum.

Factus est... in animam viventem. Hebraismus, pro factus est animal vivens.

8. *Paradisum*. Paradisus, sive vox græca sit, sive

persica, sive, quod aliis placet, hebraica, hortum significat, aut viridarium conseptum, ac diligenter consitum omnis generis plantis.

Voluptatis. LXX retinent vocem hebraicam, et vertunt in *Eden*, quod est nomen proprium loci. Verùm noster interpres et Symmachus *Eden* accipiunt ut appellativum, tuncque significat voluptatem.

A principio. Scilicet die tertio mundi. LXX vertunt, *ad orientem*: unde patet respectu Judææ (Judææ enim respectu Moses scribit, et consignat plagas mundi) paradisum fuisse ad orientem, et plagam orientalem primò ab hominibus incoli cœptam.

9. *Lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave*. Non copulat, sed disjungit sive frugiferum, sive infructiferum, et ad oculos tantùm pascendos idoneum.

Lignum etiam vitæ. Arbor vitalis seu vivifica, cujus illa erat naturalis facultas, ut ex ejus fructibus comedenti vita diutissimè, ac sinè morbis prorogaretur.

In medio. Vel situm designat, vel ad arboris excellentiam refertur. Nam Hebræi in medio illud esse dicunt, quod inter alia est magìs eximium. Gen. 23. 10: *Habitabat Ephron in medio filiorum Heth*.

Scientiæ boni et mali. Quod comedenti de fructu ejus tribuebat scientiam discernendi inter bonum et malum. * Vel sic appellatur quòd ex illa comedentibus dæmon dolosè et falsò pollicitus sit scientiam boni et mali. Aliqui putant hanc arborem fuisse ficum, quòd statim ab ejus esu folia ficûs Adam consuerit ad tegendam nuditatem. Alii malum sive pomum, quòd in Cant. 8. 5, dicatur: *Sub arbore malo suscitavi te*. Nihil certò asseri potest.

10. *Fluvius egrediebatur*. In paradiso verè exstitit fluvius quatuor horum maximorum amnium origo, licèt hi nunc in longè dissitis regionibus, diversisque cernantur locis scaturire. Id enim contigisse potuit, quia post multos et longos annorum, terrarumque tractus, se alicubi sub terrâm abdiderint, et postea iis locis emerserint, ubì nunc fontes habere creduntur. Absorbuerit ergo tellus hanc eorum originem, et postea divisim effuderit.

11. *Phison*. Est Ganges, ita dictus ab aquarum multitudine, quia teste Plinio augetur amnibus viginti quinque: פוש *pus*, autem Hebræis est crescere et multiplicari.

Hevilath. Multi volunt esse Indiam, sed Hevila potiùs hic est regio vicina Susianæ, Bactrianæ et Persidi,

jacens inter Assyriam et Palæstinam, opposita Sur. Sic enim accipitur Hevila 1. Reg. 15. 7, Gen. 25. 18, et ita dicta est ab Hevila filio Jectan de quo Gen. 10. 29.

12. *Bdellium.* LXX hic vertunt, *carbunculum;* at Num. 11. 7, *crystallum.* Bdellium ex Plinio, lib. 12. cap. 9, genus est gummi, sive lacrymæ pellucidæ, quam stillat arbor nigra magnitudine oleæ, folio roboris, fructu naturaque caprifici. Vatabl. et Eugubinus vertunt, *unionem.*

Lapis onychinus. In Hebr. שהם *scoam*, quod quid sit, vix sciri potest : aliqui vertunt, *smaragdum*, alii *sardonychem*, alii *lapidem prasinum*, alii, ut Vulgatæ auctor, *lapidem onychinum;* alii dicunt esse viridis coloris, alii candidi, alii mixtum candori ruborem habere. Vide Pined. Job. 28. 16.

13. *Gehon.* Nilus, quem etiamnum Abyssini vocant *Guyon*, videtur dici ab hebraico גוה *goah*, id est, venter vel potiùs pectus, quòd sit quasi venter sordidus, lutoque plenus, vel quòd quasi ventre et pectore incubet Ægypto, eamque fecundet.

Circumit. Per mæandros perlabitur, id est, non recto prorsus cursu.

Æthiopiæ. Propriè dictæ, quæ vocatur occidentalis ad distinctionem Madianitidis quæ Chananææ vicina.

14. *Tygris.* Ita dictus a velocitate cursûs; Medi enim sagittam *tygrim* appellant; vel ita dictus tigridis feræ velocitate. Jam corruptè dicitur *Tygel.*

Euphrates. A radice פרה *para*, id est, fructificavit; quia instar Nili exundans terras rigat et fecundat. Nunc ab indigenis dicitur Phrat : alii a græco εὐφραίνεσθαι derivarunt, quod est lætari.

15. *Posuit eum in paradiso.* Extra paradisum creaverat, ut colligitur etiam ex cap. 3. 23.

Ut operaretur. Non ad victum comparandum, sed ad honestam exercitationem, voluptatem, et experientiam; ita ut nec fatigaretur, nec otio labasceret.

Et custodiret. Tum a feris, quæ extra paradisum erant, tum ab ipsis animalibus, quæ erant in paradiso, ne ejus decorem et amœnitatem læderent.

Illum. Hortum, nam in hebr. est affixum femininum.

17. *Ne comedas.* Pro, *ne comedatis;* enallage singularis pro plurali : nam præceptum datum est etiam Evæ, ut colligitur ex c. 3. 3 : *Præcepit nobis Deus ne comederemus*, ait Eva; quod etiam ex pœna colligitur, quæ fuit utrique communis : itaque LXX habent in plurali, *ne comedatis.* Est autem Eva condita ante hoc

præceptum, licèt ejus formatio postea narretur, ut docet S. Greg. 35. moral. c. 10.

Morte morieris. Homo in statu innocentiæ naturæ lege mortalis erat, nunquam tamen moriturus fuisset, si non peccasset : quia esu ligni vitæ, eo semel gustato, ut quidam volunt, vel, ut alii, sæpius et subindè sumpto, vitam propagare potuisset, quod indicat satis clarè c. 3. n. 22, Deus ipse, dicens : *Ne sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum.* * Mortuus autem est statim morte spirituali propter peccatum, et etiam corporis morte, cujus debitum incurrit. Prætcrea calor naturalis humidum, ut vocant, radicale, quod esu fructûs arboris vitæ reparari potuisset in paradiso, depasci cœpit, et absumere absque remedio, atque ita ad mortem disponere.

18. *Non est bonum.* Non est aptum, congruum, conveniens, ut genus humanum propagetur, et hoc animal sociale vitam jucundè transigat.

Adjutorium. Ad procreationem et cæteras vitæ necessitates.

Simile sibi. Chaldæus, *quod sit penes eum;* LXX, *secundum eum.* Est autem mulier viro similis, in natura, statura, loquela, etc. * In hebræo est, *coram ipso*, quod significare potest, *ut ministret ei:* sic ponitur 1. Reg. 29. 8, et 3. Reg. 10. 8; et sensum expressit D. Paul. 1. ad Cor. 11. 9.

19. *Formatis igitur Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cæli.* Volatilia ex aquis creata sunt, ut patet ex c. 1. n. 20. Itaque vox *volatilibus* conjungenda est cum voce *formatis*, non autem cum voce *de humo*.

Adduxit. Vel insito illis *occulto* quodam motu, ut sponte accederent, et subjectionem suam quodammodo profiterentur, vel adducta angelorum ministerio.

Ipsum est nomen ejus. Naturæ animantis illius conveniens.

20. *Cuncta animantia.* Præter pisces qui extra aquas sinè miraculo adduci non poterant.

21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* Hebraica vox gravem et profundum somnum significat. LXX, pro *soporem*, verterunt, *ecstasim :* nec tantùm somnus Adæ immissus, ne sentiret costam sibi detrahi, ac proinde ne exhorresceret, et doleret : sed cum somno in ecstasim raptus est, ut videret quæ gerebantur, et spiritu prophetico cognosceret mysterium significatum, matrimonium scilicet suum naturale cum Eva, et mysticum Christi cum Ecclesia.

Tulit unam de costis ejus. Non superfluam, vel supernumerariam aliquam, sed unam de requisitis ad individui integritatem.

Replevit carnem. Costam non sinè carne abstulerat; nunc etiam carnem reponit non sinè costa.

23. *Hoc nunc os.* Quasi dicat: Apage a me animantia priùs adducta: non placent, non congruunt mihi, quia specie dissimilia, et prono vertice in terram vergentia, et rationis expertia. Hæc mihi simillima est, imò carnis et ossis mei portio.

Vocabitur Virago. Quasi dicat substantiam habet a me, nomen etiam accipiat. * Viras olim Latini mulieres vocabant, ut tradit Festus.

24. *Relinquet homo patrem suum et matrem.* Verba sunt Dei: Deo enim ea tribuit Christus, Matth. 19. 5. Hæc ergo conjugii lex est, et societatis conditio, ut, si res exigat, conjux conjugis causâ patrem et matrem deserere teneatur; quod intellige de cohabitatione, et vitæ consortio. Nam in pari casu famis, vel alterius similis necessitatis, potiùs patri et matri, quasi auctoribus vitæ, quàm conjugi subveniendum, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 11. ad 1.

Adhærebit uxori. LXX, *conglutinabitur.* Vox hebraica דבק *dabac*, denotat arctissimam adhæsionem.

Erunt duo in carne una. Primò per copulam carnalem. Secundò synecdochice, id est, erunt unus homo, erunt una persona civilis. Tertiò, quia conjux est dominus corporis sui comparis, et sic unius caro est alterius caro, 1. Corinth. 7. 4. Quartò effectivè, quia unam carnem, scilicet prolem generant.

25. *Erat autem uterque nudus, ... et non erubescebant.* Quia in statu innocentiæ nulla erat libido, nulla concupiscentia; ex hoc enim oritur pudor, et erubescentia, si membra in quibus regnat libido nudentur, et pateant.

CAPUT III.

Tentantur primi parentes, et peccant; increpantur a Deo, a quo serpens maledicitur: promittitur Christus Redemptor: Adam et Eva paradiso pelluntur, ante quem ponuntur custodes cherubim cum flammeo gladio.

1. SERPENS *erat callidior cunctis animantibus.* In serpentem natura sua callidum et vafrum, vafer diabolus congruè ingressus, in ejus ore, quasi in organo

certa ratione moto, vocem humanam effinxit : et admirata quidem est Eva eum loquentem, et suspicata id quod erat, altiori nimirum vi id fieri, sed metus aberat, quia necdum peccarat, et sciebat se Deo curæ esse.

Cur præcepit? Quasi dicat, cùm omnes suavissimi sint et salutares.

De omni. Ambiguum est an dicat de ullo, an verò de aliquo tantùm neget; sic verba temperans, ut posset deprehensus dicere se de una tantùm arbore sensisse, non de omnibus : et hinc recognosce a quo didicerint hæretici sacram Scripturam citare, et corrumpere.

3. *De fructu verò.* De illo tamen pretiosissimo non licet. Hebraicè arbori articulus additur, ut videas jam nonnihil commotam.

Et ne tangeremus. Tædio et odio præcepti, addens de suo invidiosè exaggerat. Deus enim nec aspectum, nec tactum, sed esum tantùm prohibuerat. Ita D. Ambr. lib. de Paradis. cap. 12; vel Eva adhuc integra et sancta, ex religione et reverentia divini præcepti hoc dixit, quasi ne tangendum quidem pomum, quo vesci non liceret.

Ne fortè moriamur. Deus absolutè affirmarat, *moriemini;* mulier dubitat, diabolus negat.

4. *Nequaquam morte moriemini.* In hoc diaboli sermone, quem cum Eva habuit, aliquot mendacia continentur : 1. non moriemini; 2. aperientur oculi vestri; 3. eritis sicut dii; 4. scietis bonum et malum.

5. *Scit enim Deus.* Sensus est, Deus non ignorat hanc arborem vobis utilissimam esse, ut pote quæ rerum omnium cognitionem possit solo esu afferre. Cùmque bonus sit, et vestrî curam gerat, non est putandus voluisse vos hoc bono privare.

In quocumque die. In quocumque momento.

Aperientur oculi vestri. Adeo perspicacis intelligentiæ efficiemini, ut meritò sitis existimaturi vos antea cæcos fuisse.

Eritis sicut dii. Similitudine quadam sapientiæ et omnis scientiæ. * Divinum est quiddam scire quamplurima : de Jove Homerus, πλείονα ἤδε, *plura sciebat.*

Scientes bonum et malum. Est hebraismus; scietis omnia quæcumque vel bona sunt, vel mala; vera, vel falsa; necessaria, vel contingentia, etc.

6. *Vidit igitur mulier.* Non simplici ut ante aspectu, sed concupiscens, cupida gustandi, curiosè et attentè pomum considerans.

Pulchrum oculis. Hebr. *desiderium oculorum.*

Chald. *sanitas oculorum*, hoc est, cibus pastusque oculorum.

Aspectuque delectabile. Dignam esse arborem attenta pulchritudinis ejus consideratione. Chald. *arbor delectabilis ad intuendum in eam.*

Comedit. Primùm sola, cùm placeret pomum; tulit aliud ad virum, vel Adam supervenit comedenti.

7. *Aperti sunt oculi amborum.* Ut adverterent suam nuditatem, motus concupiscentiæ rebelles rationi experirentur, intelligerent se bonum justitiæ originalis amisisse per peccatum, cognoscerentque Dei sententiam esse veram, dæmonem autem mendacem.

Cùmque cognovissent se. Viderant ante, sed non adverterant.

Nudos. Amictu corporis (hoc oculis corporis viderunt) et ex motu membrorum oculis mentis viderunt se stola gratiæ nudatos.

Consuerunt. Ramusculos teneriores circum latera plectentes, ut foliis pendulis verenda occultarentur.

Ficûs. Quia est arbor latifolia, et fortassis erat in proximo.

Perizomata. Lumbaria, seu ventralia, subligacula.

8. *Vocem Domini.* Strepitum ex concussione arborum a Deo excitatum, nam quasi ad vestigia Dei venientis a longè, et per arbores gradientis concutiebantur. Alii accipiunt pro voce loquentis et irati Dei dicentis: *Adam, ubi es?*

Ad auram post meridiem. Puta inclinante die, quando aspirare solent lenes zephyri, et aura ab hominibus diurno æstu fatigatis captari. * Significatur etiam motus quidam insolitus index divinæ præsentiæ. Vide 3. Reg. 19. 12, et Act. 2. 2.

Abscondit se.... in medio ligni. Id est, lignorum, inter arbores densissimas paradisi; enallage numeri singularis pro plurali.

9. *Ubì es?* Ambr. lib. de Parad. c. 14. *Ubì es*, inquit, *tua bene sibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubì es ergo? non in quo loco quæro, sed in quo statu, quo te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem ante quærebas?*

10. *Timui.* Erubui.

12. *Mulier.* Justus in principio est accusator suî. Nobis Adam præit quærere excusationes in peccatis: deinde culpam in uxorem, quin et in ipsum Deum derivat. Peccavi quidem, sed non peccassem, nisi tu

mihi talem vitæ sociam adjunxisses; nec fecisses adeò pellacem, et persuadere aptam: debebas prævidere.

13. *Dixit Dominus Deus ad mulierem.* Adæ excusationem ut frivólam, et pœna quàm excusatione digniorem, sicut et mox Evæ, præterit.

Serpens decepit me. Quasi dicat: Serpens, quem tu creasti, et inter nos hic degere permisisti, cui tantùm versutiæ tribuisti. Itaque etiam mulier culpam in Deum derivare videtur.

14. *Maledictus es inter omnia animantia.* Conveniunt hæc et serpenti, et dæmoni. Serpens est maledictus, quia abominabilis, horridus, venenatus, noxius animalibus, et præsertim homini. Pariter dæmon veneno peccati infectus, et infestus hominibus.

Super pectus tuum gradieris. Quæ priùs erant serpenti naturalia, jam illi in pœnam et infamiam versa; sic mors humano corpori ex elementis contrariis composito est naturalis, post peccatum est etiam pœna peccati. Sic iris ante naturalis, post Noe cœpit esse signum pacti inter Noe, hominesque, et inter Deum initi. Porro dæmon serpens antiquus super pectus graditur; quia jam non cœlestia, ut olim, cùm esset angelus, sed terrena et humilia cogitat.

Terram comedes. Pulverem, ut alibi solet vertere. Isa. 65. 25: *Serpenti pulvis panis ejus.* Michæ. 7. 17: *Lingent pulverem sicut serpentes.*

15. *Inimicitias.* Apertas, et in nocendi actum erumpentes. * Mulier autem ad talia viro magis est meticulosa.

Conteret caput tuum. Ipsa, et semen ipsius conteret caput tuum, quod potissimùm petendum, cùm serpens necandus est. Dæmoni etiam ista conveniunt, nam mulier per semen suum, scilicet per Christum, caput serpentis inferni contrivit.

Insidiaberis. Nam serpens humi reptans, et calcatus plantam petat necesse est, si se ulcisci velit. *Caput serpentis conterimus* (inquit S. Greg. lib. 1. moral. c. 38.) *cùm initia tentationis a corde extirpamus, et tunc ipse insidiatur calcaneo nostro, quia finem bonæ actionis callidiùs et potentiùs oppugnat.*

16. *Ærumnas tuas, et conceptus.* Id est, ærumnas conceptuum. Notum quàm multa sint mulierum incommoda, cùm uterum gerunt.

In dolore paries. Hunc dolorem alioquin naturalem mulier in statu innocentiæ Dei beneficio effugisset.

Sub viri potestate eris. Parebis viro, non ut priùs, semper sponte, sed interdum ingratiis et invita.

17. *Maledicta terra.* Privata benedictione fertilitatis spontaneæ, qualis in paradiso.

In opere tuo. Hebraicè, *propter te*, id est, propter peccatum tuum. Theodotion vertit, *in transgressione tua.*

Ex ea. Ex ejus proventu.

18. *Spinas et tribulos.* Non ut antea paucas, et paucis locis, sed copiosè et passim.

Herbam terræ. Hebræi herbam terræ vel agri vocant viliores herbas, quæ cum jumentis et aliis bestiis communes. * Nomine tamen herbæ etiam triticum comprehenditur, opponiturque illis beatarum animarum fructibus.

19. *In sudore vultûs.* Quia hinc copiosus sudor erumpit.

Pane. Panis quemvis cibum significat.

Quia pulvis es. En pœna peccati mors. *Deus creavit hominem inexterminabilem..... invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Sap. 2. 23, 24.

20. *Eva. Viva seu vivens*, LXX vertunt, ζωὴ, *vita.* Se et uxorem ad mortem à Deo damnatos solatur Adam, quòd per Evam gignet posteros viventes, in quibus ipsi quasi parentes in filiis victuri sint perenniter.

21. *Tunicas pelliceas.* Vel Deus de nihilo creavit, vel Adam animantibus mactatis pelles detraxit, vel angelorum ministerio id Deus effectum dedit.

22. *Adam.* Homo, vir et femina. Deus more hominis irati per ironiam superbam spem protoplastorum increpat ad efficaciorem medicinam morbi, et ad futuri cautelam. Sententia est : cernite in quantas miserias venerit homo, ad similitudinem divinæ scientiæ ausus aspirare, quæsitis potitus est, scilicet.

Ne fortè mittat. Verisimile est Adamum adhuc non modò non gustasse, sed et ignorasse ubi sita, et quæ esset arbor vitæ, quod et diabolum latuerit. Qua ignoratione belle Deus, et misericorditer Adamo consuluit, ne qui miser futurus, æternum miser fieret.

Vivat in æternum. Quam illi vim fructus arboris largiri poterant.

23. *Et emisit eum Dominus.* Ignominiosè et violenter expulit. Probabile id factum eodem quo peccavit die, sub solis occasum. Quamdiu Adam fuerit in paradiso, non constat. Videtur opus fuisse aliquot dierum intervallo, ut beatum illum statum nonnihil experiretur.

De qua sumptus. Igitur extra paradisum creatus, quia extra eum in terram missus.

24. *Cherubim.* Est numeri pluralis. Causa verò collocandi cherubinos, ut et homines, et dæmones ab ingressu arcerent, illos ne de ligno vitæ sumerent: hos ne ingressi decerperent, et homini darent, et tali munere pollicitatione immortalis vitæ, vecordes aliquos ad suì obsequium et idololatriam pellicerent.

Flammeum gladium. Adeo splendentem ut vibratus flammas vomere videatur. Alibi quoque tales angelis gladii tribuuntur. Num. 22. 23, et 1. Paral. 21. 16, 27. Potest accipi de vero gladio æreo, vel chalybeo, vel de flamma in gladii figuram conformata.

Versatilem. Aptum verti in omnem partem, quia anceps, et utrinque secans.

CAPUT IV.

Adam gignit Cain et Abel, hic occiditur à Caino, qui propterea à Deo maledicitur, fitque profugus. Recensetur progenies Cain. Adam gignit Seth, et Seth Enos.

1. COGNOVIT. Virgo Hebræis dicitur עלמה *alma;* quæ vox absconditam, seu *incognitam* significat. Hinc factum ut qui cum muliere congreditur, eam cognoscere dicatur.

Cain. Dicitur a קנה *Kana*, possedit.

Possedi hominem. Aucta sum homine, acquisivi sobolem.

Per Deum. Divino munere, ac beneficio.

2. *Rursumque peperit.* Rabbini putant ex eodem conceptu Evam peperisse gemellos, quia hic non repetitur *concepit*, sed tantùm, *peperit:* sed temerè ita sentiunt: Moses enim hic compendio utitur, et in verbo *peperit* præsupponit et subaudit *concepit.*

Abel. Propriè *Abel*, vel ut hebr. dicitur, *Hebel*, significat *vanitatem*, vel Eva nato suo celerem necem præsagiit, vel omnium hominum morti obnoxiorum conditionem significavit, quasi diceret: *Universa vanitas est omnis homo vivens.*

3. *De fructibus terræ.* Secundos et viliores fructus. Hi enim vocantur in Scriptura fructus terræ, contra quam Abel, qui primogenita et adipes obtulit.

4. *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Primum fuit causa secundi. Placuerunt munera, quia placuit Abel. Sacrificia enim vetera non placebant Deo ex opere operato, sed ex opere operantis. Patres sen-

tiunt igne de cœlo misso, qui absumpserit Abel sacrificium, declarasse Deum sibi illud placuisse. Itaque Theodotion vertit ἐνεπύρισεν, *inflamavit*, *incendit*. Oblatio Caïn intacta relicta est.

5. *Concidit vultus ejus.* Qui bene sibi conscii, et simpliciter ambulant, ambulant vultu erecto, et confidenter; qui verò livore contabescunt, et malum machinantur, frontem caperant, faciem obnubilant, et oculos in terram demittunt.

7. *Nonne si bene egeris, recipies?* Tum quietem, et gaudium conscientiæ, tum favorem meum, utque simili signo, et igne nimirum de cœlo misso, attester te tuaque munera mihi placere.

In foribus peccatum aderit. Id est, pœna peccati, quæ quasi canis aut Cerberus cubans fores obsidet peccati vindex. Canis hic est vermis conscientiæ, mentis turbatio et indignatio, ira Dei, omnesque ærumnæ præsentes et æternæ, quibus Deus peccata punit.

* *Culpam pœna premit comes*, ait Horatius.

Sed sub te erit appetitus ejus. In hebræo et apud LXX est, *ad te conversio ejus.* Sensus est: peccatum ejusque appetitus, et concupiscentia te sollicitabit ad consensum, sed ita ut ad te converti, et a te consensum petere et impetrare debeat. Id noster interpres ad sensum clarè vertit; *sub te erit appetitus ejus.* * Dici etiam potest cum D. Chrysost. hom. 18. in Genesim, τὸ *ejus*, referri ad Abelem, ut sit sensus: si bene egeris, Abelis voluntas tuo imperio subjecta erit, ut fratris minoris; quodam enim naturæ jure natu majores auctoritatem quamdam in minores obtinent.

8. *Interfecit eum.* Nescitur quomodo versu 11 terra dicitur bibisse sanguinem Abel; patet non præfocatum, sed quopiam lapide, aut alio telo necatum.

9. *Custos.* Cum indignatione loquitur, et quasi subsannans Deum: An ego fratris mei sum pædagogus?

10. *Quid fecisti?* Unico vocabulo ostendit se conscium perpetratæ rei.

Vox sanguinis .... clamat. Cædes injusta celerem et atrocem in conspectu Dei vindictam postulat.

11. *Maledictus eris super terram.* Terra erit tibi maledicta, et malignè parcèque tibi eam colenti dabit fructus suos. Hebræa habent, *maledictus tu de terra.* Vel etiam: maledictus, quia infelix, vagus et profugus super terram.

12. *Vagus et profugus.* Sceleris pœna et carnificina conscientiæ per incertas vagantem sedes exagitabunt.

LXX

LXX habent, *gemens et tremens*, significantes Cain animo consternatum, et corpore tremulum.

13. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Quàm ut ullâ pœnitentiâ veniam possim impetrare. Hebræus contextus habet, *major est iniquitas mea quam ut ferre eam*, scilicet possit Deus; non ut Rabbini, quam ego ferre possim; sumunt enim iniquitatem pro iniquitatis ipsius pœna.

14. *Ejicis me.* Quasi dicat: Meritò despero, nam video te meî curam abjicere, et privare solita providentia tua, quem nullibi tutò pateris consistere, vel ullam capere quietem.

A facie terræ. Ablegas me a facie terræ, ubì natus, et educatus; vel terra sumitur pro hominibus metonymice: et sensus est: facis me hominum odium, adeo ut nec illi me visu dignentur, nec eos ego ausim aspicere.

A facie tua abscondar. Quasi reus, præsentiam Dei judicis fugiam; vel cura, favore et tutela tua destituar.

Omnis igitur qui invenerit me. Nequeo effugere, quin ab aliquo mox interimar; omnis creatura in me insurget.

Occidet. Nec iram Dei, nec animæ mortem timet, sed solam vitæ hujus et corporis jacturam veretur.

15. *Septuplùm punietur.* Numerus finitus pro infinito. Graviùs punietur quàm tu, quia tuo exemplo deterritus non fuit quominus te de medio tolleret, quem in delicti tui pœnam et admonitionem superesse sic volebam, ut vitam pro supplicio, et mortem pro solatio haberes.

Posuitque Dominus Cain signum. Cujusmodi signum fuerit, ignoratur. Communior patrum doctrina est de corporis tremore cum quadam vultûs et mentis consternatione.

Ut non interficeret eum omnis. Ut nemo eum interficeret. Hebraismus.

16. *Habitavit profugus in terra.* Hebr. est, *habitavit in terra Nod.*

17. *Uxorem suam.* Filiam Adam sororem suam. Initio enim mundi necesse fuit sorores fratribus nubere. * Sane seu Azaa appellatam tradit D. Epiphanius, at D. Chrysostomus Ripham.

Ædificavit. Non jam, sed multis post annis, cùm Cain plures genuisset filios et filias, nepotes et neptes, qui Henochiam replere possent. Ædificavit autem ex rudi materia, et ferarum metu.

Henoch. Non a se Cain nominavit, quia nomen ipsius omnibus invisum.

19. *Duas uxores.* Primus polygamus Lamech legem monogamiæ latam Genes. 2. 24, violavit. Post diluvium cùm vita hominum esset brevior, et solus Noe cum suis superesset, ne nimis lentè propagarentur homines, indulsit Deus, ut plures liceret habere uxores, quod Abraham etiam et Jacob viri sanctissimi fecerunt. Rursus Christus, Matth. 19. 6, polygamiam sustulit.

20. *Pater habitantium.* Hebræi vocabulo *patris* solent significare quemvis artium inventorem, vel excellentem magistrum.

23. *Quoniam.* Non redditur ratio, sed simpliciter quid factum sit narratur.

Occidi. Traditio Hebræorum est, quam Hieronymus non respuit, occidisse Lamech Cainum tritavum suum, quem ab armigero adolescente indicatum, feram putaverat; quo errore cognito dolorem cædis in adolescentem effudit illo interempto. Hoc posito, sequentia facilè expediuntur.

Virum. Cain.

In vulnus meum. Armigerum venationis comitem.

In livorem meum. Ex livore contusionis ei meo verbere illato, e quo malè curato mortuus.

24. *Septuplùm ultio dabitur de Cain.* Quasi dicat : Scio mihi cædem illam non impunè cessuram, quia Deus prædixit graviter puniendum Caini occisorem. Ex hoc potestis colligere (uxores meæ) graviùs adhuc plectendum, qui, quod vos metuitis, me per injuriam interimeret. Nam Cain fratrem suum sponte occidit, nec pœnituit facti, et ideo dignissimus qui et ipse occideretur. Ego duos quidem occidi, sed avum invitus et ignarus, puerum illum nolens occidere, sed tantùm castigare, quòd me in fraudem induxisset, et utriusque facti me pœnitet, quare nemo me jam reum, sed pœnitentem, si occidat, punietur ipse septuagies septies.

Septuagies septies. Multò graviùs; ad hunc locum respexit Christus, Matth. 18. 22 : *Non dico septies, sed septuagies septies.*

25. *Seth.* Quod propriè *positionem* seu *fundamentum* significat. Nomen hoc instinctu Dei indidit, tum quia futurus fundamentum civitatis Dei pro Abel : tum quia figura Christi, qui fundamentum Ecclesiæ vocatur. Isa. 28. 16, et 1. Cor. 3. 11.

26. *Enos.* Significat hominem miserum, afflictum,

ærumnosum. Noverat Seth hanc futuram suorum, nempe justorum in hac vita conditionem.

Iste cœpit invocare nomen Domini. Sensus est, tunc temporis auctore et suasore Enos, cœpisse homines passim, et publicè certis cæremoniis, et conceptis precum formulis Deum colere.

CAPUT V.

Texitur genealogia Adæ per Seth usque ad Noe.

1. LIBER *generationis.* Enarratio continuatæ prosapiæ Adami usque ad Noe.

2. *Vocavit nomen eorum Adam.* Hic *Adam* est nomen speciei, non individui, itaque etiam Evæ convenit.

3. *Ad imaginem et similitudinem.* Sibi per omnia similem, in natura, corpore humano, anima rationali, etc.

4. *Genuitque filios et filias.* Certum est ante Seth saltem unam filiam habuisse, Caini uxorem.

5. *Mortuus est.* Bene Ecclesiasticus 14. 12: *Testamentum enim hujus mundi morte morietur.* Fuit autem illo ævo tam diuturna hominum vita Dei voluntate, et arcana cooperatione, ut homines citiùs propagarentur: contulit etiam bona corporis constitutio, victûs temperantia, vigor terræ, cujus fructus eo tempore succulentiores, benignus siderum aspectus, et ratio tuendæ valetudinis Adamo sapientissimo perspecta, et aliis communicata; scivit enim herbarum, ac stirpium vires, metallorum, etc.

22. *Ambulavit Henoch cum Deo.* Genus hoc dicendi significat vitam perfectam et inculpatam, divinæ consentientem voluntati. LXX habent, *placuit Deo.*

24. *Et non apparuit.* LXX, *et non inventus est*, quod secutus D. Paulus ad Hebr. 11. 5, habet, *et non inveniebatur.*

Quia tulit eum Deus. In alium locum transtulit. *Henoch*, inquit D. Paulus loco citato, *translatus est*, *ut non videret mortem.* Causa translationis habetur Sap. 40, quia dilectus Deo, et vivebat inter malos bonus, ne malis moribus innocens contaminaretur. Locum in quem translatus est indicat Ecclesiasticus, c. 44. 16: *Henoch*, inquit, *placuit Deo*, *et translatus est in paradisum*, *ut det gentibus pœnitentiam.*

29. *Iste consolabitur nos.* Vox Noe quietem et

consolationem significat; Noe autem quiescere fecit, et consolatus est homines. 1. Quia omnia retro acta opera, scilicet peccata, quieverunt per Noe, qui ea obruit diluvio. 2. Quia aratrum et alia instrumenta agriculturæ, artemque faciliorem colendi agros invenit. 3. Quia propter sanctitatem et sacrificium Noe post diluvium Deus benedixit terræ, cap. 8. 21, et 9. 1, quo factum est ut terra sic benedicta, minore labore mortalium fructus daret. 4. Quia inventor vini fuit, quod corda lætificat et consolatur. 5. Quia mundi post diluvium reparator, qui etiam mundo Deum, ejusque beneficentiam conciliavit, ex quo etiam Messias nasciturus, qui est quies et consolatio nostra.

31. *Cùm quingentorum esset annorum.* Non est credibile Noe usque ad annum 500 abstinuisse conjugio. Ergo alios ante Sem, Cham et Japheth genuit filios, qui mortui sunt ante diluvium. Post annum ergo 500 Noe genuit, id est, generare cœpit Sem, Cham et Japheth successivè, nec enim eodem anno hi tres simul geniti sunt.

CAPUT VI.

Homines omnis generis sceleribus corrumpuntur: Deus intentat orbi excidium per diluvium, et arca exstruitur.

1. CUMQUE *cœpissent homines multiplicari.* Priùs etiam cœperant multiplicari, sed nunc loquitur de multiplicatione in immensam multitudinem, cum qua pari passu nequitia et morum pravitas gliscebat.

Filias procreassent. Ante etiam natæ filiæ, sed nunc plures masculis, vel quòd profusa libidine vis generatrix esset debilitata, vel quòd medicamentis id curarent, ut singuli pluribus feminis fruerentur, vel demum divino consilio ad celeriorem et uberiorem humani generis proventum. Nec deest qui suspicetur ironicè etiam masculos hic filias vocari, quòd effeminati essent, et animis muliebribus.

2. *Filii Dei filias hominum.* Posteris Seth nomen filiorum Dei adhæsit propter illorum sanctitatem, religionem ac justitiam, aliarumque virtutum quasi splendentem in eis Dei imaginem. Cainitæ dicuntur filii hominum, quia terrena tantùm sapiebant.

Pulchræ. Hebr. *bonæ.* Notat D. Aug. l. 15. de Civ.

c. 23, in sacra Scriptura bonos solere vocari eos qui speciosi corpore sunt.

3. *Spiritus meus*. Spiraculum vitæ, quod illis inspiravi.

In homine. In hominibus istis, ut habent **LXX**; singulare pro plurali.

In æternum. Tam longo tempore, quàm permisi majores illorum vivere.

Quia caro est. Non naturâ, sed culpâ, et vitæ instituto, perinde vivunt ac si mens illis non ut rectrix, sed pro sale, ne putrescant, data esset.

Eruntque dies illius. Non loquitur de termino vitæ in communi hominum postea nasciturorum (quorum multi hunc terminum prætergressi), sed de termino vitæ perversi illius seculi hominum pessimorum, quos diluvio delere statuerat, quibus tamen ad pœnitentiam tam laxum spatium largiebatur centum et viginti annorum.

4. *Gigantes*. Vasti ac proceri homines, et virium fiduciâ in alios violenti, itaque Aquila vertit *οἱ βίαιοι*, *violenti*.

Postquam enim. Ratio cur gigantes geniti. Filii Seth, qui vocantur filii Dei, integerrimis erant viribus; hi filias Cain duxerunt uxores, eisque ut pulcherrimis summo amore et ardore libidinis agglutinati sunt; fecit autem libido ut natura omnem suam vim et potentiæ extremum exerceret: hinc homines vastissimi et validissimi prognati sunt.

Isti sunt potentes. Viribus corporis, scelere etiam, et flagitiis nobiles.

A seculo. Ab initio mundi.

5. *Multa malitia*. Continua, varia, vehementer et latè diffusa.

Intenta esset ad malum. In hebræo est: *Tantùm intenta esset ad malum;* quod verum est de hominibus pessimis illius ævi: vel etiam est hyperbole, ut cùm de peccatore, qui tamen aliquando bona aliqua facit, aut cogitat, dicimus, v. g.: Hic homo nihil cogitat nisi de ventre.

6. *Pœnituit eum*. Sinè pœnitentia sunt dona Dei, sed ita loquitur Scriptura per antropopathiam.

8. *Invenit gratiam*. Notus hebraismus, pro acceptior et gratior fuit Deo quàm cæteri.

9. *Justus atque perfectus*. Perfectione non patriæ, sed viæ, quæ excludit omne peccatum, non veniale, sed mortale, quæque in assiduo studio et profectu virtutum consistit.

In generationibus suis. Inter homines sui ævi, adeoque præ omnibus hominibus, qui tunc vivebant. Aliqui in generationibus explicant, in actionibus suis; hæ enim sunt quasi liberi quos parit homo totius vitæ suæ spatio et decursu.

Cum Deo ambulavit. Ut Henoch, de quo c. 5. 22.

11. *Corrupta est autem terra.* Metonymia, pro habitatores terræ.

Coram Deo. Verè.

Iniquitate. Fraude, calumniis, violentia.

12. *Omnis quippe caro.* Omnes homines, sic dicitur Isa. 40. 5 : *Videbit omnis caro pariter.*

Viam suam. Suam vivendi rationem, quæ ductum sequi debet rationis, et divinæ legis imperium.

13. *Finis universæ carnis venit coram me.* Instat dies decreta a me excidio hominum et animalium.

14. *Arcam.* Ipso nomine hebræo תבה, *theba*, significatur arcæ forma non navigii in morem, sed capsæ supra et infra latæ, et infra quidem non concameratæ, sed æqualis et planæ.

De lignis lævigatis. Hebr. de lignis גפר *gopher*, quod LXX verterunt, *quadratis ;* noster, *lævigatis*, id est, dolatis et politis ad aptiorem firmioremque compaginem. Alii vertunt, *de lignis Cedar*, nam cedrus in Syria frequens et longissimas dat tabulas, et incorruptibiles, et ex cedro factam arcam docent aliqui Patres. D. Hieronymus vertit, *ex lignis bituminatis*, id est, bituminosis et resinosis, vel bitumine illitis, vel liniendis : pinus autem et cedrus sunt resiniferæ.

Mansiunculas in arca facies. Hebraicè, *nidos facies arcam.* Sic etiam LXX, eò quòd in arca stabula parva, seu mansiunculæ nidulorum instar : has jubet per totam arcam fabricari variè, juxta singulorum animantium necessitatem, non pro solis avibus, ideo non vertit, nidulos.

Bitumine. Quod picis vicem implet, et odoratum etiam est; ideoque opportunè adhibitum (ut etiam cedrinæ tabulæ et trabes); nam in arca graveolentia ex fimo animalium angustè habitantium.

15. *Trecentorum cubitorum.* Cubitus continet pedem cum dimidio : arcæ longitudo decupla erat ad ejus altitudinem et profunditatem, totaque capacitas fuit cubitorum solidorum 450 millium.

16. *Fenestram.* Præcipuam unam, grandiorem, et pellucidam ex vitro, crystallo, vel lapide speculari, quod hebraica vox indicat , צהר *tzohar* , et græcum

διαφανὴς, ut vertit Symmachus. Hæc major fenestra nihil prohibet alias etiam minores fuisse.

Et in cubito consummabis summitatem ejus. Quasi dicat : Altitudinem ejus, puta fenestræ, facies unius cubiti ; vel sensus est : mensuram cubiti semper ad manum habe, et adhibe, donec arcam consummaveris, et perfeceris, omnia ad præscriptum modulum, et mensuram cubitorum præscriptorum exigendo. Alii : tectum arcæ ab extremitatibus medium versùs paulùm admòdum assurgat, ita ut tota declivitas a medio ad crepidinem unius tantùm sit cubiti.

Deorsum, cœnacula, et tristega facies in ea. Deorsum significat infimum tabulatum arcæ : cœnacula, tabulatum medium : tristega, id est, juxta græcæ vocis vim, tertium tectum, tabulatum tertium. Videtur habuisse arca tres contignationes, et partem imam, in qua fuerit saburra et sentina : super hanc in secunda erant animalia per cellas distributa : in tertia erat annona : in quarta aves et homines.

18. *Ponamque fœdus meum tecum.* Nempe iridem, vel potiùs : paciscar tecum tuam et tuorum incolumitatem. Hebr. *surgere faciam*, id est, stabiliam, opere complebo fœdus, nempe quod tecum de tua, tuorumque salute, quos diluvio eripiam, jam pepigi. Quando fuit fœdus hoc? Non omnia referuntur. Noster textus loquitur de pacto, quasi de re futura. Hebræus quasi de pacto jam facto, quod firmum fore pollicetur, et in opus conferendum.

19. *Ex cunctis animantibus .... bina.* Sermo est de terrestribus, quorum etiam aliqua naturâ fera, tamen Noe ut olim Adamo obedientia, et cum cæteris animalibus socialiter vixerunt in arca, nemini infesta. Quæ ex putri gignuntur, aut quæ ex specierum variarum commixtione, non sunt in arcam inducta. Amphibiis quæ diu terra carere non possunt, locus in arca assignatus.

20. *Ingredientur tecum.* Venient ad te scilicet sponte sua. * Dei instinctu, vel angelorum impulsu.

21. *Ex omnibus escis, quæ mandi possunt.* Hebr. *ex omni cibo, qui comedi solet ;* puta tam ab homine, quàm a bestiis. Itaque feræ carnivoræ etiam in arca carnes in cibum habuerunt.

CAPUT VII.

Noe cum uxore, filiis, animalibus arcam ingreditur, diluvium terram inundat.

2. SEPTENA, *et septena*. De speciebus mundis septem, non quatuordecim : de immundis duo, non quatuor : scilicet de illis quatuor masculos, et tres feminas ; de his duntaxat masculum et feminam. De mundis par unum inductum est ad speciei conservationem, alterum ad sacrificium, tertium ad esum post diluvium : denique septimus mas pro sacrificio offerendo statim a diluvio, c. 8. 20.

* *De animantibus verò immundis*. Non ex lege Mosis, quæ nondum lata erat, sed de iis quæ ad esum, vel ad sacrificia majorum traditione inepta habebantur.

3. *Ut salvetur*. Ut cunctarum specierum seminarium supersit.

4. *Adhuc enim, et post dies septem*. Hi septem dies supra præscripti temporis spatium additi, ut extrema saltem hac dierum hebdomada homines pœniteret, et moverentur exemplo Noe, qui verba non audierant.

Ego pluam. Videtur habere emphasim, quasi dicat: non siderum vi aliqua, aut ex causis naturalibus, sed absoluta mea potentia, et voluntate.

9. *Duo et duo*. Id est, per paria, seu bina.

11. *Mense secundo*. Qui hebraicè dicitur iiar, et ferè respondet nostro maio, saltem quoad posteriorem suî partem.

Rupti sunt. Vi aquarum disrupti, vel aperti sunt aquis ita exundantibus, ut omnia repagula fracta viderentur.

Omnes fontes abyssi magnæ. Omnes scaturigines abyssorum multarum; nam sub terra sunt multæ abyssi, id est, voragines et conceptacula aquarum. Vocantur autem una abyssus, quia aquæ illæ inter se per venas saltem aliquas communicant. * Vide Senecam naturalium Quæstionum lib. 3. c. 5 et c. 30.

Cataractæ cœli apertæ sunt. Sacra Scriptura dicit cœlum aperiri, quando pluit; claudi, quando negat imbrem. Luc. 4. 25. *In diebus Eliæ quando clausum est cœlum*. Sensus ergo est, a media regione aeris, quam cœlum vocat, tanto impetu vis aquarum maxima in

terras effusa est, ut aquæ, quasi subductis cataractis, in fluviorum morem descendere viderentur.

13. *Ingressus est.* Ultimatè scilicet et completè.

14. *Universæ aves, omnesque volucres.* Aves sunt quæ pennas habent; volucres, quæ alas sive pennis instructas, sive ex membranis formatas, ut vespertilio.

16. *Inclusit eum Dominus deforis.* Extrinsecùs ostium arcæ contra aquas, quod Noe arca inclusus facere non poterat, unde hebræa habent : *clausit Dominus pro eo.*

19. *Aquæ prævaluerunt.* Ita ut domos, urbes, etc., obruerent et solo sternerent.

20. *Quindecim cubitis.* Mensura idonea, ut nec gigantes, nec ullum animal in vertice montium servari posset, utque vasta arcæ moles inoffensa in aquis fluitaret.

CAPUT VIII.

Finis diluvii, egressus animantium ex arca, sacrificium Noe, et Dei promissio de diluvio non iterando.

1. ADDUXIT *spiritum.* Ventum vehementem, pollentem vi ad disjiciendum exsiccandumque, quem sacra Scriptura solet vocare urentem. Exod. 14. 21 : *Cùmque extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, et urente tota nocte, et vertit in siccum.* Tribuitur ista potestas aquilonibus. Pr. 25. 23 : *Ventus aquilo dissipat pluvias.*

2. *Clausi sunt fontes.* Desierunt erumpere, illi nimirum, qui ad vindictam fuerant reclusi : non autem qui ad terræ irrigationem, et potum animalium desiderabantur. Sed cataractæ cœli omnes clausæ, ut sudum cœlum et serenum esset.

3. *Euntes et redeuntes.* Fluctuantes, et huc illuc dilabentes, et ad subterraneam abyssum se recipientes.

Cœperunt minui. In fine centum et quinquaginta dierum adeo notanter imminutæ sunt, ut intuentibus palam esset illas decrescere et deficere.

4. *Requievitque arca.* Jam circa montium capita deficiente aqua, immota arca consedit.

Mense septimo. Non ab initio diluvii, sed anni, ut patet ex versu 13. et seqq. hujus capitis.

Super montes Armeniæ. Hebraicè est, *montes Ararat*, quod chaldæus vertit, *montes Cordis*, quos Jo-

sephus et Curtius *Cordiæos* vocant, et juxta quorumdam sententiam sunt pars montis Tauri.

5. *Ad decimum mensem*. Non a cœpto diluvio, sed ab anno 600 vitæ Noe, ut patet cap. præcedenti vers. 11, et hic vers. 13 et 14.

Apparuerunt cacumina. Priùs arca sedit in montibus suo pondere depressa, quàm montium cacumina aquis decrescentibus existerent.

7. *Egrediebatur, et non revertebatur*. In hebræo est, *corvus egrediebatur et revertebatur*, sensus est, corvum reversum a cadaveribus ad arcæ culmen, non autem ad Noe; vel egrediebatur et revertebatur ad loca in quibus degere priùs consueverat, jam liber revolans quò libuit. Aliqui ad verbum ex hebræo : *Corvus egressus est egrediendo, et recedendo, donec siccarentur aquæ super terram*, et sententia est egressum, et magis semper magisque recessisse, quod expressit noster interpres cùm dixit, *et non revertebatur*, hoc est, porro semper recedendo pergebat. * In montibus quamvis humentibus cadavera inveniebat, quibus pascebatur.

Donec siccarentur aquæ. Non significatur siccatis aquis corvum reversum; est Scripturæ phrasis; sic Matth. 1. vers. ult. dicitur : *Non cognoscebat eam, donec peperit*.

9. *Ubi requiesceret*. Quia omnia adhuc limo erant obsita.

Super universam terram. Exstabant cacumina montium : campestria et planities obrutæ erant aquis.

11. *Ad vesperam*. Toto pasta die ad comparem in hospitium notum redit, nocturno frigore vitando.

Ramum. LXX, *folium*, rami surculum supremum tenuiorem, quem scilicet columba rostro potuerit defringere.

13. *Imminutæ sunt aquæ*. Usque ad terram, ita ut terra sicca appareret.

Aperiens Noe tectum. Non totum, sed partem, tot tabulis remotis, quot ad explorandum terræ statum erant necessariæ; ex fenestra, quæ ad latus, non poterat ut ex tecto omnia latè circumspicere.

17. *Crescite, et multiplicamini*. Est benedictio, et propriè ad bruta dirigitur; nam de hominibus sequenti capite.

19. *Secundum genus suum*. Secundum speciem suam; hoc est, quilibet masculus cum femella suæ speciei.

20. *Ædificavit autem Noe altare*. Primum hoc est altare, quod legitur in Scriptura; tamen dubium non

est alia priùs exstitisse, ut illud in quo sacrificavit Abel. cap. 4.

Holocausta. Ex septimo illo mundorum animalium cœlibe, seu solitario masculo, de quo supra, cap. 7. 2.

21. *Odoratusque est Dominus*. De Deo loquitur more humano; delectantur enim homines nidore assarum carnium. Sensus est placuisse Domino sacrificium; itaque chaldæus habet, *suscepit Dominus cum beneplacito oblationem ejus*.

Ait. Hebraicè est, *locutus est ad cor suum*, id est, ad Noe, quem amabat quasi cor suum. Theodotion etiam vertit, *dixit Dominus ad cor suum*, εἶπε κύριος πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ: sic accipitur ab aliquibus illud Cant. 5. 2: *Ego dormio, et cor meum vigilat*; vel verte, *locutus est ad cor ejus*: hoc est, consolatus est Noe, hoc enim significat *loqui ad cor* in sacris Litteris, ut alibi dicetur.

Maledicam. Malefaciam terræ diluvio, ut jam feci.

Propter homines. Propter peccata hominum.

Sensus enim et cogitatio humani cordis. Hebraicè, *figmentum humani cordis*, seu, *et formatio humani cordis*, prona sunt ad malum, id est, figulina cordis humani valde prona est ad malum, atque ideo humanæ infirmitatis miserebor.

Ab adolescentia sua. Ex illa enim ætate (ait S. Ambros.) crescit malitia.

22. *Cunctis diebus terræ*. Non quandiu terra durabit (hæc enim stat in æternum), sed quandiu in terra erit generatio et corruptio, eruntque homines et animalia, propter quæ hæc temporum varietas inducta est.

Non requiescent. Non desinent sibi mutuò succedere.

CAPUT IX.

Deus Noe, ejusque posteris benedicit, esum carnis indulget, non tamen sanguinis. Homicidii pœnam sancit. Pactum init cum Noe de non inducendo amplius diluvio, pactique tesseram dat Iridem. Noe inebriatur, dormiens nudatur, ridetur a Cham, sed a Sem et Japhet tegitur; ideoque evigilans maledicit Cham; Sem vero et Japhet benedicit.

1. CRESCITE *et multiplicamini*. Eadem verba, cap. 1. vers. 23 de piscibus, et 8. 17. de brutis, non habent vim præcepti, sed imperativum sumitur pro futuro, crescetis et multiplicabimini.

2. *Terror vester.* Timent hominem feræ naturaliter: hic tamen aliquod, et quasi semiplenum in bestias dominium, quod per peccatum homines amiserant, restituit et confirmat Deus.

3. *Omne quod movetur.* Ante diluvium religiosiores saltem, quales Sethi filii, carnibus abstinuerant, fructibus, oleribusque contenti. Jam cunctis potestatem facit Deus, ut vescantur carnibus, quæ pleniùs nutriunt, cùm præsertim terræ vis eluvione, et infusa maris salsedine facta esset hebetior.

4. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Animal ergo jugulandum, effundendus sanguis, atque ita demum coctis carnibus vesci licebat. Præceptum hoc non juris naturalis est, sed positivi. Ita verò imperatum est, ut homines quàm maximè abstinerent ab effusione sanguinis humani, quem aliquos mortalium etiam potasse scimus. Abstinere ergo voluit a sanguine bestiarum; 1. ne ad hominis sanguinem sitiendum gradus fieret; 2. quia voluit Deus sanguinem, qui est quasi vita animalis, sibi soli auctori vitæ offerri in sacrificiis pro vita peccatoris, ut patet Lev. 17. 11; 3. quia sanguis brutorum est gravis, terrestris et multarum ægritudinum causa.

5. *Sanguinem enim animarum vestrarum.* Adeo volo humano sanguini parci, ut etiam bestias, quæ illum effuderint, sim puniturus, ut patet ex lege Exodi 21. 28, ubi Deus jubet bovem homicidam lapidari.

De manu hominis, de manu viri et fratris ejus. Tria inculcat, *hominis*, quem nomen, et natura humanitatis memorem esse jubet: *viri*, quem decet iræ dominari, et robore, ac potentia non abuti: *fratris*, cui frater amandus, non perdendus erat. * Dicitur frater, quia cognationem quamdam inter nos natura constituit, ut habemus *l. ut vim, ff. de justitia et jure.*

6. *Fundetur sanguis illius.* Id est, æquum est ut fundatur.

Ad imaginem. Quasi dicat: Si non movet te natura communis, imago mea permoveat, ne cœlestis regis vivum simulacrum demoliaris.

7. *Vos autem crescite.* Quasi dicat: Videtis me hac prohibitione velle consulere generis humani propagationi; quin ergo illi incumbitis?

Ingredimini super terram. Multiplicamini, ut quàm citissimè per universam terram ingredi, eamque occupare et replere possitis.

9. *Statuam.* Hebraicè est, *statuens*, id est, statuo

fœdus, promissionem scilicet de non inducendo ampliùs diluvio; cujus mox signum iridem statuit.

11. *Neque erit deinceps diluvium.* Puta universale, unde sequitur, *dissipans terram*, scilicet, universam.

12. *In generationes sempiternas.* In æternum. In hebræo est pro generationes *in peregrinationes*, quia vita hominis est peregrinatio super terram. Genes. 47. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt.*

13. *Arcum meum.* Arcus hic est iris; vocat suum, quia iris pulcherrima, et Dei rerum opificis magnificentiam repræsentat; quare dicitur in Eccl. 43. 12. 13. *Vide arcum, et benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Giravit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum.* Fuit iris ante diluvium signum naturale nubium roscidarum, et consequenter pluviæ, post diluvium verò et pactum hoc Dei cum Noe instituta est in signum supernaturale hujus fœderis de non futuro deinceps diluvio.

16. *Recordabor fœderis.* Par est enim homines conspecta iride diluvii recordari, et causæ ejus meminisse, peccatorum scilicet.

20. *Exercere terram.* Adam etiam, aliique mortales ante diluvium terram coluerant: sarculo fortasse, ac ligone, aut alio laborioso instrumento. Noe primus aratra excogitasse videtur, et faciliùs boum, ac jumentorum auxilio solum proscidisse.

Plantavit vineam. Vites, quæ ante erant, et ex quibus vinum non exprimebant, in ordines digessit, vineta constituit, succum expressit.

21. *Inebriatus est.* Citra peccatum, saltem lethale, quia vini vis adhuc illi ignota.

Nudatus .... in tabernaculo suo. Ut solent dormientes et ebrii, qui præ æstu tegumenta disjiciunt.

23. *Operuerunt verenda patris sui.* Sic patrum spiritualium et ecclesiasticorum peccata tegenda docet S. Gregor. 35. moral. c. 22.

24. *Cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor.* Vidit se alieno pallio tectum, quid factum esset quæsivit, et ex filiis cognovit.

25. *Maledictus Chanaan.* Chanaan filius fuit Cham hoc cap. num. 18: hic primus fertur vidisse avi nuditatem, et patri Cham indicasse; itaque in eum fertur maledictio, non odio personæ, sed spiritu prophetico, quid futurum esset, prænuntiante. Hæc autem a Mose dicuntur propter Chananæos a Judæis suis sedibus expel-

lendos. Punitur autem Cham, et Chanaan in suis posteris, qui majorum suorum impietatis fuerunt imitatores et hæredes.

Servus servorum. Id est servus infimus et vilissimus.

27. *Dilatet.* Japheth significat *dilatatum* : est ergo in hebræo allusio ad etymon Japhethi. Precatur Noe, ut posteri Japheth latè spargantur, et crescant, et amplas regiones occupent.

Et habitet in tabernaculis Sem. Deus scilicet, a quo bona omnia proficiscuntur ; * vel sensus est, posteri Japheth imperium suum extendant in posteros et filios Sem : quod factum est, cum gentiles europæi, et præsertim Romani a Japhetho genus ducentes, adjunxerunt ditioni suæ Judæam, quam filii Sem incolebant.

CAPUT X.

Noe posteri præcipui describuntur, a quibus gentes nobiliores ortæ et nominatæ, eorumque per orbem partitio.

1. Hoc cap. filiorum Noe generationes describuntur et quæ ex quibusque gentes ortæ sint : difficultas est, quæ nationes nunc respondeant nominibus, quæ hoc capite habentur. Sectabimur probabiliora ab aliis tradita, nam certi nihil habemus.

2. *Gomer.* Ab hoc nati perhibentur Gomari, seu Cimbri et Cimmerii.

Magog. Ab hoc Getæ et Massagetæ, scythicæ gentes et Tartari, de quibus Ezech. 38. et 39.

Madai. Hinc Medi.

Javan. Iones.

Thubal. Hispani, Iberi, tam qui in Europa, quàm qui ad Pontum Euxinum, sive hi ex illis, sive illi ex his oriundi sint.

Mosoch. Moscovitæ.

Thiras. Thraces.

3. *Ascenez.* Germani, Hebræi Germaniam hebraicè vocant Askenez.

Riphath. Paphlagones.

Thogorma. Turcæ.

4. *Elisa.* Itali, vel Fortunatarum insularum incolæ, nam insulæ Elisiæ dictæ.

Tharsis. Tharsenses.

Cetthim. Citrii, Cretenses, Cyprii.

Dodanim. Quasi Rhodanim, Rhodii.

5. *Insulæ gentium*. Hebræi omnes regiones, ad quas ex Judæa navibus itur, vocant *insulas*, sive verè sint insulæ, sive non. Jerem. 25. 22. Sophron. 2. 11.

6. *Chus*. Æthiopes.

Mesraim. Ægyptii.

Phuth. Libyes et Mauritani.

Chanaan. Chananæi.

7. *Saba*. Abyssini, sive Arabes Sabæi.

Hevila. Getuli in Africa, vel gentes quædam juxta sinum Persicum, et juxta Amalecitas. 1. Reg. 15. 7.

8. *Nemrod*. Vox *Nemrod* rebellem significat, et filio huic Chus aptè convenit; nam Dei contemptor fuit, et hominum tyrannus.

Ipse cœpit esse potens in terra. LXX vertunt, *iste erat gigas*, mole corporis, robore, audacia, superbia, crudelitate. Scholia græca, *βίαιος*, *violentus*.

9. *Robustus venator*. Non tam ferarum, quàm hominum, quia vi et insidiis homines captabat, opprimebat, necabat. Itaque venator idem est ac latro.

Coram Domino. Re vera talis, et eximiè talis fuit. Ita Joannes Baptista magnus coram Domino judicio Domini, qui falli non potest.

10. *Principium regni ejus*. Sensus esse potest duplex: vel caput regni ipsius fuisse Babylonem: vel ab ea initium regnandi captum: inde ad alia occupanda gradum factum fuisse. Nemrod videtur Belus Nini pater auctor idololatriæ.

Arach. Edessa.

Achad. Nisibis in Mesopotamia.

Chalanne. Seleucia, sive Ctesiphon regia Persarum.

Sennaar. Sic vocatur ager Babyloni circumjectus.

11. *Assur*. Ninus filius Nemrod, qui vocatur Assur per anticipationem, quia postea fuit rex Assyriorum.

Niniven. Civitas Assyriorum, cujus frequens mentio in libris Tobiæ et Jonæ.

Plateas civitatis. In hebræo est רחבת עיר *Rochoboth civitatem*, ut vertit Pagninus, sed vox hæc hebræa significat etiam latitudines; itaque bene vulgatus plateas civitatis interpretatus est.

12. *Hæc est civitas magna*. Non Chale, sed Ninive est civitas magna. Itaque est *ὕστερον πρότερον*, et ita ordinanda sunt verba: *Resen quoque inter Chale et Niniven; hæc est civitas magna.*

13. *Ludim*. Lydi, non illi, quibus Crœsus imperavit,

sed alii juxta Ægyptum, de quibus Is. 46. Ezech. 30. 5.

Laabim. Libyes in Africa.

Nephtuim. Numidæ.

14. *Phetrusim.* Arabes Petræi.

Chasluim. Philisthini, cum quibus Judæis perpetuum bellum.

Caphtorim. Cappadoces.

15. 16. *Hethæum et Jebusæum.* Nomina populorum, qui a filiis Chanaan prognati sunt. Hi sedes habuerunt in terra promissionis.

17. *Sinæum.* Incolæ deserti et montis Sina.

18. *Aradium.* Hinc urbes Aradus et Antradus juxta Sidonem, de quibus Ezech. 27. 8.

Samaræum. Incolæ urbis et regionis Samariæ, Samaritani.

Amathæum. Incolæ urbis Emath, quæ in scriptura est duplex, scilicet Emath major quæ est Antiochia, et Emath minor, quæ est Epiphania.

21. *Fratre Japheth majore.* Sensus est, de Sem, qui fuit frater major Japhetho.

22. *Ælam.* Unde Elamitæ, id est, Persæ.

Assur. Assyrii.

Arphaxad. A quo Chaldæi.

Lud. Lydii.

Aram. A quo Aramæi, sive Syri.

24. *Heber.* A quo Hebræi.

25. *Phaleg, eò quòd in diebus ejus divisa sit terra.* Phaleg enim hebraicè idem est quod *divisio*.

29. *Ophir et Hevila.* Hinc Indi, et variæ Indorum gentes.

31. *Secundum cognationes et linguas.* Dicitur per anticipationem; nam varietas linguarum nondum inducta, sed tunc terra erat labii unius.

CAPUT XI.

Turris Babel exstruitur, linguæ dividuntur, gentes disperguntur. Genealogia Sem texitur usque ad Abrahamum, qui ex Chaldæa jussu Dei migrat in Haram et Chanaam.

1. *Labii unius.* Omnes eodem idiomate, ac sermone utebantur.

2. *De oriente.* De Armenia, quæ Babyloni est orientalis. Inde proficiscebantur, vel quia jam illos terra non capiebat, vel quia melius solum quærebant.

3.

3. *Alter ad proximum.* Hebraicè, *vir ad virum*, id est, alter ad alterum.

Venite. Hebræi utuntur imperativis pro notis adhortandi, qualis Græcorum nota, quæ hìc est apud LXX, δεῦτε.

Lateres pro saxis. Pertinacia cum inopia luctatur: desunt lapides, coquuntur lateres: deest cæmentum calcis, substituitur bitumen.* Coctiles muri Babylonis dicuntur ab Ovidio: fragili circumdata tecto mœnia, a Lucano: figulis munita urbs, a Juven.

4. *Pertingat ad cœlum.* Hyperbole.

Celebremus nomen nostrum. Conatûs causa fuit cupiditas nominis æternandi. Non possunt a peccato excusari, qui insanam hanc molem excitare instituerunt, non solùm quia structura hæc ad inanis gloriæ cupiditatem spectat, sed etiam quia Nemrod illam excitare voluisse credibile est, ut suæ tyrannidis et impietatis arx esset.

5. *Descendit autem Dominus.* Deus loco moveri nequit, qui implet omnia: nostrî respectu dicitur descendere, quando per aliquem effectum nobis experimur, seu sentimus quasi propinquiorem.

Filii Adam. Terrigenæ, de limo creati. LXX, *filii hominum.*

6. *Donec eas opere compleant.* Ironia.

7. *Descendamus, et confundamus.* Sunt verba Dei quasi consultantis, et pertinacem stoliditatem detestantis. Rabbini putant hæc a Deo dici angelis; sed ista dicuntur ab una Trinitatis persona reliquis, ut potestate paribus. Quod hoc versiculo repetitur, *descendamus*, ita intellige; vers. 5. descenderat, ut videret, nunc descendit ut nova operatione sua linguas confundat.

Ut non audiat. Non intelligant invicem, non quidem singuli homines (sic enim nulla fuisset hominum societas), sed singulæ cognationes; tot enim fuerunt linguæ, quot familiæ sive cognationes.

8. *Atque ita divisit.* Ignoratio linguæ alterius cognationis eos diduxit, et varias regiones petere suasit.

9. *Babel.* Quæ vox *confusionem* significat.

Labium. Lingua, quæ fuerat omnibus communis, in una Heber familia servata est; hinc hebræa dicta.

11. *Filios et filias.* Quorum nomina tacentur, quia sunt extra lineam Messiæ.

31. *Sarai nurum suam.* Erat neptis Thare ex filio Aran, et alio nomine Jescha vocabatur, ut patet ex hoc cap. n. 29.

Eduxit eos de Ur Chaldæorum. Ur Chaldæorum urbs ab igne, qui fortasse in ea colebatur, nomen invenit; quod hìc dicitur Abram scilicet eductum ex Ur, sive ex igne Chaldæorum, habetur etiam 2. Esd. 9. 7: *Deus qui elegisti Abraham, et eduxisti eum de igne Chaldæorum.* Sensus est, eductum ex illa urbe, vel ex igne tribulationum et afflictionum, quæ a Chaldæis idololatris Abrahamo fideli intentabantur, vel ex igne et flammis; nam traditio Hebræorum est Abrahamum rogo addictum a Chaldæis, et in ignem injectum divino beneficio servatum esse; quam narrationem Hieronymus licèt ut fabulosam rejicere videatur, tamen postea approbat. Potest etiam verti de *ur Chaldæorum*, id est, de doctrina; nam noster *urim*, Exod. 28. 30, doctrinam interpretatur.

Haran. Cara Romanis: quem locum nunc etiam honorant Saraceni, quòd ab Abrahamo fuerit habitatus, teste Benjamino in Itinerario.

CAPUT XII.

Abram evocatus a Deo ex Chaldæa patria sua cum ampla promissione peregrinatur in Chanaan; deinde ob famem pergit in Ægyptum, ubi rapitur Sara a Pharaone, sed ob flagella a Deo immissa marito intacta restituitur.

1. DIXIT *autem Dominus.* Hæc Abram vocatio contigit in Ur Chaldæorum; est ergo hìc prolepsis. *Dixit autem*, pro *dixerat autem.* D. Stephanus, Act. 7. 2, asserit hanc vocationem contigisse in Mesopotamia, sed Mesopotamiam latè sumit ut comprehendat etiam proximam Chaldæam.

De terra tua. Chaldæa, solo natali.

De cognatione. Idololatris, qui te cognatione attingunt.

De domo patris tui. Si malint manere, desere etiam domesticos tuos.

Quam monstrabo. Abrahæ fidem Paulus commendat, quòd patriam reliquerit ignarus quò properaret. Heb. 11. 8.

2. *In gentem magnam.* Æquandam stellis cœli, et arenæ maris, opibus et dignitate insignem, et ex qua Servator mundi nasciturus.

Benedicam tibi. Congestis in te naturæ, gratiæ, externisque bonis.

Magnificabo nomen tuum. Ut cunctis seculis, et orbe toto sit clarum ae nobile.

Erisque benedictus. Nec te promissum meum frustrabitur.

3. *Benedicam benedicentibus*. Benefaciam bene de te merentibus, malefacientes tibi mulctabo malis.

In te benedicentur universæ. Id est, in semine tuo, quod semen (teste Paulo ad Gal. 3. 16.) est Christus: per hoc enim spirituale semen Abraham factus est pater omnium credentium.

5. *Loth filium fratris sui*. Filium Aran: erat ergo Loth frater Saræ uxoris Abrahæ.

Substantiam. Sic vocant Hebræi opes, quæ in pecoribus potissimùm sunt positæ.

Animas. Personas, capita: pars dignior pro toto, sicut: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, infra, cap. 14. 21; et Joan. 12. 25: *Qui amat animam suam, perdet eam*.

Quas fecerant. Scilicet suas, quas genuerant, educarant, aut etiam emerant, aut permutarant: filios, servos, ancillas.

6. *Ad convallem Illustrem*. LXX, *quercum excelsam*, vallem, ac planitiem robustis, ac proceris quercubus spectabilem.

Chananæus. Populus ille sic propriè dictus, ad distinctionem Hevæi, Pherezæi, Jebusæi, etc., qui et ipsi latiùs sumpto vocabulo Chananæi dicuntur.

7. *Apparuit autem Dominus Abram*. Per angelum scilicet in corpore assumpto.

Semini tuo. Carnali, quod ex Isaac descendet.

8. *Ad montem*. Aliqui putant esse Garizim, et Hebal, de quo Deut. cap. 27.

Bethel. Per prolepsim; nam ita appellata est postea a Jacob, infra, cap. 28. 19, cùm priùs diceretur Luza: dicitur contra orientem, quia mons erat orientalis ipsi Bethel.

Ab occidente habens Bethel. Hebraicè, *a mari habens Bethel*, mare enim Mediterraneum respectu Judææ et Bethel est ab occasu.

9. *Ad meridiem*. Hebr. *ad austrum*, quod etiam solet explicari voce deserti, ut hìc vertunt LXX. In Scriptura ergo meridies, auster et desertum, quod ad situm attinet, idem significant.

10. *Descenditque*. Promissionis terra est altior Ægypto; ideo ad hanc ex illa proficiscentes descendere: ex Ægypto verò in Judæam ascendere dicuntur.

In Ægyptum. Fortasse in Ægypto sola fames non

grassabatur ; vel in Mesopotamiam redire non licebat, Deo prohibente.

Ut peregrinaretur. Non ut habitaret, spem enim promissæ sibi terræ nunquam abjecit.

11. *Novi*. Noverat audaciam et incontinentiam illius populi; quare non vana suspicio.

Pulchra. Ut minimùm erat sexaginta quinque annorum, sed vel seriùs illo ævo senectus sentiebatur, vel divino beneficio vigor corporis et decor servabatur.

13. *Dic.... quòd soror mea sis*. Quo sensu Sarai Abrahami soror esset explicat ipse Abrahamus, Gen. 20. num. 12.

Ut bene sit mihi. Ne occidar. Non potest Abraham vocari in suspicionem proditæ pudicitiæ uxoris suæ. Sibi consuluit ne occideretur, nihil mentitus, reliqua providentiæ Numinis, cui se curæ esse sciebat, permisit. Et fortasse ita fecit, ac locutus est, Dei instinctu, quod graves auctores affirmant. Adde Abrahamum potuisse multùm confidere Saræ castitati, cujus pudicitiam et animi constantiam perspectam habebat. * Molesta sanè peregrinanti sarcina mulier formosa.

* 15. *Nuntiaverunt principes*. Ut solent aulici etiam lenocinio gratiam sibi regum quærere.

* *Pharaoni*. Nomen Pharaonis Ægypti regibus mansit usque ad tempora Ezechielis, quem vide c. 32. 2.

In domum. Non ad stuprum, sed ut esset uxor, saltem secundaria.

16. *Bene usi sunt*. Pharao multa in illum tanquam in sororium beneficia contulit.

17. *Flagellavit.... Pharaonem*. Non ut adulterum; nam ignorabat conjugatam; sed ut tyrannum, quia invitam rapuisset.

Plagis maximis. Quænam fuerint hæ plagæ, non dicitur in Scriptura. Aliqui putant fuisse fluxum seminis, et impotentiam copulæ in Pharaone. Alii pestilentiam, aut tumultum, seditionesque populares. Alii morbos doloresque gravissimos : alii sterilitatem tam hominum, quàm animalium. Ex hoc patet quàm verum sit quod dicitur in psalmo 145 : *Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet*.

Et domum ejus. Aulicos, familiares, quorum indicio abducta Sara; hos enim ut participes sceleris, ita pœnâ vacuos esse non decuit.

18. *Quòd uxor tua esset?* Vel ipse suspicatus est, et ipsâ Sarâ interrogatâ veritatem cognovit; vel Deus Pharaoni plagarum causam aperuit.

19. *Ut tollerem*. Ut non dubitarem eam mihi tollere in uxorem.

CAPUT XIII.

Reversus Abram ex Ægypto, a Loth propter pastorum rixas separatur. Loth Sodomam, Abram Chananæam petit, quam ejus semini Deus iteratò pollicetur.

1. *Ad australem plagam.* Rediit Abram in Bethel, unde exierat. Is locus australis est respectu Judææ; ad hanc enim semper plagas mundi accommodat Scriptura, ut pote Judæis scripta.

2. *Dives.* Hebr. *gravis*; nam divites multa secum trahunt onera et impedimenta.

Auri et argenti. Quibus a Pharaone locupletatus.

4. *In loco altaris.* Fortasse post discessum ejus a Chaldæis destructi, vel ab ipsomet Abram, ne idololatræ illud contaminarent.

5. *Tabernacula.* Tentoria, seu papiliones. *Casulas* vocat S. Paulus ad Hebr. 11. 9. Loth individuus Abræ comes, ideoque illi benedixit Deus.

6. *Nec poterat eos capere terra.* Propter gregum multitudinem.

7. *Facta est rixa.* Quia sibi quilibet pascua uberiora, et meliores aquationes vindicabat.

Inter pastores. Non inter dominos.

Chananæus et Pherezæus. Ut intelligas tantò periculosiorem dissensionem fuisse, quòd cincti essent impiis et efferis hominibus, promptis ad injuriam inferendam, et coram quibus non decebat fideles rixari.

8. *Ne, quæso.* Adhuc nullum inter illos jurgium fuerat, sed vix poterat evitari rixarum occasio nisi separatione.

Fratres enim sumus. Id est, propinqui. Loth erat filius fratris Abram.

9. *Universa terra.* Ista Chananæorum, in qua sum jussus degere.

Coram te est. Habitatores parati sunt quam voles plagam habitandam vendere, vel locare. * Dat Loth optionem eligendi. Vetus est lex : Major dividat, minor eligat.

10. *Sicut paradisus Domini.* Hebr., *sicut hortus Domini*, quem scilicet Deus Adamo instruxerat et adornaverat. Gen. 2. 8.

Sicut Ægyptus venientibus in Segor. Sensus est : tota Pentapolis ante subversionem, maxime a loco, in quo tunc erat Abram, eundo versùs Segor, irrigua erat, et fertilissima, sicut paradisus et sicut Ægyptus, quam Nilus fecundat.

11. *Elegitque sibi.* Vetus est consuetudo ut in erciscunda familia major dividat, minor optet, quod laudat D. Ambr. lib. 1. de Abraham, c. 3, et D. August. de Civit. lib. 16, c. 20. Permisit tamen Deus Loth decipi, ut bono exemplo Lothi Sodomitæ ad virtutem provocarentur, et promissio Abræ facta impleretur, et nos moneremur amœniora non præferre salutaribus.

Recessit ab oriente. Hysteron proteron : priùs digressi sunt quàm Loth recederet ab oriente ; hoc tamen priùs narratur. Recessit autem ab oriente, nam perrexit Sodomam versùs, quæ totius Pentapoleos maximè occidua fuit.

A fratre suo. Propinquus a propinquo. Loth erat filius fratris Abram, ut dictum est.

12. *Moratus est.* Magna justi Loth laus est mansisse incontaminatus inter scelestissimos, quo nomine laudatur 2. Petri 2. 7.

13. *Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino.* Quid significet formula illa dicendi *coram Domino*, dictum est supra, c. 10, n. 9. Peccatorum horum originem explicat Ezechiel, c. 16. 49.

15. *Omnem terram quam conspicis.* Probabile est Deum, vel angelum vice Dei totius illius terræ, et partium illius speciem objecisse Abramo, sicut ostendit eam Mosi a monte Phasga, Deut. 34. 1, et Christo tentator, Matth. 4. 8.

Tibi dabo et semini tuo. Particula *et* habet vim explicandi, et sensus est : dabo tibi in semine tuo, dabo in tuî gratiam.

In sempiternum. Quandiu durabit Hebræorum respublica : vel promissio conditionem habet, si officium fecerint, honestatem justitiamque coluerint ; vel etiam ultra respexit Deus ad terram viventium, et spirituale semen Abræ. Vide Roman. 4. 16, et c. 9. 8.

16. *Sicut pulverem terræ.* Est hyperbole ; plurimus tamen fuit populus ille : longè verò plures qui spirituale semen Abræ sunt. * Eâdem dicendi formulâ dicunt Græci ἴση κόνις, et ψαμμοκοσια.

17. *Perambula.* Non præcipit, sed offert, quasi dicat : Si vis scire quanta sit hæc terra et qualis, perambula eam, miraberis et gaudebis. * Possessio etiam capitur terræ inambulando. *l. possideri*, § 1. *de acquir. posses.*

18. *Juxta convallem Mambre.* Fuit planities roboreis silvis consita, similis convalli Illustri : in hac fuit ilex, seu quercus illa nobilis, dicta *quercus Mambre.* Nomen accepit vel ab urbe Hebron quæ et Mambre dicta c. 23,

in fine, vel a viro quodam principe, de quo cap. 14, num. 15.

In Hebron. In territorio Hebron, juxta Hebron.

Ædificavitque ibi altare Domino. Abram religiosus ubique Domino erigit altaria, dicitque Domino : *A te principium, tibi desinet.*

CAPUT XIV.

Babylonii bello superant Pentapolitas. Loth capitur, sed liberatur ab Abram, qui dat Melchisedecho decimas, et ab eo benedicitur.

1. REX *Sennaar.* Babylonis. Vide Gen. c. 11. 2.

Rex Ponti. Non illius Euxini, sed alterius vicinioris. Sunt qui putent esse civitatem Cœlesyriæ, quæ a Stephano, de Urbibus, dicitur Hellas; quæ mera est conjectura.

Rex Elamitarum. Rex Persarum, qui Elamitæ dicuntur in Scriptura.

Rex gentium. Vel rex Galilææ, quæ Gentium dicta est, ut censet Masius, Josue, c. 12. 9. Vel hìc gentes accipiuntur pro erronibus et profugis ex variis gentibus quibus asylum in suo regno dederit hìc Thadal.

3. *In vallem Silvestrem.* Amœnam, et instar nemoris pulchris arboribus condensam.

Mare Salis. Qui locus ab Hebræis vocatur etiam *vallis Salinarum* aut *mare Mortuum.*

4. *Recesserunt.* Rebellarunt.

5. *Qui erant cum eo.* Qui illi erant fœderati.

Raphaim. Hæc vox gigantes significat. Hi habitarunt in terra Basan, quæ ideo dicta *terra Gigantum.* Deut. 3. 13.

Astarothcarnaim. Dianæ, vel Junonis bicornis urbem, nam Carnaim bicornem significat. Sunt tamen qui a bicorni seu bicipiti monte dictam putent Astarothcarnaim, quòd in eo sita esset.

Save. Aliqui vertunt *planitiem.* Videtur fuisse urbs in planitie ad mare Mortuum.

6. *Montibus Seir.* Hi sunt montes Edom in Gabalena regione, postmodum habitatio Esau.

7. *Fontem Misphat.* Fontem Judicii, ita dictus quòd ibi Judæi contra Mosen et Aaron murmuraverint, jurgati sint, et velut judicio expostularint; ideo etiam dicitur aqua Contradictionis : ibidem Deus Mosen et

Aaron propter incredulitatem damnavit, ne terram promissionis ingrederentur. Postea cùm illic, miraculo edito, Deus fuisset sanctificatus, locus dici cœptus est Cades. Vide Num. 20. 12.

Amalecitarum. Qui postea ab Esau nepote sic vocati, Genes. 36. 16. Sensus ergo est: regionem, quam postea Amalecitæ possederunt.

Asasonthamar. Urbem Palmarum, quæ fuit Amorrhæorum, urbem etiam Engaddi vocatam.

10. *Puteos multos.* Hebr. *puteos*, *puteos*: geminatio vocis copiam puteorum significat, ut illud Psalm. 121. 4: *Illuc enim ascenderunt tribus*, *tribus Domini*, id est, omnes tribus. Quinque reges elegerunt hunc locum, quòd periculosus esset hostibus ignaris horum puteorum.

Cecideruntque ibi. Non ipsi reges Sodomæ et Gomorrhæ (hi enim fugerunt, et evaserunt, ut patet n. 17), sed eorum milites, quorum pars capti, pars cæsi, pars in puteos bituminis delapsi.

12. *Necnon et Loth.* Vel in prælio captum, vel inermem in urbe inventum; haud dubiè pœna electionis parum sapienter institutæ, et moræ inter improbos, ut aliqui patres sentiunt.

13. *Abram Hebræo.* LXX, τῷ περατῇ, id est *transitori.* Sentiunt enim hebræum dici a voce עבר *havar*, quæ transire significat; et hanc etymologiam secuti dicemus Abramum vocari transitorem, et hebræum, quòd Euphratem transisset. Alia est sententia dici Hebræos ab Heber, a quo descendebant, et cujus idioma retinebant.

14. *Numeravit.* Non numeravit tantùm, sed etiam selegit. Hebræa significant, expedivit initiatos, vel instructos suos, quos scilicet jam ferrum et arma tractare docuerat, ut peregre habitans se tutum præstaret ab injuria.

Trecentos decem et octo. Tot postea patres in Concilio nicæno.

Vernaculos suos. Servos domi suæ natos.

Usque Dan. Urbs Dan tempore Abræ et Mosis vocabatur Lais, vel Lesem, et ita scripsit Moses: sed qui hæc diaria Mosis digessit pro Lais substituit Dan, quo nomine post Mosen vocata est, Josue 19. 47. Alii putant spiritu prophetico Mosen scribere nomen urbis, quod postea erat acceptura.

15. *Divisis sociis.* Abram unam turmam duxit: socios tres, puta, Aner, Escol, et Mambre in tres, ut videtur, turmas divisit, ut omnes effugii vias hosti præ-

cluderet, utque a quatuor partibus eos adoriens percelleret, opinantes a magno exercitu se undique cingi, atque in somno veternoque sepultos opprimeret.

17. *In occursum ejus*. Ut gratias ageret et impetraret sibi reddi cives suos.

Vallis Regis. LXX addunt Melchisedech, vel quòd ita dicta ob occursum hunc regis Melchisedech, vel quòd ibi essent ejus deliciæ, vel tandem, quòd amœnitate digna esset rege.

18. *Melchisedech*. Aliqui putarunt Melchisedech esse Sem filium Noe, sed Sem genealogia texitur in Scriptura; Melchisedech autem est sinè genealogia, ut ait D. Paulus ad Hebr. 7. Fuit ergo aliquis ex regulis Chananæorum, qui inter impios piè vivebat, et justè, et bene illi nomen, quod ferebat, conveniret; nam Melchisedech significat regem justitiæ. Porro Melchisedech fuit Christi typus, quia uterque rex justitiæ, uterque rex Salem, id est, pacis, uterque sinè genealogia; nam Christus patrem non habuit in terris; uterque quasi æternus inducitur in Scriptura; tandem uterque sacerdos et pontifex.

Rex Salem. Rex Jerusalem, quæ priùs Salem et Jebus dicta.

Proferens panem et vinum. Ad sacrificium, quia erat sacerdos, partem panis suo ritu sacrificavit, v. g., cremando; partem vini libavit, effundens Deo in gratiarum actionem pro victoria; deinde reliquam panis ac vini partem in milites Abræ libandam, id est, participandam et comedendam distribuit; hic enim mos erat sacrificii pacifici.

Sacerdos. Vox hebr. כֹּהֵן cohen, propriè sacerdotem significat: abusivè verò et rarò principem, quod sequentia clarè ostendunt; nam additur: *Dei altissimi*. * Mos olim fuit ut iidem reges essent et sacerdotes. Virg. 3. Æn. *Rex Anius, rex ipse hominum Phœbique sacerdos*. Ubi servius: *Sanè majorum hæc erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos vel pontifex*.

19. *Benedixit ei*. Major minori, Melchisedech Abramo, formulâ usus, quæ hic habetur.

20. *Dedit ei decimas*. Abram Melchisedecho, ut patet ad Hebr. 7. 4.

Ex omnibus. Spoliis.

21. *Da mihi animas*. Cives et subditos meos captivos.

22. *Levo manum meam*. Jurantis habitus.

23. *A filo subtegminis*. Id est, ne minimum quidem accipiam. Vox *subtegminis* non est in hebræo, sed ad-

dita a nostro interprete, explicationis causâ. Subtegmen est filum, quod sub stamine texitur.

Usque ad corrigiam caligæ. Caliga est calceus.

Ne dicas : Ego ditavi. Ne jactes me ex tuis incommodis mea quæsisse commoda : aut jactes me amore munerum tuorum tibi suppetias ivisse : quia nihil tale suberat in muneribus Pharaonis, cap. præcedenti, ea recepit.

CAPUT XV.

Cum Abramo Deus fœdus icit, et pollicetur eidem filium Isaac, et ex eo semen, et liberationem ex ægyptiaca servitute, et terræ Chanaan possessionem.

1. *EGO protector tuus.* In hebræo est, *ego sum clypeus tuus, in morem clypei ego te protegam*, sic psalm. 5. 14 : *Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos ;* LXX habent : *hyperaspistes tuus*, id est, ego scuto te protego.

Et merces tua. Fortiter te, sapienter, ac piè gessisti ; mercedem feres ; ego qui sum bonorum oceanus, præmium tuum ero ; æterna habebis bona, et externis etiam hisce abundabis. Hac mercede lætabatur David, cujus illa vox : *Dominus pars hæreditatis meæ.* Psalm. 15. 5, et mentitur iniquitas sibi, cùm ait apud Malach. 3. 14 : *Vanus est, qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum ?*

2. *Quid dabis mihi?* Quasi dicat, credo te mihi multa bona daturum, sed cujus illa tandem erunt, cùm liberis caream ? Sciebat Abram sibi a Deo, qui non fallit, promissam prolem, sed timet ne promissio culpâ suâ excidat ; et amor, ut assolet, timorem auget.

Filius procuratoris. Hebr. בן משק *ben mesech.* Variè vertitur et exponitur, id est, *filius mesech*, quæ est ancilla mea oriunda Damasco. 1. *Filius relictionis domûs meæ.* 2. Is, cui curam omnem rei familiaris meæ reliqui et commisi. 3. *Filius excusationis*, vel *discursionis domûs meæ*, id est, œconomus qui per domum discursat, ut omnibus prospiciat. 4. *Filius potum dantis domui meæ*, quod etiam procuratorum est, qui cibum et potum familiæ præbent.

Iste Damascus Eliezer. Servus hic meus, cui nomen Damascus filius Eliezer, vel Damascenus, quòd matre damascena natus : hebr. דמשק *dammasech*, et

videtur præfixa littera daleth loco litteræ he demonstrativæ, quod Syri solent, et nihil aliud significare, quàm *iste procurator*.

3. *Vernaculus meus*. Servus domi meæ natus.

5. *Numera stellas*. Ex hoc loco habemus stellas tot esse, ut nobis earum numerus iniri non possit, et decipi astrologos qui 1022 esse autumant stellas fixas ; nam fistulæ dioptricæ recens inventum multò plures deprehendit.

Sic erit semen tuum. Non solùm carnale, de quo modò sollicitus es, sed multò magìs spirituale.

6. *Credidit Abram Deo*. Quamvis ardua promittenti, prolem scilicet ex uxore anu.

Reputatum est illi ad justitiam. Hebr. *et reputavit illam*, scilicet fidem, Deus, illi ad justitiam majorem, ut coram Deo justior appareret et esset.

7. *Possideres*. Per tuos posteros.

8. *Unde scire possum*. Non dubitat, qui ita crediderat, ut reputaretur ei ad justitiam ; sed vel rei modum scire vult, vel ita promissionem vult confirmari, ut nullis posterorum demeritis illam irritet; vel petit signum non tam sibi, quàm posteris.

9. *Vaccam triennem, et capram trimam*. Vult offerri animalia hæc trima, quia tertio ætatis anno sunt perfectâ staturâ et robore.

Columbam. Hebr. *pullum columbinum*.

10. *Divisit ea per medium*. Fidit ea secando a capite ad caudam. Ritus feriendi fœderis. Hæc enim animalium dissectio erat pro diris in fœdifragos, ut ita dividerentur. Retentus postea hic mos ut indicatur Jerem. 34. 18 : *Qui prævaricantur*, inquit, *fœdus meum, et non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones ejus*.

Partes contra se. Altrinsecus opposuit medietates quadrupedum invicem respondentes, relicto spatio intermedio ad transeundum.

Aves autem non divisit. Quia non faciebant ad fœdus, sed tantùm ad sacrificium.

12. *Sopor irruit super Abram*. Sopor hic partim fuit naturalis ex labore diurno occidendi, dividendi, sacrificandi victimas, et abigendi volucres ; partim fuit a Deo immissus, sicut Adæ soporem immisit, Genes. 2. 21 ; et est utrobique in textu hebræo eadem vox תרדמה *thardema*, quam LXX vertunt, *ecstasim*. In ecstasim ergo raptus Abram, vidit posterorum suorum in

Ægypto servitutem, idque videns angore et horrore correptus est.

13. *In terra non sua*. Partim in Ægypto, partim in Chananæa.

Et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. Hi 400 anni partim referendi sunt ad illud, *affligent*, partim ad illud *peregrinum erit semen tuum*. Sensus ergo est: fluent anni 400 quibus Isaac, et posteri tui partim peregrini erunt hìc in Chanaan, et in Ægypto, partim in Ægypto servient et affligentur. Porro in Ægypto habitarunt Hebræi annis 215.

14. *Judicabo*. Gravissimè puniam plagis maximis. Exod. 7. et seqq.

Cum magna substantia. Suis opibus, et Ægyptiorum, quos spoliabunt.

15. *In pace*. Morte placida et quieta.

In senectute bona. Annorum centum septuaginta quinque.

16. *Generatione autem quarta*. Id est, quarto seculo, sive quarto centenario annorum, puta post 400 annos.

Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Notanda Dei longanimitas in puniendo. Scelera Amorrhæorum et Chananæorum (ut patet Lev. 18. et Deut. 6. et 12.) fuêre præcipuè tria. Primò idololatria, qua etiam proprios filios igne comburendos diis immolabant. Secundò injustæ oppressiones peregrinorum et pauperum. Tertiò promiscua matrimonia cum consanguineis et cognatis, et nefanda libido cum maribus et bestiis.

17. *Facta est caligo*. Hæc omnia vidit Abram in ecstasi, ut habent LXX num. 12.

Clibanus fumans. Videtur fuisse imago ægyptiacæ servitutis, quam servierunt in luto et lateribus quos in fornacibus igni durabant. Itaque hæc eorum servitus vocatur *fornax ferrea Ægypti*. Deut. 4. 20.

Lampas ignis. Deus, cujus imago est lampas ista, per divisiones transit more fœdera pangentium. Transiit et Abram; ita fœdus firmatum: omnia hæc in visione sibi videre visus est Abram.

18. *A fluvio Ægypti*. Sic vocat fluvium, seu rivum potiùs Nili inter Pelusium, et Rhinocoluram in mare defluentem, qui solet etiam vocari torrens deserti, et Ægypti.

Usque. Ponit duos fines terræ promissionis, ab aquilone Euphratem, ab austro hunc Ægypti fluvium: reliquos duos fines habes, Num. 34. 6 et 10.

Euphraten. Fortasse tempore Davidis et Salomonis usque ad hunc fluvium israeliticum regnum se porrexit. Vel certè implenda fuit promissio, nisi peccata impedivissent.

19. *Cinæos.* Undecim gentium hìc terra promittitur, quam tamen non possederunt peccatis eorum obstantibus; nam leges et conditiones pacti cum Deo initi non servaverunt.

CAPUT XVI.

Agar Abræ in uxorem data, concipit, fugit in desertum, redit, et Ismaelem parit.

2. CONCLUSIT. Sterilem fecit, concipiendi vi privavit.

Ingredere. Nubat tibi : sic honestè Hebræi congressum cum muliere explicant.

Ex illa suscipiam Hebr. *si quo modo ædificer ex ea.* Ædificationis metaphora generationem filiorum significat. Sic Exod. 1. 21, dicitur de obstetricibus : *Ædificavit eis domos.*

Deprecanti. Ægre castitatis amator ad polygamiam inducitur, quæ tamen licita illo ævo.

3. *Tulit Agar Ægyptiam.* Genere Ægyptiam, sed religione Hebræam, Sarai a Pharaone donatam, ut putat D. Chrysostomus.

Uxorem. Legitimam quidem, sed secundariam. Hujusmodi vocantur in sacris litteris concubinæ.

4. *Despexit.* Non cujusvis est meliorem bene ferre fortunam.

5. *Iniquè agis contra me.* Hebr. *Injuria mea super te est*, id est, tibi, qui non prohibes, imputanda.

In sinum tuum. Ut esset uxor tua.

Judicet Dominus. Num æquum sit injuriam meam a te dissimulari. Non postulat Sara a Deo vindictam, sed illi causam suam committit.

6. *Utere eâ ut libet.* Non permittit sævire, sed justo modo compescere.

Affligente. Coercente

7. *Angelus Domini.* Deus vel Agar oratione permotus est, vel potiùs id meritis Abram tribuendum, cujus prolem Deus volebat conservatam.

In via Sur. Desertum Sur situm est inter Cades et Barad, et extenditur usque ad mare Rubrum Ægypto conterminum ; fugiens Agar petebat patriam suam Ægyptum.

8. *Ancilla Sarai.* Conditionis admonet, ut agnoscat errorem.

A facie Sarai. Hebraismus, facies pro persona.

9. *Sub manu.* Illius potestati et correctioni te subde.

10. *Multiplicans, inquit, multiplicabo.* Plurimùm multiplicabo.

11. *Eò quòd audierit.* Nam Ismael idem quod *exauditio Dei.*

Afflictionem tuam. Sitim, laborem, lassitudinem, formidines, qui comitatus prægnantis, et in solitudine fugientis.

12. *Ferus homo.* Vox hebr. פרא *phere*, onagrum significat, ut hìc vertit chaldæus. Noster interpres eamdem sententiam expressit, et ad sonum hebraicæ vocis allusit. Erit instar onagri ferus, intractabilis, solivagus et incertis sedibus errans. Nec de Ismael tantùm hæc vera sunt, sed etiam de posteris ejus; tales enim Agareni et Saraceni.

Manus ejus contra omnes. Ipse omnes infestabit, et ab omnibus infestabitur.

E regione. Ex adverso; habitavit enim Ismael in deserto Pharan directè contra habitationem Isaac, et reliquorum filiorum Abram. In hebræo est, *coram omnibus fratribus suis*, quod significare potest : aspectantibus Cethuræ filiis, neque impedire valentibus extendet fines suos.

Fratrum suorum. Isaac, et filiorum Abram ex Cethura.

Figet tabernacula. Arabes plerique adhuc hodie degunt in papilionibus seu tentoriis, ut et olim. Hæc sunt tabernacula Cedar, Cantiq. 1. 4.

13. *Vocavit.* Invocavit. Chaldæus, *oravit in nomine Domini.*

Domini qui loquebatur. Dei, cujus personam loquens angelus repræsentabat.

Qui vidisti me. Misertus es meî, aspexisti afflictionem meam.

Dixit enim. Agar intra se cogitavit; nam redditur ratio cur gratias egerit.

Profectò hìc. Quasi dicat : Minùs mirarer, si Deum habuissem propitium in domo domini mei Abram : sed obstupesco, quòd etiam in hoc deserto mihi præstò esse dignatus fuerit.

Vidi posteriora videntis me. Angelus non faciem suam Agar ostendit, sed ab illa aversus eam est allo-

cutus; id ita factum, ut significaretur faciem non tantùm essentiæ divinæ, sed etiam gloriæ corporis a Deo assumpti non posse capi ab oculo mortali. Vel etiam quia Agar imperfectè Deum cognoscebat, et diligebat, ut pote quæ obedientiam heræ suæ, Deumque ipsum fugiebat, ideoque necdum reversa, aut ad illum conversa, vicissim ei Deus non faciem, sed tergum suum ostendit.

14. *Appellavit*. Vel ipsa Agar, vel indefinitè quisquis hoc nomen imposuit puteo.

15. *Peperitque*. Postquam domum reversa veniam a dominis impetravit.

Vocavit. Credens Agar ipsi affirmanti hoc nomen ab angelo inditum.

16. *Octoginta et sex annorum*. Hebr. *filius octoginta et sex annorum*. Frequens locutio pro, erat homo natus tot annos, nam solent vocem *filius* præponere, quando ætatis annos volunt indicare.

CAPUT XVII.

Renovat Deus fœdus, quod cum Abram percusserat c. 15, fœderisque signum instituit circumcisionem. Promittit illi filium Isaacum, et ex eo natos natorum. Abram se suosque circumcidit.

1. APPARUIT *ei Dominus*. Hæc apparitio ideo instituta ne putaret Abram promissionem seminis cap. 15 factam per Ismael completam.

Deus omnipotens. Quasi dicat, qui volo et possum.

Ambula coram me. Stude in omnibus mihi placere. LXX, εὐαρέστει, *bene placens esto*.

Esto perfectus. Enitere ad culmen virtutum cunctarum. LXX, *irreprehensibilis*.

2. *Ponamque*. Promissionem ratam faciam.

Vehementer nimis. Hebraismus, plurimùm, plurimùm.

3. *Cecidit*. Adorans et gratias agens.

4. *Ego sum*. Ego ille, qui solus sum, qui stabilis sum, et immutabilis in promissis.

Pater multarum gentium. Judæorum et gentilium; præcipuè verò respicit ad semen cœleste Christum, et ex eo, ac per eum fideles Abræ filios.

5. *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram : sed appellaberis Abraham*. Abram significat *patrem excelsum*; Abraham, *patrem multarum gentium*.

6. *Regesque.* Ex Esau Idumæorum et Amalecitarum : ex Jacob Israelis et Juda.

7. *Statuam.* Confirmabo.

In generationibus suis. Temporibus eorum.

Fœdere sempiterno. Diuturno valde, quamdiu servabunt pactum; si verò sit de semine spirituali, planè in perpetuum.

9. *Dixit iterum.* Intermisso nonnihil sermone.

10. *Hoc est pactum.* Id est, signum pacti mei.

Circumcidetur ex vobis. Qui fidem Abrahæ profitebuntur.

Omne masculinum. Masculis tantùm imperata circumcisio.

11. *Carnem præputii.* Locus hic circumcisionis, et non in alio membro delectus; quia in hoc membro se effectus peccati inobedientiæ primùm manifestavit, et quia fuit signum fidei quâ credebat Abraham Christum ex se nasciturum. Præputium est pellis glandem tegens.

In signum fœderis. Data circumcisio : 1. ut esset signum pacti ab Abraham cum Deo initi. 2. Erat circumcisio signum repræsentativum fidei Abrahæ, et justitiæ per eum adeptæ, Roman. 4. 3. Erat signum distinctivum fidelium ab infidelibus, Judæorum scilicet a gentilibus. 4. Erat signum purgativum peccati originalis. 5. Præfigurativum baptismi.

12. *Infans octo dierum.* Præcisè octavo die, quia ante hunc nimis adhuc tener, nec ante septimum diem completum certitudo ulla est vitalem fore. Si ante octavum diem infans periclitaretur, poterat æquè ac feminæ salvari remediis, ac ritibus legis naturæ. Justa etiam de causa poterat ultra octavum diem differri, ut in deserto dilata est per 40 annos, Josue 5. 6.

Circumcidetur. Aliqui putant cultro lapideo ; tali enim usus est Moses, Exod. 4. 25, et Josue cap. 5. 2. Sed nihil tale hìc præcipitur, et Justinus contra Tryphonem testatur sua ætate Judæos ferreo cultro usos.

Tam vernaculus, quàm emptitius. Hebræa sic habent : *Omnis servus domi natus, et emptitius, qui non est de semine tuo, circumcidendo circumcidetur.* Aliqui putant tam servos, quàm famulos liberos jussos circumcidi. Alii nullum adultum servum hìc obligari ad se vel suas proles circumcidendas, nisi ipse sponte in id consentiat. Tandem alii existimant omnes servos etiam adultos, non autem famulos juberi circumcidi. Omnes istæ sententiæ habent suos auctores et rationes. Cornelius a Lapide tertiam veriorem putat. Secunda est Pererii et Suarez. 14.

14. *Delebitur anima illa de populo suo.* Id est, quicumque etiam infans circumcisus non fuerit, non modò ad hunc populum meum non pertinebit, sed etiam cùm ad adultam ætatem pervenerit, morte punietur, quòd circumcisionem neglexerit.

Quia pactum meum irritum fecit. In adolescentia, cùm rationis compos factus negligentiam parentum supplere debuit. Vel etiam irritum fecit pactum in infantia, quia pactum meum vel casu, vel parentum vitio in eo irritum fuit et violatum.

15. *Non vocabis Sarai, sed Saram.* Sarai idem significat, quod *domina mea*, vel *princeps mea ;* Sara verò absolutè significat principem ac dominam, quasi dicat : Sarai hactenus unius mariti et familiæ fuit domina; jam verò erit Sara, id est absolutè princeps et domina, quia erit mater gentium plurium, imò cunctarum per Isaac, ex quo Christus, qui est pater omnium gentium fidelium et christianorum.

16. *Benedicam ei.* Naturæ vitiis sublatis fecundam reddam.

Cui benedicturus sum. Non filio, sed Saræ. Nam hebraicè est femininum. * Noster tamen interpres refert ad filium, ut patet ex sequentibus: *Orientur ex eo.* Res eòdem recidet, nam benedictio ad Saram per filium pertinet.

17. *Risit.* Non dubitavit, sed quasi ad rem novam obstupescens et gratulans. Chaldæus habet, *gavisus est.* Hinc ex admiratione nata interrogatio, *putasne centenario nascetur filius?* si dubitasset, a Domino reprehensus fuisset. Divus tamen Hieronymus, et D. Chrysostomus dubitasse censent.

18. *Utinam Ismael vivat coram te.* Non modò sit superstes, sed honestè et sanctè vivat, hoc enim votum Abrahæ, hoc significat illud, *coram te.*

19. *Isaac.* Isaac risum significat; sic autem dictus est propter risum Abrahæ, et non propter risum Saræ, quæ nondum riserat. Postea Sara pariter ridens et gaudens de filio sibi nato, hoc nomen jam datum iterat et confirmat, infra, cap. 21. 6.

Constituam pactum meum illi. Quæ pacto promisi, pertingent ad posteros tuos per Isaac, non per Ismaelem.

21. *Ad Isaac.* Cum Isaac.

Anno altero. Anno proximè sequenti.

23. *Statim in ipsa die.* Promptè obediens Deo.

25. *Tredecim.* Hinc (teste Josepho l. 1. cap. 12) Saraceni desumpsêre ritum circumcidendi suos anno ætatis 13, apertè a lege Dei Abrahæ data recedentes.

CAPUT XVIII.

Abraham tres angelos hospitio et convivio excipit, qui ei ex Sara filium promittunt. Iidem instans Sodomæ excidium denuntiant, pro qua orat et interpellat Abraham.

1. *SEDENTI.* More suo præstolanti peregrinos, et veluti expandenti sagenam hospitalitatis.

In ipso fervore diei. Tempore meridiano; tunc enim, qui iter faciunt, in hospitium se recipiunt.

2. *Cumque elevasset oculos.* Ipse in convalle seu querceto sedebat, via verò, in qua angeli, altior erat.

Tres viri. Tres angeli virili specie. Fuisse angelos docet divus Paulus ad Hebr. 13. 2 : *Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis.* Moses etiam, cap. seq. num. 1 vocat eos angelos.

Adoravit in terra. Civili et orientalibus consueto honore illos veneratus.

3. *Domine.* Unus eorum trium honoratior videbatur; hunc alloquitur.

4. *Lavate.* Non ipsi sibi peregrini pedes lavabant, sed domestici eo munere defungebantur. Quidam libri habent, *laventur.* Divus Augustinus, *serm.* 70 *de tempore*, insinuat ipsum Abraham hoc munere functum.

5. *Panis.* In Scriptura panis nomine omne ciborum genus comprehenditur.

Confortate cor. Reficite vos cibo.

Idcirco enim declinastis. Id est, divinâ providentiâ factum est, ut hâc horâ transeuntes hàc, hospitalitatis meæ participes facti, me honoraretis.

Qui dixerunt. Unus, suo et sociorum nomine.

Ut locutus es. Modicè et parcè appara.

6. *Tria sata.* Satum mensuræ genus, quo arida mensurabantur. LXX dixerunt : *Tres mensuras.*

Similæ. Simila seu similago est ea farinæ pars, ex qua crassiores furfures excreti sunt. Hìc tamen accipi videtur pro farina expurgatissima.

Subcinericios panes. Extra clibanum cineribus et prunis injectis coctos.

8. *Stabat juxta eos.* Ut ministrans, et adhortans, humanitatis et officii causâ.

9. *Comedissent.* Non actione vitali, sed cibo in corpus assumptum transmisso, et in aerem tenuissimum resoluto.

Ubì est Sara? Sciunt, sed sternunt interrogatione viam dicendi.

10. *Cui.* Abrahæ.

Dixit. Ille qui inter tres angelos præcipuus.

Revertens veniam. Hebr. *revertendo revertar*, hoc est, certissimè revertar.

Tempore isto. LXX habent, κατὰ τὸν καιρον τοῦτον εις ὥρας. *In tempore hoc, in horas;* quasi dicat, ad eamdem horam. Nisi fortè illud εἰς ὥρας significare velit quod dicimus italicè, *di questa stagione;* nam horæ Græcis sunt quatuor præcipuæ anni partes.

Vita comite. Loquitur humano more.

Post ostium tabernaculi. Ubì ipsa erat; angelus verò tergum ostio obverterat, ut notat chaldæus.

11. *Fieri muliebria.* Fluere menstrua ad conceptionem necessaria.

12. *Quæ risit occultè.* Hebr. et chald. *intra se*, ut etiam LXX. Quod verbis non ausa, risu refellit; nam quidam risus est genus confutationis.

Dominus meus. Vide conjugalem reverentiam. *Sara obediebat Abrahæ* (inquit divus Petrus epistol. 1. cap. 3. n. 6) *dominum eum vocans.*

13. *Dominus.* Angelus ille præcipuus, hac occulti risûs Saræ revelatione se prodit plùs quàm hominem esse.

14. *Juxta condictum.* Ut promisi.

15. *Negavit Sara.* Non est necesse, quod aliqui faciunt, Saram a mendacio vindicare. Fortasse timore consternata, non satis deliberatè locuta est.

16. *Direxerunt oculos.* Iter versùs Sodomam converterunt.

17. *Num celare potero.* Hoc postulat lex amicitiæ, ut secreta communicentur. Dat etiam Dominus Abrahamo materiam exercendæ charitatis pro Sodomitis orando.

18. *Cùm futurus sit.* Majora hæc promisi Abrahamo, cur, quod minus est, secretum hoc tegam?

Robustissimam. Hebr. *Osseam.*

Benedicendæ sint in illo. Per Christum semen ejus.

19. *Scio enim.* Altera ratio, cur non celet eum. Novi te esse justum, ac familiam bene instituere; æquum ergo est te non ignorare causam excidii Sodomorum, ut hoc exemplo tuos abducas a sceleribus.

Ut custodiant viam Domini. Deum vero rite colant, ejusque mandatis pareant.

Faciant judicium. Judicium significatur id quod Dei sapientumque judicio rectum est et justum.

Ut adducat. Loquitur de se Deus in tertia persona, quasi de alio. Sensus est : ut impleam quæcumque Abrahæ promisi.

20. *Clamor.* Est prosopopœia, quasi peccata vocem tollant, et ad Dei aures accedant, eumque ad vindictam provocent.

Sodomorum et Gomorrhæ. Hos tantùm nominat, quia ut opibus et nobilitate, sic flagitiis cæteris antestabant.

Multiplicatus. Sermo esse videtur non tantùm de frequentia nefarii illius sceleris, sed de aliis etiam, quæ memorat Ezech. 16. 49, otio, gula, inhospitalitate, crudelitate, etc.

21. *Descendam et videbo.* Humano more loquitur, quasi dicat : Accedam, ut certiùs cognoscam. Aptum judicibus monitum, ne temerè pronuntient, sed priùs omnia benè considerent, cognoscant, circumspiciant.

Utrùm clamorem. Ut pro modo scelerum graviùs, aut mitiùs puniam.

22. *Converteruntque.* Non qui cum Abrahamo loquebatur, sed alii duo angeli.

Adhuc stabat. Post duorum discessum.

24. *Quinquaginta justi.* De Sodoma sola loquitur, quæ aliarum civitatum caput, et in qua degebat Loth, et quæ magìs criminosa.

25. *Qui judicas omnem terram.* Quasi dicat : Mitiùs te agere par est, cùm sis judex omnium supremus, a quo non est ad alium provocatio, et qui es, et haberis justi judicii norma certissima.

Nequaquam facies judicium hoc. Hebr. sic habent, *absit tibi ; numquid judex omnis terræ non faciet judicium?* quasi dicat : Absit, ut tantam severitatem in has civitates expromas, ne fortè videaris modum puniendi, qui recto judicio regi debet, transiliisse.

26. *In medio civitatis.* Intra ambitum civitatis.

32. *Propter decem.* Hìc substitit Abraham, Dei clementiam admirans, et ultra progredi veritus. Nullam de eripiendo Loth mentionem intulit, sat sciens eum Deo cordi esse, et divinæ illius providentiæ fidens.

CAPUT XIX.

Loth hospitio angelos excipit, quos Sodomitæ expetunt ad scelus nefandum, sed angeli, educto Loth cum uxore et filiabus, igni cœlesti Pentapolim cremant. Segor oppidulo parci Loth impetrat, ipse eripitur, uxor in statuam salis mutatur, filiæ verò ex patre ignaro concipiunt, et pariunt Moab et Ammon.

1. *Duo angeli.* Illi duo, qui ab Abrahamo recesserant.

Vespere. Sub noctem.

Sedente Loth. Ut hospitalitatis, quam ab Abrahamo didicerat, occasionem captaret.

In foribus civitatis. Ut peregrinos primus exciperet, et ne qua vis illis inferretur a civibus, aut ne in commerciis, quæ juxta portas exercebantur, circumvenirentur.

Adoravitque. Valde honoris causâ se incurvavit.

2. *Pueri vestri.* Servi vestri.

Lavate. Permittite lavari, et supra, cap. 18. 4.

Minimè. Negant ad primam invitationem honestatis causâ, non negaturi, si ampliùs urgeantur.

3. *Compulit illos oppidò.* Valde ursit, rogando: speciem præ se tulit eos cogentis.

Azyma. Subcinericios panes fermento carentes, ut superiori cap. 18. num. 6.

4. *Omnis populus simul.* Ita ut (quod hebræus textus indicat) ab extremis etiam oppidi finibus confluerent, ut aliquo modo sceleris illius participes essent; quod ostendit in ea urbe decem integros non fuisse; aderant etiam pueri, quod intellige de doli capacibus.

5. *Cognoscamus eos.* Turpiter eis abutamur.

7. *Malum hoc.* Quo et hospitii jus, et lex naturæ violantur.

8. *Abutimini eis.* Vel perturbatus Loth non satis intellexit se non posse stupro exponere filias, quæ a Sodomitis non expetebantur; vel ad eum egit modum, quo quis alteri amico irato pugionem offert dicens: Me potiùs occide, quàm eum, cum quo tibi est rixa, violes, certus amicum iratum non processurum ad necem.

9. *Recede illuc.* Abi ab ostio, ne nos impedias.

Ingressus es. Quasi dicant: Ne hìc judicem agas, aut morum censorem, cùm sis peregrinus. * Sic Ciceronem inimici vocabant *Romulum Arpinatem.*

Magìs quàm hos affligemus. Te ipso abutemur.

Vimque faciebant. Trudentes foribus, vim inferentes, ut juvenes ad probrum abriperent.

10. *Et ecce.* Rem inopinatam vide : hospites sui securi subitò reserant ostium, Lothum introducunt, populum depellunt.

11. *Percusserunt cæcitate.* Non planè cæci facti sunt, sed offusa caligo, ut fores domûs Loth invenire non possent, imò nec suas, ut habemus in lib. Sap. c. ult. 16. Vel in libro Sapientiæ tantùm dicitur Sodomitas ostium Loth, Ægyptios verò domorum suarum portas præ tenebris invenire non potuisse.

12. *Dixerunt.* Duo illi viri, ut exprimitur in hebræo.

Habes hìc quempiam tuorum? Omnes tibi sanguine, aut necessitatibus aliis junctos parati sumus eripere tuî gratiâ.

14. *Quasi ludens loqui.* Joco, non seriò loqui, delirare.

15. *Tolle uxorem tuam, et duas filias.* Hæ tantùm Lotho crediderunt.

16. *Dissimulante illo.* Moras nectente, fortasse etiam orante Deum ut parceret.

17. *Salva animam.* Vitam eripe incendio.

Noli respicere. Id est, nolite; nam id etiam uxori et filiabus mandatum; jubet autem non respicere ad exercendam Loth obedientiam, in detestationem etiam eorum qui flammis addicebantur, quibus neminem compati volebat : vel etiam quia eum properare cupiebat, nec moras nectere; nullumque quod inde egressus esset dare signum pœnitentiæ.

In monte. Qui imminet urbi Segor.

18. *Domine.* Duo erant angeli, sed unus Loth et uxorem manu ducebat : hunc compellat hìc Loth dicens, *Domine* : alter eum sequens ponè inter duas filias medius eas pariter ducebat.

19. *Magnificasti misericordiam.* Hebraismus, pro maxima erga me usus es misericordiâ.

Nec possum in monte salvari. Prætextus, non vera necessitas; nam postea ivit in montem.

20. *Numquid non modica est.* Parvi oppiduli salutem peto, ut mihi sit refugio et saluti. Pauci in eo incolæ, quare et pauciora et leviora crimina.

21. *Suscepi preces tuas.* Hebr. *Suscepi faciem tuam.* LXX, ἐθαύμασα τὸ πρόσωπόν σου, *admiratus sum faciem tuam*, reveritus. De hoc dici posset illud Pauli, Hebr. 5. 7. *Exauditus est pro sua reverentia.*

Ut non subvertam. Deus statuerat oratione Lothi

oppido parcere ; quare in animum ejus immisit, ut pro eo deprecaretur.

22. *Non potero facere quidquam.* Juxta divinùm decretum, quo jussus sum te priùs periculo subducere, et totam postea planitiem inflammare.

Ingrediaris illuc. In territorium urbis.

Segor. Quæ priùs dicebatur Bala, supra, c. 14. 2.

24. *Dominus pluit....... a Domino.* Planè a Domino fuit pluvia hæc ignis et sulphuris, non autem a causis naturalibus. Ex repetitione colligunt interpretes mysterium Trinitatis, quasi dicat : Pluit Filius a Patre; id verum esse Concilium sirmiense, cap. 14, anathemate sancit.

Sulphur et ignem. Incertum an vox hebraica גפר *gopher*, significet sulphur, picem, an bitumen. Sulphur peccati fetorem, ignis libidinis ardorem significant.

De cœlo. De aere.

25. *Omnem circa regionem.* Non solùm Sodomam et Gomorrham, sed Adamam quoque et Seboim.

Universos habitatores. Nulli insontes : si qui a scelere puri propter ætatem teneram, iis Deus hoc incendio consulit, ne parentum mores cùm adolevissent, sequerentur. Feminæ propter luxum et superbiam, probabile eodem cum viris fœditatis genere, qua illis licebat, inquinatas fuisse : nec hoc tantùm igne conflagrarunt Sodomitæ, sed, ut habemus apud S. Judam, n. 7 : *Facti sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes*, quam pœnam adultorum neminem evasisse credibilius est.

Urbium. Quatuor quas dixi.

Cuncta terræ virentia. Tota vallis cremata.

26. *Respiciensque.* Verbis angeli non credens, ut indicat liber Sap. c. 10. 7, relictarum Sodomæ rerum desiderio, et cognoscendi studio undenam strepitus ille crepitantium flammarum, qui exaudiebatur, quarum etiam, quamvis aversæ, fulgor aliquis perstringebat oculos, respexit.

In statuam salis. Effigies muliebris, quæ etiamnum exstare dicitur ab iis qui in iis regionibus peregrinati sunt. Sal hoc videtur fuisse metallicum, quod pluviæ resistit, et ædificiis soliditate sua est utile, de quo Plin. lib. 31, c. 7. Est autem versa in statuam salis uxor Loth, ut esset perenne monumentum divinæ vindictæ, quo posteri doceantur Dei mandatis parere et in bene cœptis pergere, nec retrospicere. Videtur Dominus animæ uxoris Loth pepercisse, quòd gravis culpa non fuerit ad incendium illud respicere.

28. *Quasi fornacis fumum.* Vox hebræa significat fornacem calcariam.

29. *Recordatus Abrahæ.* Memor petitionis illius : *Numquid perdes justum cum impio?* supra, c. 18. 23 et 25.

30. *Ascenditque Loth de Segor.* Quæ post egressum Loth eversa non est, ut constat ex n. 21.

Timuerat enim. Contemplatus vim incendii. In via tantùm fuerat prohibitus respicere.

31. *Dixitque major.* Crediderat utraque soror mortales omnes exstinctos incendio, ut olim audiverant a parente diluvio periisse; itaque studium reparandi humani generis illas incitavit ad facinus. Nec tamen excusandæ; nam a congressu cum parente naturalis reverentia illas poterat absterrere, et ex Lotho quærere poterant num aliqui homines flammas illas effugissent.

33. *At ille non sensit.* Ebrietate victus, uxorem suam sibi putavit accubare, immemor illam mortuam.

35. *Dederunt etiam.* Secunda Lothi ebrietas minùs a culpâ excusari potest quàm prima; sed quis adeo afflictus omnia possit prospicere?

37. *Moab.* Dicitur quasi מואב *Meab*, ex patre, quasi profiteatur se eum filium ex patre genuisse. Pudentiùs altera quæ filium vocavit Ammon, hebr. בן עמי *ben ammi*, id est *filius populi*, vel generis mei, id est, non ex Sodomitis genitus est, sed patrem habet ex gente mea.

CAPUT XX.

Abraham peregrinanti in Geraris rapitur uxor a rege putante sororem ejus esse; sed rex per quietem monitus intactam reddit viro, cujus precibus amissam valetudinem recuperat.

1. PROFECTUS *inde.* Mutat sedes Abraham, quia advertebat virulentas maris Mortui exhalationes vicina loca sterilia et pestilentia reddituras.

In terram australem. Respectu convallis Mambre.

Geraris. Gerara urbs metropolis Palæstinæ et sedes regia fuit in tribu Simeon.

2. *De Sara uxore sua.* Saræ nonagenariæ pulchritudo divino muneri tribuenda; cùm enim Dominus ei fecunditatem largitus est, etiam reddidit pulchritudinem juventæ. Alii dicunt tunc nonagesimum annum parem fuisse nostro quadragesimo; præterea continentiam, et quòd nunquam peperisset, juvasse ut corporis decor non defloresceret.

Tulit eam. Non auso resistere Abraham.

5. *In simplicitate.* Simplici, innocenti, recto ac sincero animo.

6. *Et ego scio.* Te innoxium ab adulterio, sed non ab injuria : tulisti enim invitam pro tuo imperio.

Ne peccares. Peccato adulterii.

Non dimisi. Morbo impedivi; nam infra, n. 17, dicitur : *Sanavit Deus Abimelech.*

7. *Propheta est.* Familiariter cum illo versari, et multa illi mysteria rerum futurarum revelare soleo.

8. *Statimque de nocte.* Extrema noctis parte, cùm jam albesceret cœlum. In hebræo est : *Manicavit diluculo*, sic etiam LXX.

9. *Quid fecisti ?* Non est interrogantis, sed expostulantis.

Peccatum grande. Gravem peccati ultionem et pœnam.

Non debuisti facere. Nec decuit, nec licebat.

10. *Quid vidisti ?* Quæ signa injustitiæ, aut libidinis in nobis deprehendisti ?

12. *Soror mea.* Consanguinea; nam Hebræi et Scriptura consanguineos fratres vocant et sorores.

Filia patris mei, et non filia matris meæ. Thare filii fuerant Abraham et Aran; Sara verò filia erat Aran : itaque Thare, qui Abrahamo erat pater, Saræ erat avus. Avi autem usu nonnullarum gentium vocantur patres; rectè ergo dicitur filia patris mei. Ex eo autem quòd dicitur : *Et non filia matris meæ*, colligunt aliqui Thare duas habuisse uxores, ex quarum una natus sit Abraham, ex altera Aran qui genuit Saram et Loth. Alioquin Sara dici potuisset filia matris Abraham, quæ illi avia fuisset, quemadmodum Thare, qui avus erat, pater illius dicitur.

16. *Mille argenteos.* Scilicet siclos, ut vertit chaldæus; nam cùm in Scriptura ponitur argenteus vel aureus, intelligitur siclus. Valet autem siclus unus quatuor regales hispanicos.

Fratri tuo. Est ironia : ei quem tu vocas fratrem.

Velamen. Quibus tibi velamen comparare possis, quo ostendas te nuptam, ne quis alius, ut ego, in errorem inducatur; quo etiam velamine oculos tuos veles pudore suffusa, quòd deprehensa sis; tandem quod sit tibi testimonium pudicitiæ tuæ non imminutæ, quòd a me tam honorificè dimissa sis. Estius putat datam pecuniam illam, ut cultiùs ornaretur Sara, tanquam scilicet potens aut princeps femina, ac proinde nullus ei injuriam intentare auderet.

Mementoque te deprehensam. Ac proinde pudefactam, ideo in posterum quæ sis, fatere; quod LXX habent, *et in cunctis esto veridica*.

18. *Concluserat*. Ut nec possent puerperæ partum eniti, nec mulieres a viris cognosci. Quis fuerit Abimelech morbus, Scriptura non explicat. Aiunt aliqui eum ingenti cruciatu in verendis afflictum fuisse.

CAPUT XXI.

Nascitur, circumciditur et ablactatur Isaac: Ismael, et Agar domo Abrahæ pelluntur, eosque in deserto angelus solatur. Abraham init fœdus cum Abimelech.

1. VISITAVIT *autem Dominus Saram*. Larga suæ gratiæ donatione, vel ut vult Chrysostom. hom. 45, per angelum corporali specie.

2. *In senectute sua*. In senectute Abrahami, ut patet ex hebræo, ubi est articulus affixus masculinus. Sensus est, peperit filium Abrahæ seni.

5. *Cùm centum esset annorum*. Referenda hæc non ad *præceperat*, sed ad *circumcidit;* circumcisus enim est Isaac, ut etiam natus anno Abrahæ centesimo.

6. *Risum fecit mihi Deus*. Dominus me gaudio replevit, et quicumque intellexerit, arridebit et congratulabitur mihi.

7. *Quis auditurum*. Quis credidisset venturum aliquando tempus, cùm Abrahamo nuntiaretur natam ei seni prolem ex Sara anu.

Lactaret. Quod certissimum est signum partum ab ipsa editum, nec esse suppositititium.

8. *Ablactatus est*. Cùm Isaac quintum ætatis annum ageret, ut sentit D. Hieronymus. Ut eo tempore longior vita, ita infantia productior. Postea cœperunt ablactare tertio anno, ut habemus 2. Machab. 7. 27.

Fecitque Abraham grande convivium. Erat Hebræis usitatum, ut a conceptione fœtûs usque ad ablactationem abstinerent ab uxoribus. Clem., Strom. 3. Itaque quando infans ablactabatur, quasi instaurato conjugio convivium instruebant. Hoc mater Samuelis facit ablactatum deferens in vitulis tribus, 1. Reg. 1. 24. * Vel propterea convivium instruitur tempore ablactationis potiùs quàm nativitatis, quòd tempore ablactationis certius sit prolem fore vitalem, quàm tempore nativitatis; quòdque tunc aptus esse incipiat infans solido cibo capiendo.

9. *Ludentem cum Isaac*. Ludere in Scriptura aliquando

significat idola colere; aliquando pugnare, 2. Reg. 2. 14; aliquando coire, Genes. 26. Ex varia significatione nata occasio variè ludum Ismaelis cum Isaac interpretandi, sive idola colere, quasi joco doceret; sive rei alicujus turpis sermonem induceret: sive irrideret, aut vexaret, aut sibi primogenitorum jura vindicaret: certum est jocos illos Isaaco noxios persecutionem fuisse, ut illam appellat divus Paulus ad Galat. 4. 29.

10. *Ejice ancillam.* In matrem etiam Sara excanduit, quòd filii petulantiam non compesceret. Postulavit autem ut ejiceretur divinitùs mota, ut colligitur num. 12.

12. *Omnia quæ dixerit.* Quoad hanc expulsionem.

In Isaac vocabitur tibi semen. Posteri tui, qui descendent ex te per Isaac, non qui per Ismael, Abrahæ filii vocabuntur; et ex illis, non ex Ismaele, benedictum semen orietur.

13. *In gentem magnam.* Chaldæus habet, *in gentem prædatricem.* Utrumque verum.

Quia semen tuum est. In tuî gratiam.

14. *Tradiditque puerum.* Qui jam 17 ætatis annum agebat.

Errabat. Ignara viarum.

Bersabee. Quæ sic postea vocata ab urbe ejusdem nominis.

15. *Abjecit.* De illius vita desperans.

Subter unam arborum. In hebræo est plurale. LXX *abietem* reddiderunt. Vox hebraica virgultum significat in genere.

16. *et abiit.* Non sustinens videre illum animam agentem.

17. *Noli timere.* Meum adventum et fulgorem, aut pueri mortem; non enim morietur.

19. *Aperuitque oculos ejus.* Ut adverteret vicinum fontem, quem priùs turbata non viderat.

Deus. Angelus Deum referens.

20. *Et fuit Deus cum eo.* Deus illi adfuit, et illi favit in gratiam patris Abrahæ.

Juvenis sagittarius. Significat a juventute vacasse venationi et sagittationi ferarum.

21. *In deserto Pharan.* Quod est trans Arabiam contra plagam australem.

Ægypti. Quia et ipsa Agar ægyptia.

23. *Ne noceas mihi.* Hebraicè est, *quòd non mentieris mihi*, id est, quòd dolo malo mecum non ages; nec mihi, aut meis eris inimicus; nam injuria et in-

justitia mendacium nonnunquam dicitur in Scriptura. * Et bene etiam versum est, *noceas*, quia de mendacio noxio loquitur hebraicus textus.

Juxta misericordiam. Hebraismus, pro sicut de te bene merui, sic tu de meis merearis.

25. *Puteum.* Quem ante ejectam Agar servi Abrahæ foderant; postea fuit a Palæstinis vi ereptus, illis uti prohibitis.

27. *Tulit.* Opima de gregibus et armentis suis delegit, et regi donum obtulit.

31. *Bersabee.* Vox hebræa, vel potiùs voces, nam duæ sunt, significat *puteum juramenti*, vel *puteum septem*, scilicet agnarum, quas Abraham pro puteo, et loco circumjacente tribuerat, num. 30.

33. *Plantavit nemus.* Jonathas auctor Thargum hierosolymitani ait fuisse hortum arbore densum, et plenum optimis fructibus, solitumque peregrinos in hoc horto excipere, et recreare, ac pro mercede pacisci, ut creatorem cœli et terræ timerent et colerent. Ex eo autem quod sequitur, *et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni*, patet Abrahamum illic altare excitasse.

34. *Colonus.* Incola et peregrinus.

CAPUT XXII.

Abraham a Deo jussus filium immolare, obedit, sed sistitur ab angelo; quare promissiones ei rursus confirmantur. Texitur catalogus majorum Rebeccæ futuræ uxoris Isaac.

1. TENTAVIT. Ad bonum tentat Deus Abraham, ut quanta in eo lateat virtus, appareat.

2. *Tolle.* Hebræa sunt valde pathetica: *Tolle nunc filium tuum, unicum tuum, quem dilexisti Isaac.* Idem habent LXX.

Unigenitum. Etiam Ismaelem genuerat Abraham, sed Isaac dicitur unigenitus ex Sara uxore primaria. * Aquila interpretatur ἀγαπητὸν, *dilectum*; solent enim hi duo significatus misceri apud Hebræos, et apud Græcos. Sic Salomon David unicus, id est dilectissimus dicitur 1. Paral. 29. 1.

Diligis. Heb. est, *dilexisti*, quasi dicat: cogita jam illum non esse, vixit.

Isaac. Qui tibi causa risûs et nunc mœroris.

In terram Visionis. Sic vocat per anticipationem;

nam postmodum ab Abrahamo nomen illi inditum n. 14. * Hebraicè dicitur *Moria*, id est visibilis, et facilè conspicua, etiam eminus, quia alta erat et montuosa : hoc eodem sensu LXX vertunt, *in terram excelsam*.

3. *De nocte*. Primo diluculo. Hebr. *manicavit Abraham manè*, hoc est surrexit primo mane.

Isaac. Agentem ætatis annum 25. Saræ nulla fit mentio, cui non videtur Abraham indicasse quid facturus esset.

4. *Die autem tertio*. In Geraris degebat, inde ad terram Visionis, sive ad montem Moria, in quo postea templum hierosolymitanum, est iter tridui. Sic D. Hier. Quod intellige non de urbe Gerara, sed de regione; nam constat tunc habitasse in Bersabee, ut colligitur ex cap. 21, num. 31. et post immolationem reversus est in Bersabee, hoc cap. num. 19; a Bersabee autem ad montem Moria est iter unius diei. Lentè ergo processit, quia rebus ad sacrificium necessariis impeditus.

Vidit locum. Signo aliquo illi a Deo dato cognovit collem, in quo Deus sacrificium fieri volebat.

5. *Revertemur*. Non est mentitus; vel enim de se solo loquitur numero plurali, more Hebræorum, vel credidit filium suscitandum a Deo, qui promiserat ei semen ex Isaac, cujus verbum irritum esse non poterat. Itaque D. Paulus ad Hebr. 11. 19, ait Abraham contra spem in spem credidisse, arbitrando *quia et a mortuis resuscitare potens est Deus*.

6. *Imposuit super Isaac*. Cerne figuram Christi crucem suam bajulantis.

7. *Ubi est victima?* Etiam hoc colloquium augebat patris dolorem.

8. *Deus providebit sibi*. Quamvis modum nesciret.

9. *Venerunt ad locum*. Josephus vult fuisse locum, ubi postea templum, quasi Isaac esset figura victimarum templi. Probabilius est, quod alii asserunt, fuisse Calvariæ collem, in quo postea Christus crucifixus est. Uterque autem locus tam is in quo postea fuit templum, quàm in quo crucifixus est Christus, ad montem Moria pertinebat, qui in varios distinctus erat colles, qui variis nominibus appellabantur.

Ædificavit. Obiter cespite fosso et saxis aliquot coacervatis.

Alligasset. Declarata illi priùs voluntate divina, nec illo mortem recusante, sed libenter admittente, quandoquidem ita Deo placitum. * Morem veterem alligandi victimas notat Servius ad illud Æneid. 2, *vincula rupi*. Vide Ovid. 3, de Ponto, eleg. 2.

11. *Abraham*, *Abraham*. Vocem geminat, ne animo incitato pater præveniret. Sic Chrysost. et Ambros.

12. *Nunc cognovi*. More hominum loquitur, qui, cujus rei periculum fecerunt, id se perfectè putant novisse.

Non pepercisti. Quantùm in te fuit.

13. *Arietem inter vepres hærentem cornibus*. Verus fuit aries alicunde ab angelo adductus : quod dicitur, *inter vepres*, in hebræo est בסבך *bassebach*, quod alii aliter vertunt. Propriè videtur significare *perplexitatem*, ut vertit Pagninus, sive ut alii, *implexionem;* hærebat ergo aries cornibus in implexis densorum virgultorum ramis.

14. *Usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit*. Sensus est, etiamnum cùm montem illum significare volumus, dicimus : hoc factum aut dictum est in monte illo cui nomen, *Dominus videt*, aut *videbit*. Aliqui legunt, *Dominus videbitur*, quasi sit prophetia de Christo, qui in monte cruci affixus videndus erat. Porro Abraham loco nomen imposuit, *Dominus videt*, ex eo quòd ipse, num. 8. filio responderat *Dominus providebit;* vel, ut alii vertunt *videbit*. Erat etiam forma adagialis apud Hebræos : *In monte Dominus videbit*, quâ utebantur in angustiis constituti et Dei auxilium optantes, quasi dicerent : Sicut in monte extremo in periculo misertus fuit Abrahæ, sic etiam nostrì tandem miserebitur.

16. *Per memetipsum juravi*. Cùm non posset per majorem se jurare, juravit in semetipso. Hebr. 6. 13. Sic Jerem. 22. 5 : *In memetipso juravi*, *dicit Dominus*.

17. *Possidebit semen tuum portas*. Urbes Chananæorum sub Josue ; Palæstinorum, Ammonitarum, Syrorum, etc., sub Davide et Salomone. Est synecdoche ; nam per portas urbes intelligit.

18. *Benedicentur in semine tuo*. In Christo Domino ; nam ideo non dicit in seminibus, ut notavit D. Paulus ad Galat. 3. 16.

20. *Quòd Melcha*. Sequens genealogia texitur propter Rebeccam, ut constaret meritò illam Isaaco uxorem quæsitam.

CAPUT XXIII.

Moritur Sara, et sepelitur in spelunca Hebron coempta ab Hephrone.

2. In *civitate Arbee*. Hebraicè dicitur *Cariath Arbe*, quam vocem immutatam retinet nonnunquam Scriptura in libro Josue, Judicum, et alibi.

Quæ est Hebron. Sic postea appellata. Potiùs dicendum spiritu prophetico hæc Mosen scripsisse, quàm a quoquam postea libris ejus inserta. * Serarius ad cap. 14. Josue, quæst. 5, existimat urbem hanc *Hebron* appellatam a societate quam iniit Abraham cum ejus loci viris principibus, nam חבר *cheber*, societatem significat.

Venitque Abraham. Putant aliqui Saram mortuam esse absente Abrahamo, ac propterea dictum *venitque Abraham*; verùm *venire* apud Hebræos sæpe significat ordiri aliquid, accingere se ad aliquid faciendum. * Vel sensus est, venit ad locum in quo jacebat cadaver.

Ut plangeret. Planctus in Scripturis solemnia significat exsequiarum. Actor. 8. 2, et alibi.

3. *Ad filios Heth.* Populum Hethæorum.

4. *Advena sum.* Hebr. *incola.* Diu apud vos habitavi cum uxore, sinite inter vos quiescere mortuam, quam viventem non estis dedignati.

Jus sepulcri. Hebr. *possessionem sepulcri.* Non vult misceri sepulcris idololatrarum, sed sibi seorsim locum postulat.

Mortuum meum. Cadaver Saræ. Funus meum. LXX, τὸν νεκρόν μου, *mortuum meum.*

6. *Princeps Dei.* Hebraismus: id est, princeps magnus; sic montes excelsi dicuntur *montes Dei.*

In electis. In optimo et honestissimo sepulcrorum nostrorum.

Te prohibere poterit. Nemo futurus adeo protervus, qui te audeat prohibere.

7. *Adoravit.* Civili honore gratias acturus se incurvavit demissè.

Populum terræ. Indigenas loci.

8. *Si placet animæ vestræ.* Si vobis acceptum est.

9. *Speluncam duplicem.* In qua duplex concameratio, et duplex crypta; altera fortasse ad viros condendos, altera ad feminas; altera interior, altera exterior.

Pecuniâ dignâ. Digno ac justo pretio.

10. *Portam.* Quia hoc actum in porta ubì judicia et commercia exercebantur.

11. *Agrum trado tibi.* Gratìs largior. Non fuit crimen simoniæ emere agrum ad sepulturam, aut jus sepulturæ: secus esset, si locus ille sacer fuisset ecclesiastica benedictione, quæ eo tempore nondum erat.

13. *Quæso, ut audias me.* LXX, *quoniam apud me es, audi me*, vel potiùs, *quoniam ades mihi*, hoc est, quandoquidem adeo mihi faves. Chaldæus, *si tu utique facis mecum misericordiam.*

15. *Quadringentos siclos*. Dictum supra siclum unum æquivalere quatuor regalibus hispanicis.

Sed quantum est hoc? Quasi dicat : Non decet te, vel me, qui et amici, et divites sumus, de tantula summa sollicitari.

16. *Probatæ monetæ publicæ*. Hebr. *inter mercatores transeuntis*. Itali dicunt, *moneta corrente fra mercanti*. Chaldæus, *quæ recipiebatur pro mercimoniis in unaquaque provincia*. Oportuit ergo esse probatissimam.

17. *Respiciens Mambre*. Oppositum oppido Mambre.

20. *Confirmatus est*. Per emptionem firmo et stabili jure translatus. In Actis Apostol. c. 7. 16, S. Stephanus ait Abrahamum agrum a filiis Hemor filii Sichem mercatum esse, non ergo ab Ephron. Multi multa. Dici potest Ephronem natu maximum ex filiis Hemor, suo et fratrum nomine agrum vendidisse. Hemor autem binomium fuisse, et Seor etiam, ut hic, n. 8, fuisse appellatum.

CAPUT XXIV.

Adjurat Abraham servum suum ut Isaaco uxorem quærat ex Haran; adducit ille Rebeccam: adductam Isaac in uxorem capit.

1. *In cunctis*. Deus eum bonorum spiritualium et terrenorum affluentiâ cumularat.

2. *Servum seniorem*. Eliezer procuratorem domûs suæ.

Subter femur meum. Hodie quoque inter Judæos servatur, ut qui jusjurandum exigit, sedeat super manum jurantis. Hoc Judæi referunt ad circumcisionem, ac si dicat, qui jurat, tam firmum fore id pactum quàm circumcisionis. Hieronymus et alii ad Christum referunt proditurum ex femore Abrahæ, per quem etiam eo tempore tacitè jurarent. Vide D. Hieron. 1, contra Jovin. Epist. 140. Emmanuel Sa putat fuisse eo ritu significatam subjectionem ejus, qui sic manum ponebat. Itaque solitum fieri a servis et a filiis. Vide infra, c. 47.

3. *Adjurem*. Jurare te faciam, ut est in hebræo.

4. *Ad terram*. In Haran, ad domum Nachor fratris mei.

Cognationem meam. Familiam Nachor, quæ Deum cœli colebat, sed cum idolis.

6. *Cave*. Nam Deus non Mesopotamiam, sed Chananæam ejus semini promiserat.

7. *De domo patris*. De Haran, ubi mortuus Thare.

De terra nativitatis. De Ur Chaldæorum.

Angelum

Angelum suum. Etiam Hebræi credebant a Deo custodes angelos dari hominibus.

8. *Sin autem.... noluerit*. Certus erat ipse, sed dubitationi servi respondet.

9. *Super sermone hoc*. Promisit fideliter se jussa completurum.

10. *Ex omnibus bonis*. Præcipua quædam ex singulis bonorum generibus.

Ad urbem Nachor. Haran, ubì Nachor habitabat, a Bersabee, ubì tunc erat Abraham, septem vel octo dierum itinere distantem.

* 11. *Solent mulieres*. Munus id erat virginum eo tempore. Vide Exod. 2. 16. Homer. Odys. 10. Κούρῃ δὲ ξύμβληντο πρὸ ἄστεος ὑδρευούσῃ. *Puellam obviam habuerunt, quæ ante urbem aquam hauriebat.*

12. *Occurre*. Fac ut se mihi offerat quod peto. LXX, *prosperum fac mihi occursum*.

13. *Ecce ego sto*. Non dubitabat de promisso, sed de seipso, ne fortè ut indigno Deus non daret instinctum, et cognitionem peculiarem ejus, quam vellet Isaaco uxorem. Non tentat Deum, a quo motus fuerat, signum petendo, et quidquid in signo incertum est, totum divinæ Providentiæ innititur, et promissis Abrahæ a Deo factis. Notandum etiam cum D. Chrysost. et aliis signum, quod statuit hìc servus, congruum fuisse; erat enim signum bonæ uxoris, et indolis affabilis, hospitalis, providæ et strenuæ.

Prope fontem. Scriptura fontis et putei nomine promiscuè utitur.

14. *Ipsa est*. Quæso, Domine, futura Isaac uxor hæc faciat, et dicat.

15. *Necdum intra se*. Nota quàm promptè hos Deus exaudiat.

16. *Incognita viro*. Casta, et incorrupta corpore et mente.

21. *Contemplabatur eam tacitus*. Attonitus perpendebat non speciem tantùm, sed officiositatem, sedulitatem, charitatemque, et jam domino suo dignam judicabat.

22. *Inaures aureas appendentes siclos duos*. Siclos minores duos; nam etiam dimidiatus siclus vocatur subinde siclus: itaque unaquæque inauris appendebat drachmam unam, ut habent LXX, hebræus et chaldæus textus.

Armillas totidem pondo siclorum decem. Idem dixit chaldæus. LXX autem, *decem aureorum pondus earum*. Hebræa ad verbum, *decem aurei pondus earum*. Noster siclos addidit, quasi supplens quod deerat.

27. *Misericordiam et veritatem.* Solent hæc duo Hebræi conjungere. Sensus est, misericors et verax fuit erga dominum meum : misericors pollicendo, verax præstando.

28. *In domum matris.* In eam domûs partem, ubi mater cum puellis degebat, more Hebræorum, et Orientalium omnium, quibus virorum et feminarum una in domo distinctæ habitationes.

30. *Cùmque vidisset.* Priùs vidit inaures in manu sororis, deinde egressus est ad servum Abraham.

31. *Benedicte Domini.* Deo dilecte et gratiose, cui Deum favere cerno, et ut porro faveat, opto.

32. *Destravit.* Sarcinas detraxit, deposuit.

33. *Donec loquar sermones meos.* Nisi priùs exposuero legationis meæ summam : nisi exposuero cujus rei gratiâ huc missus sim.

35. *Benedixit domino meo valde.* Supra modum ditavit.

Magnificatusque. LXX, *exaltatus est.*

41. *Innocens eris a maledictione.* Promiscuè vocat juramentum et maledictionem, quia in fine jurisjurandi addebatur imprecatio : Si fidem fefellero, *hæc faciat mihi Deus*, *et hæc addat.*

47. *Suspendi.* Dedi ut, cùm vellet, posset suspendere.

49. *Ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram.* Quasi dicat, ut hinc discedens, ubi potero, aliam uxorem quæram.

50. *Laban et Bathuel.* Præponitur Laban patri, quia, ut ferventior, prævenit promittendo, et pater dictum ejus ratum habuit. Nec mirum prævenisse, quia fortasse pater jam senex robusto filio curam totius familiæ commiserat.

A Domino egressus est sermo. Voluntas Dei hæc est.

51. *Coram te est.* In manibus tibi traditur abducenda.

Locutus est Dominus. Signo, quo voluntatem suam declaravit.

53. *Vasis.* Mundo muliebri, et alia supellectile : sic enim Hebræi vocant vasa musica, vasa bellica, vasa mortis : ipsa quoque corpora, eorumque membra dicuntur vasa.

57. *Quæramus ipsius voluntatem.* Non de nuptiis cum Isaaco; in has enim Rebeccam jam consensisse colligitur ex numer. 51, 53, 54 et 55; sed de discessu a parentibus, et profectione.

60. *Sorori.* Consanguineæ; nam ad convivium cognati multi vocati fuerant, qui ab Hebræis fratres appellari consueverunt.

Crescas in mille millia. Plurimam posteritatem Deus tibi tribuat.

61. *Puellæ illius*. Ancillæ in dotem datæ, ut tunc moris, sicut et postea, cap. 29. num. 24 et 29.

62. *Per viam*. LXX, *per desertum*. Quæsiverat solitarium locum Isaac idoneum ad orandum.

63. *Ad meditandum*. Vox hebraica significat submissa, et intra labia compressa voce mussare, quod solent qui cum animo suo aliquid meditantur et volvunt.

64. *Descendit*. Honoris sponso deferendi gratiâ.

65. *Pallium*. Ut eo honestatis et pudoris causâ nova nupta coram sponso suo se tegeret et obnuberet. * Operuit vultum more matronarum. Vide 1. Corinth. 11. 6, et supra, cap. 20. 16; et quæ D. Hieronym. de Arabiæ et Mesopotamiæ feminis scribit ad c. 3. Isaiæ.

67. *In tabernaculum Saræ*. Hinc patet seorsim a viris habitasse mulieres.

Ex morte matris ejus. Quæ triennio circiter ante defuncta erat.

CAPUT XXV.

Abraham ex Cethura tertia uxore sex liberos suscipit, et moritur. Rebecca parit Esau et Jacob; huic ille vendit primogenituræ prærogativam.

1. *Aliam duxit uxorem*. Mortuâ Sarâ, et Agar dimissâ, et fortè etiam defunctâ. Causa ducendi divinus instinctus, ut ex eo semen inter gentes quoque multiplicaretur. Annum agebat ætatis 137.

Cethuram. Videtur fuisse ancilla Abrahæ, ut etiam fuerat Agar; si enim fuisset ingenua, non appellaretur concubina num. 6.

2. *Madian*. Ex quo Madianitæ.

5. *Cuncta quæ possederat*. Id factum primò antequam Isaac duceret Rebeccam; quare Eliezer dicebat cap. 24. num. 36 : *Dedit illi omnia quæ habuerat*. Nunc donationem videtur confirmasse.

6. *Filiis autem concubinarum*. Agar et Cethuræ. Concubinæ erant legitimæ uxores, ut etiam aliquando vocantur in Scriptura. Sic Agar, cap. 16. 3, uxor appellatur. Non erant autem uxores primariæ, nec matresfamilias; et servilis conditionis, et ancillæ manebant, etiam post nuptias, in thori tantùm communionem admissæ.

5.

Munera. Pecuniam, aurum, argentum, vestes, etc.

Separavit. Ne cum Isaac contenderent, eumque in terræ promissæ possessione turbarent. Rursum ne posteri eorum sua idololatria et vitiis Isacidas inficerent.

Ad plagam orientalem. Hi vocantur in Scriptura *filii orientis.*

8. *Deficiens.* Non violentia, aut vi morbi, sed humido naturali deficiente decessit.

In senectute bona. Cùm esset 175 annorum, maturè et tempore suo, sive spectes ætatem, sive merita. Bona etiam, quia sinè ægritudine.

Plenus dierum. Vivendi satur, ut habent hebræa, et cupiens dissolvi.

Congregatusque est ad populum suum. Hoc non potest intelligi de corpore quod cum suis in patria sepultum non est. Intelligendum ergo de anima quæ post mortem superstes et immortalis. Vide tamen infra, cap. 35, num. 29.

Populum suum. Justos in limbo.

11. *Juxta puteum nomine viventis et videntis.* In Bersabee puteus viventis et videntis erat intra ipsam solitudinem per quam Agar erraverat, quæ eremus dicitur solitudo Bersabee. De hoc puteo agitur supra, cap. 16. 14, et 21. 19, et 24. 62.

13. *Cedar.* Cedareni Arabes, de quibus et tentoriis eorum non semel in Scriptura.

14. *Duma.* Inde onus Dumæ apud Isa. cap. 21; vel sunt Idumæi, vel illis vicini.

15. *Thema.* A quo civitas et regio Theman ad meridiem Idumææ, cujus rex Eliphaz Jobi amicus.

17. *Deficiensque.* Sicut pater senio defunctus.

Appositus. Hinc orta Hebræorum opinio de illius pœnitentia et salute.

18. *Ab Hevila.* De qua dictum supra, cap. 2. n. 11.

Coram cunctis fratribus suis obiit. Non significat eum coronâ fratrum suorum cinctum obiisse, sed iis superstitibus.

21. *Deprecatusque.* Vox Hebræa significat eum multiplicasse preces, et D. Chrysost. ait toto vicennio eas continuasse.

Pro uxore. Hebr. *contra uxorem*, id est, contra sterilitatem uxoris. Vel fortasse sensus est, simul cum uxore, quasi e regione uxoris, cum qua communicabat preces.

22. *Collidebantur.* LXX, *exsiliebant, exsultabant;* vel, ut alii vertunt, gestiebant, ludebant, calcitrabant, colluc-

tabantur, dum scilicet uterque nititur prior in lucem exire.

Si sic mihi futurum erat. Si mihi abortiendum, et unà cum parvulis moriendum : id timebat Rebecca.

Perrexitque ut consuleret Dominum. Aliqui sentiunt ad domesticum altare ivisse, illic orasse, et per angelum responsum accepisse. Alii putant in montem Moria ascendisse ad Melchisedech sacerdotem adhuc superstitem.

23. *Duæ gentes.* Duo filii qui erunt patres et capita duarum gentium, hoc est, Judæorum et Idumæorum sibi adversantium.

Major serviet minori. Idumæi servient Judæis.

25. *Totus.... hispidus.* Non capite tantùm, sed reliquo ferè corpore; inde etiam dictus est Seir, id est, pilosus; Esau verò, id est, *factus perfectus*, quia qui ad perfectam pervenerunt ætatem, ii pilis obsiti sunt. Edom etiam appellatus est, quasi *sanguineus*, a rubeo colore coctionis rufæ, de qua paulò post, hoc cap.

Protinus. Immediatè, quasi contendens de primogenitura.

Jacob. A verbo עקב *hacab*, quod supplantando, seu plantam tenendo decipere significat.

27. *Agricola.* LXX, ἀγροῖκος, *agrestis*, quod etiam ad mores refertur.

Simplex. LXX, ἄπλαστος *minimè fictus* : vox hebraica perfectum justumque significat.

Habitabat in tabernaculis. Raró foras progrediens, nec venationi, ut Esau, intentus, sed rei domesticæ curam gerens. Chaldæus exponit fuisse *ministrum domûs doctrinæ*, id est, auditorem sapientiæ. Hoc si est verum, habes scholarum antiquitatem. * Duorum horum fratrum ingenia conveniebant vitæ generi : Jacobus bonus, ut pastor : Esau sævus, ut venator.

28. *Isaac amabat Esau.* Ut pote primogenitum.

Diligebat Jacob. Saniore affectu, quòd meliùs moratum videret, et amabilibus moribus, et propter promissiones sibi a Deo factas.

29. *Pulmentum.* Lenticulæ ægyptiæ, ut docet S. Augustinus in psalm. 46.

30. *Da mihi.* In hebræo est, *obtege me*, *obrue me*, *imple me de rufo*, *rufo isto.* Vel *fac me vorare de rufo*, *etc.* Loquendi modus aviditatem et intemperantiam petentis indicat. * Dicitur coctio *rufa*, vel a nativo colore lentis, vel ab ascititio condimenti.

31. *Primogenita tua.* Primogenituræ privilegia eo tempore fuerunt sequentia : 1. in mensa locus dignior, in-

fra, cap. 43. 33; 2. civilis principatus in fratres, et successio in patriam dignitatem, qua primogenitus cæteris loco patris erat; adeo ut coram eo se inclinarent, infra, cap. 27. 29, et vocarent eum dominum, ut Jacob Esau appellat, Gen. 32 et 33; 3. in hæreditatis divisione duas partes accipiebat natu maximus, alii singulas, Theodoret. q. 77; 4. pater moriturus primogenito benedicebat, Gen. 27. 35. Juxta aliquos primogeniti erant sacerdotes familiæ, et ad hunc usum peculiares vestes habebant. Porro in venditione primogenitorum peccavit Esau gulâ, sacrorum contemptu, et fortasse etiam simoniâ, vendens jus sacerdotii. Jacob verò non peccavit, quia intendit emere tantùm jus primarium primogenituræ, quod erat temporale et vendibile, sicuti potest vendi ager, cui annexum jus patronatûs. Nec peccavit injustitiâ, quia vili emit a volente et sciente. Adde doctum a matre scivisse hoc jus Dei dispositione et dono ad se pertinere.

32. *En morior.* Gulæ necessitatem prætexit.

33. *Jura ergo mihi.* Per te mihi licitum fore primogenitorum prærogativis pacificè frui.

34. *Abiit; parvi pendens.* Ventrem virtuti, cibum honori, gulam benedictioni præferens, et fortasse jam tum meditatus, quod jure amiserat, vi et ferro retinere.

CAPUT XXVI.

Apparet Deus et benedicit Isaaco, eumque ditat; unde invident ei Geraritæ, puteosque ejus obstruunt. Rursus in Bersabee Deus Isaaco promissiones patri factas iterat, ibique fœdus init cum Geraritis. Esau uxores Hethæas ducit.

1. SUPER *terram.* Chanaan ubi degebat.

Post eam. De qua fame supra, cap. 12.

Abimelech. Non ille de quo cap. 21, sed fortasse ejus filius: credibile regibus Geraræ nomen commune Abimelech fuisse, ut etiam Ægyptii omnes dicti sunt Pharaones. Abimelech significat *pater meus rex;* reges enim et patriæ et subditorum patres esse debent.

2. *Apparuitque ei Dominus.* Cur prohibitus ire Isaac, quò pater ipsius Abraham perrexerat, in Ægyptum scilicet? An quòd Ægyptiis necessarius fuerat Abrahæ adventus, ut veræ fidei et religionis doctrinâ imbuerentur; nunc verò id minùs necessarium? An quòd voluerit

Deus ostendere quòd etiam in rerum inopia, et sterili solo suos alere possit?

Quam dixero. Nondum enim pervenerat in Gerara.

3. *Peregrinare in ea.* Ad tempus in ea tanquam peregrinus habita.

5. *Eò quòd obedierit.* Hebraica reddi etiam possunt, *merces, quòd obedierit;* nam vox hebraica עקב *hecheb,* calcaneum significat, et etiam mercedem, quod sit in opere ultimum.

Voci meæ. Jussioni de necando filio.

Cæremonias. Tum propriam circumcisionis, tum alias omnibus communes, quas Deus in lege naturæ instituit, quibusque coli voluit; habuit enim lex naturæ, uti et Mosis, et Christi, suos ritus, sua sacra et sacramenta.

7. *Soror.* Cognata : excusandus, ut patet supra, c. 20.

8. *Jocantem.* Licentiâ maritali liberiùs agentem, quàm cum aliena viri graves soleant.

9. *Mentitus.* Opinione Abimelech mendacium erat, quia cognationis ignarus erat rex.

10. *Quispiam de populo.* Hebr. *unus populi*, quod aliqui vertunt, *primus populi*, et de ipso Abimelech intelligunt. LXX habent, *aliqui ex genere meo.*

Grande peccatum. Gravem culpam, vel gravem pœnam.

11. *Qui tetigerit.* Hebr. *qui tetigerit virum hunc, et uxorem ejus.* Tangendi vocem pro nocendi sumunt chaldæus et Hebræi.

Morte morietur. Eadem mortis pœna postea in lege Mosis statuta.

12. *Sevit.* In terra conducta.

Benedixitque ei. Pro, *nam benedixerat ei Dominus.*

* 16. *Recede a nobis.* Sic olim apud Athenienses ostracismo ablegabantur cives quorum potentia suspecta jam esset. Vide Arist. l. 3. Polit. c. 9.

18. *Quos foderant.* Maluit veteres eruderare et expurgare, quàm novos fodere : 1. quia certus illic aquæ venam esse; 2. quia faciliùs, et minùs invidiosum; 3. quia justè utebatur paterno labore, nec poterat ei novum opus denuntiari; 4. ut gratam patris memoriam renovaret; quare iisdem nominibus appellari voluit.

19. *In torrente.* LXX, *in valle*, quam scilicet interfluebat torrens, vel in ipso sicco alveo torrentis, per metonymiam.

20. *Nostra est.* Quia in nostro solo fodistis; sed hoc injustè prætexebant, quia consentientibus foderant.

Calumniam. Vox hebraica significat etiam oppressionem, fraudem, injustitiam.

21. *Inimicitias*. Nam toties iterata vexatio fuit indicium odii inveterati.

22. *Latitudo*. Hebr. *latitudines*, quasi dicat : Hic puteus latam, liberam et immunem a Geraritarum invidia, abundantemque nobis, nostrisque pecoribus dabit adaquationem, ideoque vocetur *latitudo*.

Dilatavit nos Dominus. Metaphora sumpta a redactis in arctum, qui postea evadunt : sic psal. 4. 1 : *In tribulatione dilatasti mihi*.

23. *Ex illo loco*. Ubi ultimum puteum foderat.

In Bersabee. Finita fame tandem rediit eò, unde propter famem exierat.

24. *Deus Abraham*. Sum verus ille Deus, qui cum parente tuo hic pactum pepigi; vel etiam dicitur Deus Abraham, quasi dicat : Omnes quidem creaturæ meæ sunt; sed tamen apud me unus Abraham plùs valet, quàm omnes alii; itaque gaudeo appellari Deus Abraham.

25. *Extendit tabernaculum*. Ut ibi sedem et domicilium figeret.

Ut foderent. Quærerent et eruderarent illum, quem olim Abraham his locis effoderat.

26. *Cùm venissent*. Non tam ut societatem inirent, quàm ut specularentur, parati ad bellum, si tenuem et infirmum; ad fœdus, si validum et potentiorem invenirent.

Ochozath. Aliqui putant esse nomen appellativum, unde vertunt, *et cœtus amicorum ejus*. Verùm meliùs LXX et noster interpres accipiunt Ochozath quasi nomen proprium.

Phicol. Videtur esse nomen officii potiùs (ut etiam Abimelech), quàm nomen proprium. Etymon, sive interpretatio illius est, *omnis facies*, * vel *os omnium*, quòd scilicet omnium militum, quorum dux erat, animi et oculi in eum conversi. * Vel quòd ipse pro omnibus loqueretur, populi apud regem interpres. Conjicio fuisse nomen officii, quia etiam tempore Abrahæ rex Geraræ Abimelech et ejus dux Phicol appellabatur, supra, c. 21, 22 : qui si iidem sint, ille regnaverit, hic verò dux exercitûs fuerit, plùs annis centum.

27. *Quem odistis*. Quem vos odisse factis ostendistis.

29. *Nec fecimus quod te læderet*. Falsum est hoc; nam ipsis conniventibus pastores injustè ab usu puteorum suorum arcuerant.

Auctum benedictione Domini. Quia vidimus te auctum, etc. Vatabl. vertit, *nam tu es benedictus Domini*.

31. *Surgentes manè*. In juramenti publici et solem-

nis reverentiam jejuni et sobrii præstant juramentum.

33. *Abundantiam.* Vox hebræa *saturitatem* significat, quasi dicat : Ex hoc puteo abundantes latices potemus, et saturabimur.

34. *Duxit uxores.* Invito patre jam centenario, ipse quadragenarius. Isaac tamen, ne filium contristaret, dissimulavit displicentiam, ut ait Josephus, qui etiam addit soceros fuisse dynastas Hethæorum, quod est credibile.

35. *Offenderant.* Malis moribus et contumacia, et quia manebant idololatræ.

CAPUT XXVII.

Præripit Jacob Esau fratri benedictionem ; hic ei mortem minatur, quare mater Jacobo suadet ut in Mesopotamiam ad avunculum suum Laban se recipiat.

1. SENUIT *autem Isaac.* Annum enim agebat centesimum trigesimum septimum, quanquam adhuc vixit annis 43, nam mortuus est annorum 180.

Caligaverunt. Tum ætate, tum crebris ægritudinibus. Sic August. lib. 16 de Civit. c. 30 : Non erat cæcus, sed cæcutiebat.

3. *Arma tua.* Hebraicè, *vasa.*

4. *Pulmentum.* Edulium gustui suave et delicatum. * Pulmentum in Scriptura id omne significat quod pani additur.

Sicut velle me nosti. Quibus scis me libenter vesci.

Benedicat tibi anima mea. Ego tibi benedicam, vel ex animo tibi benedicam.

7. *Coram Domino.* Annuente, favente Domino.

11. *Ego lenis.* Glaber, non hispidus ut Esau.

12. *Illudere.* LXX, *despicere, vilipendere ;* imò insidiari senectuti et cæcitati.

Maledictionem. Sicut accidit Cham, qui patri suo illusit.

13. *In me sit.* Quasi dicat : Nil periculi est, frustra pavescis, in me recipio bene cuncta cessura.

14. *Attulit.* Duos scilicet hœdos, ut scilicet ex iis in pulmentum meliores et teneriores partes deligerentur.

15. *Valde bonis.* Hebr. *desiderabilibus ;* LXX, *pulchris ;* unde in arca inter odores servabat eas Rebecca ; odoratas enim fuisse patet n. 27. Hebræi putant has vestes sacerdotales fuisse, quibus primogeniti sacrificabant. Hier. in Tradit.

16. *Circumdedit manibus*. In morem chirothecarum, ut tantùm exterior pars manuum, et digitorum esset pilosa, interior vola glabra et depilis.

Colli nuda. Munit partes quas cæcutiens attrectaturus videbatur.

17. *Panes*. Subcinericios.

19. *Ego sum primogenitus tuus Esau*. Non est necesse laborare in excusando Jacob, aut Rebeccam a mendacio, quod tamen officiosum fuit, et adhibitum ad vindicandum quod sibi divina promissione debebatur; ideoque tantùm veniale peccatum, et fortasse nullum, si excusabantur ignorantiâ qua putarent aliquando mentiri officiosè peccatum non esse. D. Aug. lib. contra Mendacium, Jacobum a culpa mendacii mysterio excusare nititur. Vide illum c. 10.

23. *Benedicens ergo*. Certus animo mox benedicere.

24. *Tu es filius meus Esau?* Ut sit omnino certus de persona iterum interrogat.

26. *Da mihi osculum*. Hebr. *osculare mihi*, in dativo, qua forma hebræus scholiastes ait significari osculum manui, aut humero impressum; nam osculum oris cum accusativo exprimi debuit, ac dici, *osculare me*.

27. *Vestimentorum illius fragrantiam*. Nec enim vestimentorum fragrantia tanta erat, ut a sene remoto posset percipi.

Agri pleni. Fructibus et floribus: fortasse vestes florum et fructuum odorem referebant; nam in arcis mulieres, ad gratiam odoris vestibus conciliandam, rosarum folia, et mala cydonia, et hujusmodi res odoratas includunt.

Cui benedixit Dominus. Tunc Dominus agro benedicit, cùm vernat floribus, et exuberat fructibus.

28. *De rore cœli, et de pinguedine terræ*. Sensus est: Deus tibi det de cœlo rorido, et terra fertili ac pingui, abundantiam frumenti et vini, hoc est, omnium ad cibum et potum necessariorum.

29. *Serviant tibi populi*. Præcedentia ad opes pertinent, istud ad imperium et dignitatem. Impleta est hæc benedictio, cùm Davidi, Salomoni, et Assamonæis subjecti fuerint Idumæi, Philisthiim, Moabitæ.

Adorent te tribus. Posteri Esau et Ismaelis.

Esto dominus fratrum tuorum. Non bello tantùm, sed jure primogenituræ.

Qui maledixerit. Quasi dicat: Deus tuas tuorumque partes et causam aget; qui tui sunt amici, vel inimici, suos censebit.

33. *Expavit Isaac.* LXX verterunt, *Isaac raptum in ecstasim magnam vehementer*, ut intelligamus in ea abalienatione Deum illi revelasse fraudem Jacob et voluntatem suam, ne rescindere cogitaret. Vide D. Aug. q. 80.

34. *Auditis Esau sermonibus.* Ultimis potissimùm verbis confirmatoriis facti.

Irrugiit. Non suam tantùm tristitiam, sed ferociam etiam valido clamore quasi rugitu ostendens. Philo et Euseb. censent clamorem hunc ab invidentia fraterni incrementi expressum fuisse, quòd scilicet eum prætulerat, seque illi subjecerat pater.

Benedic etiam et mihi. Quasi dicat : An non et ego filius tuus sum; cur ergo debeo benedictione carere ?

35. *Benedictionem tuam.* Quæ tibi jure naturæ debita erat, nisi de illa indignum præstitisses, vel quam ego tecum tuam opinabar.

36. *Altera vice.* Secundò, bis, iterum.

37. *Omnes fratres.* Omnes cognatos et consanguineos.

39. *Dixit ad eum.* D. Paulus ad Hebr. 12. 17, Esau, licèt cum lacrymis benedictionem petierit, adeptum negat : sed de primaria illa jure naturæ debita loquitur, quæ primogenito dari solita, et Jacobo cesserat.

In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper, erit benedictio tua. Hebr. est, *erit sessio*, vel *habitatio tua*, quasi dicat : Habitabis in terra pingui et fertili, quam Deus fecundabit immissione roris et pluviæ.

40. *Vives in gladio.* Fertilem terram occupabis non agricolatione tua, sed vi, raptu, præda. Tales Esau posteri.

Servies. Impletum sub David. 2. Reg. 8. 14.

Excutias et solvas jugum. Idumæi regnante in Juda Joram rebellarunt. 4. Regum, 8. 14.

41. *Oderat ergo.* Memoriam doloris animo fovens, continuam odio materiam suggerebat.

In corde suo. Perfecto mentis consensu, et plena deliberatione secretò secum ipse statuit.

Dies luctûs patris mei. Hunc nolebat contristare ; de matre nihil est sollicitus.

44. *Dies paucos.* Breve pollicetur fore tempus absentiæ, ut faciliùs persuadeat.

45. *Cur utroque orbabor filio ?* Utrique consuluit; alterum immunem a periculo, alterum integrum præstat a crimine.

46. *Nolo vivere.* Hebr. *ad quid mihi vita ?* quasi dicat : Si Chananæam, aut Hethæam ducat, tristis et acerba erit mihi vita, ut mori potiùs optem, quàm vivere.

CAPUT XXVIII.

Jacob fugiens Esau vadit in Mesopotamiam, ac in via dormiens videt Deum innixum scalæ, per quam angeli ascendebant, et descendebant, se consolantem. Experrectus vovet Deo votum. Esau in sua pergit contumacia, et Ismaelitidem uxorem ducit.

1. *Benedixit eum.* Præcedentes benedictiones confirmans, et ob patienter et immeritò toleratum fratrem adaugens, et illi faustum a Domino iter precans.

2. *Vade, et proficiscere.* D. Augustinus censet jam Isaaco innotuisse conatus Esau; innuunt LXX qui habent, *surgens, fuge;* sinè mora discede; subtrahe te fratris insidiis, et violentiæ; itaque Sapiens ab hac fuga vocavit Jacobum profugum iræ fratris. Sapient. 10. 10.

Ad domum Bathuel. Cui tunc patre mortuo præerat Laban.

3. *Crescere te faciat atque multiplicet.* Deus det tibi fructum ventris copiosum, hoc est, multos liberos.

In turbas populorum. Hoc est, populosas, tantam posterorum multitudinem, ut multas et populosas gentes exæquet.

4. *Det tibi benedictiones Abrahæ.* Faciat te tuosque dignos promissionibus Abrahæ.

Semini tuo post te. Sit communis benedictio tibi et semini tuo.

Ut possideas. Jure hæreditario tu, et non Esau.

Terram peregrinationis. Terram Chanaan, ad quam redibis, et in qua ut peregrinus habitabis.

5. *Venit in Mesopotamiam.* Dicuntur hæc per prolepsim; nam priusquam eò perveniret, multa contigerunt, hoc et sequenti capite narranda.

6. *Benedixisset.* Jam secundò.

9. *Ivit.* Fortasse culpam priorum conjugiorum initorum abolere volens, et patri rem gratam facere. Sed inconsultè accipiens uxorem de ancillari stirpe, quæ cum Saræ liberis in partem hæreditatis venire non poterat. Pejus si fecit contumaciâ, et parentum contemptu.

Ad Ismaelem. Ismaelitas, nam Ismael ante 14 annos obierat.

11. *Ad quemdam locum.* Fortuitò, et non cogitans in eo pernoctare.

12. *Scalam stantem, ... angelos quoque... ascendentes.* Videtur instituta visio hæc ad consolandum Jacob,

qui solitarius, mœstùs et sollicitus extra patriam domum peregrinabatur; angeli ergo descendentes felicem Jacobi abitum in Haran, ascendentes verò felicem ejus reditum in Chanaan significant. Ita aliqui. Veriùs puto voluisse Dominum Jacobum consolari visione scalæ, quæ est symbolum Incarnationis Verbi ex Jacobi stirpe. Per scalam ergo significatur Christus descensurus, et nasciturus per varios gradus, et generationes, et genitores, quorum ultimus est Joseph cum B. Virgine, summus Adam, qui immediatè a Deo creatus est. Duo scalæ latera sunt misericordia et veritas. Scala tangit terram, quia Christus in terris visus est, et cum hominibus est conversatus : tangit cœlum, quia secundus Adam est de cœlo cœlestis, et quia ipse est nobis scala per quam ad cœlum ascendimus. Descendunt angeli, ut hoc mysterium hominibus annuntient : ascendunt, ut ardentia patriarcharum desideria et orationes ad Deum ferant. Tandem gradus scalæ possumus interpretari Christi virtutes, per quas ascendit ad cœlum.

13. *Tibi dabo et semini tuo*. Particula *et* posita est pro, *id est*, dabo tibi, hoc est, semini tuo, quod postea impletum in historia Josue et Regum.

15. *Nisi complevero*. Nisi priùs perfecero.

17. *Quàm terribilis*. Bene chaldæus hujus loci sententiam expressit : *Quàm terribilis est locus iste! non est locus communis, sed locus, in quo beneplacitum est coram Deo, et de regione hujus loci est porta cœli.*

Porta cœli. Quia viderat inde angelos prodeuntes, et eò intrantes post scalæ ascensum.

18. *Erexit in titulum*. Rudem illum lapidem in modum cippi levavit, et in terram erectum defixit in monumentum visionis, ut in reditu eodem loco divini beneficii memoriam recoleret, quod fecit, cap. 35, n. 3. D. Hieronymus, Oseæ 3, lapidem hunc vocat altare.

Fundens oleum desuper. Ut Deo honorem exhiberet, et ei creaturam suam libaret, et lapidem divinæ gratiæ indicem quodammodo honoraret. * Mos altaria et titulos ungendi manavit etiam ad gentiles; Clem. Alex. 7. Strom. Πάντα λίθον, τὸ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες, *omnem, ut dici solet, unctum lapidem adorantes*. Ejusdem moris meminit Apuleius l. Florid. et Arnob. lib. 1.

19. *Bethel, quæ priùs Luza vocabatur*. Priùs Luz, vel Luza a nucum, vel amygdalarum copia (Luz enim hebraicè nucem significat) dicebatur; a Jacobo dicta est Bethel, id est, domus Dei, quòd juxta illam dormiens vidisset Deum innitentem scalæ.

20. *Et dederit.* Ut in c. 1. 29. etiamsi nihil habeam præter ea quæ naturæ sunt necessaria.

21. *Erit mihi Dominus in Deum.* Significat se illum peculiari affectu reverentiâque culturum.

22. *Lapis iste, quem erexi.* Id est, locus in quo lapis hic erit mihi sanctus et pro Dei domo, et super lapide hoc, quasi super altari, sacrificabo.

CAPUT XXIX.

Jacob pervenit in Haran ad Laban: pro Rachele et Lia servit ei quatuordecim annis. Lia parit Ruben, Simon, Levi et Judam.

1. PROFECTUS *ergo.* Solus domo egressus, quod colligitur ex verbis ipsius Jacob, infra, cap. 32. 10: *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior.*

In terram orientalem. Mesopotamiam.

2. *Lapide claudebatur.* Claudebatur puteus, ut possent greges salubriùs, puriùs et copiosiùs potari, cùm non liceret cuiquam remoto operculo aquam sordidare, vel crebriùs haurire; neque enim erant copiosi latices, atque ideo cautio necessaria.

4. *Fratres.* Nomen amoris, officii et societatis, ut pastor pastores alloquitur.

5. *Filium Nachor.* Laban erat filius Bathuelis, sed vocatur filius Nachor, qui illi erat avus, eò quòd celebrius esset nomen Nachor qui caput et princeps familiæ.

6. *Ecce Rachel.* Ævo illo pudicitia cum simplicitate vigebat. Puella dives, speciosa, nubilis, sinè periculo et suspicione inter pastores versabatur.

Cum grege suo. Patris sui Laban.

7. *Nec est tempus.* Ostendit se pastoritiæ disciplinæ peritum, et se fraterno affectu curare res ipsorum; nam id vespere faciendum erat.

10. *Sciret.* Nam ex pastoribus didicerat, n. 6.

Amovit lapidem. Quia intellexerat solam exspectari, et jam in futuram conjugem officiosus.

11. *Osculatus.* Indicavit priùs quis esset, et tunc juxta provinciæ morem fecit; propinqui enim propinquas osculabantur.

Flevit. Ex animi teneritudine et vehementi lætitia.

12. *Frater esset patris.* Nepos matruelis, * ex sorore nepos. Frater hìc cognatum significat.

Festinans. Ut hospitalis et officiosa virgo.

14. *Os meum es et caro mea*. Consanguineus meus.

Impleti sunt. Post integrum mensem, quo illi servivit.

17. *Lippis erat oculis*. Lippitudo Liæ videtur fuisse sola debilitas, mollities et teneritudo oculorum, qua fit ut non possint diu in rem aliquam defigi, sed volubiles sint, pronique in lacrymas, ita ut pupillæ suis orbibus quasi innatare videantur; hoc enim significat vox hebraica רכות *raccot*.

18. *Serviam tibi*. Jacob inops venerat; non illi erat unde donationi propter nuptias satisfaceret, aut, juxta ævi illius morem, uxorem coemeret; itaque pro pretio septennium servit.

19. *Mane apud me*. Susceptâ gregum meorum custodiâ.

20. *Pauci dies*. Hebr. *uni dies*.

Præ amoris magnitudine. Jacobo pretium pro Rachele vile videbatur, alioquin amor impatiens est moræ.

21. *Uxorem*. Jam enim verbis de præsenti matrimonium contractum.

Ingrediar. Ut matrimonium consummem.

22. *Vocatis multis amicorum*. Omnibus viris loci illius. LXX et chaldæus.

Fecit nuptias. Convivium nuptiale.

23. *Et vespere*. Virgines enim, dum nubebant, verecundiæ causâ in tenebris viri thalamum adibant.

24. *Dans ancillam*. Omnino modica dos, et quasi nulla pro personarum conditione: data ancillula in speciem, ne diceretur indotatam dedisse; quare postea filiæ hanc dotem pro nulla duxerunt, infra, 31. 14.

Ad quam. Liam, non Zelpham.

Vidit Liam. Peccavit Lia obtemperando parenti; consensit enim in stuprum, imò adulterium. Graviùs Laban, qui eam ad facinus induxit.

26. *Consuetudinis*. Videtur Laban ficto se consuetudinis prætextu excusare: nam si obstaret consuetudo, quomodo publicè nuptias celebrat quasi daturus Rachelem, quam omnes sciebant esse natu minorem?

27. *Hebdomadam dierum*. Septem tantùm diebus differuntur nuptiæ Rachelis, dum scilicet nuptiæ Liæ per integram hebdomadam celebrantur; ea tamen lege, ut post adeptam Rachelem septem annis aliis serviat.

31. *Despiceret Liam*. Minùs amaret quàm Rachelem.

Aperuit vulvam. Fecundam reddidit.

32. *Ruben*. Quæ vox significat *videte filium*, scilicet, quem meî misertus mihi largitus est Deus.

* *Nunc amabit me*. Ob id Latini liberos pignora vocant.

33. *Simeon.* Id est, *auditio*, *obediens.*

34. *Levi.* Idem est quod *copula*, *cohæsio*, *adjunctio*, quasi dicat : Addidi jam pariendo tres filios marito ; igitur deinceps ipse majore amore mihi adjungetur et agglutinabitur.

35. *Judam.* Juda idem est quod *confessio*, sive *laus.*

CAPUT XXX.

Septem aliæ proles nascuntur Jacobo ; unde ipse patriam cogitat, sed novo pacto retinetur a socero Laban, quem novo commento virgarum ulciscitur, et seipsum ditat.

1. *INVIDIT.* Si tantùm doluit quòd infecunda esset, nulla fuit culpa : si optavit sororem sterilem esse, potuit culpa esse lethalis, aut venialis, pro affectûs et deliberationis modo. Non mirum in filia idololatræ hos affectus insurgere.

Da mihi liberos. Zelo ardens, et muliebri inconsiderantia, nec potens ferre desiderii magnitudinem, erupit in verba impatientiæ, quæ etiam speciem habent blasphemiæ.

Alioquin moriar. Vel sensus est, sibi violentas manus illaturam, ut visum est sancto Chrysostomo; vel sententia est, vitam sibi morte acerbiorem fore.

2. *Iratus.* Meritò ob incivile, insipiens et blasphemum dictum, quia petebat a viro quod reservatum Deo est, nempe fecunditatem.

Num pro Deo ego sum? Quasi dicat : A Deo, non a me proles postulanda est.

* 3. *Famulam.* Græci παιδίσκην vocant. Ministram fuisse ingenuam et hanc, et Zelpham tradit Josephus, et sic sumitur vox hebræa Exod. 2. 5.

Pariat super genua mea. Ut filium, quem ipsa peperit, ego bajulem et nascentem pro meo accipiam. Honchala scribit morem fuisse ut quæ alterius prolem volebat adoptare puerperam gremio insidentem inter pariendum genibus fulciret, et recens natum infantulum super genua sua statueret.

6. *Judicavit mihi Dominus.* Quasi dicat : Cum sorore de fecunditate contendi, ac quodammodo litigavi : jam mihi causam adjudicavit Dominus.

Dan. Id est, *judicium.*

8. *Comparavit me Deus cum sorore mea.* In hebræo propriè

propriè est, *colluctationibus Dei callidè colluctata sum, et prævalui.* Dicuntur colluctationes Dei phrasi hebraica colluctationes magnæ; quasi dicat : Cum Lia pro fecunditate et prolis gloria colluctata sum, jamque callidè eam non ampliùs parientem vici, dum pro me sterili ingeniosè et astutè ancillam meam subrogavi. Inde filium vocavit Nephthali, hoc est, *colluctantem, concertantem*, idque astutè et callidè.

11. *Feliciter.* Vox hebraica, ut nunc legitur, significat, *fortunam*, vel *fortunatè*, *feliciter*; ita etiam habent LXX.

13. *Hoc pro beatitudine.* Jam etiam ex ancilla sorori æquor, et beata ab omnibus prædicabor.

14. *Ruben.* Puerulus fortè quinquennis lusurus cum æqualibus.

Messis triticeæ. Tempore messis serotinæ, ad differentiam messis hordeaceæ; nam far et triticum serotina. Vide Exod. 9. 32. Sanè cùm mandragoræ vere exeunte floreant, Cant. 7. 13, fructum ferunt demum autumno.

Mandragoras. Olim credebantur vim philtri habere, ut tradunt Dioscorides et Theophrastus : certè fecunditatem juvant, ut medici docent, ideoque a Rachel expetitæ. * Docet etiam Plin. lib. 25. c. 15, semen mandragoræ potum uterum purgare ; inde fit ut ad conceptum præparet.

15. *Dormiat tecum.* Jacob noctes partiebatur uxoribus, et cùm ista competeret Racheli, jus suum sorori cedit.

16. *Mercede conduxi te.* Redemi operam tuam conjugalem.

17. *Ejus.* Liæ bono hæc animo facientis, et Deum orare non cessantis.

18. *Issachar.* Id est, *merces.*

20. *Dote bona.* Matrimonio quasi dirempto redintegrando et reconciliando, Deus mihi novam fecunditatem, quasi dotem dedit.

Zabulon. Idem est quod *habitaculum*, vel *cohabitans*, quasi dicat : Ob tot proles meas amabit me, et hilariter, firmiterque cohabitabit mihi maritus meus.

23. *Opprobrium meum.* Sterilitatem, quæ tunc magno dedecori erat.

24. *Addat mihi Dominus.* Optat Rachel addi sibi secundum filium; inde ex hoc suo voto et desiderio vocat filium Joseph. Joseph ergo idem est quod *addens*, vel *accrescens*, ut patet c. 49. 22.

25. *Nato autem Joseph.* Jam postulat Jacob se di-

mitti, quia expleti septem anni quibus pro Rachel servierat.

26. *Nosti servitutem.* Scis me diligentiam et fidem, quam debui, toto tibi tempore præstitisse. De mercede verbum nullum, quia pro mercede uxores duæ erant.

27. *Inveniam gratiam.* Sine te a me exorari.

Experimento didici. Quasi dicat : Tu es fortunatus, et ego propter te ; tu bonam fortunam tuam tecum in domum meam induxisti.

Benedixerit mihi. Me ditaverit.

28. *Constitue.* Pete quod voles, ego dabo.

Mercedem tuam. Non est sermo de mercede pro præterito tempore, sed agitur de mercede qua velit in posterum servire; nam retinere volebat, et ad hanc mentem respondet Jacob n. 31 : *Iterum pascam, etc.*

30. *Ad introitum meum.* Hebr. *ad pedem meum*, id est, simul ac in domum tuam pedem intuli.

32. *Gyra omnes.* Coge in gyrum oves et capras tuas, ut simul omnes lustremus et separemus unicolores a diversicoloribus.

Separa cunctas oves. Primum pactum Jacob cum Laban, ut scilicet unicolores fœtus, puta toti albi, aut toti nigri, cederent Labano ; sparsi verò et varii, Jacobo.

Furvum, et maculosum, variumque. Furvum est fuscum, sive subnigrum, in quo albedo nigrori mista est, ut partim album, partim nigrum videatur. Maculosum est quod magnas habet maculas, albas, vel nigras. Varium, sive sparso vellere illud est quod parvulis maculis albis, vel nigris, quasi punctis distinctum, et punctatum est.

33. *Respondebitque mihi cras.* Quàm tibi justè fideliterque servierim futura dies ostendet ; spero enim ut vel contra naturæ ordinem me Deus ditet.

Cras. Tempore futuro.

Placiti tempus. In anni fine, quando *, juxta placitum tuum et pacta inita, portiones utriusque dividentur.

Furti me arguent. Si unicolores apud me reperiantur, quasi furti reus habear.

35. *Tradidit in manu filiorum suorum.* Totum gregem credidit Jacobo, huic autem additi filii Laban pastores, et ipsi futuri sub Jacobo, et quasi inspectores eorum quæ gererentur, num scilicet fideliter præstaret Jacob quod promiserat. His tradidit greges unicolores ex pacto.

36. *Trium dierum.* Quale spatium ambulando greges conficiunt. Placuit tanta loci intercapedo, ne ex uno ad alium gregem admissarii transirent, aut ne oves aut capræ maculosas inspiciendo, similes parerent.

37. *Tollens ergo.* Astus hic fuit, et stropha Jacobi, qua licitè uti potuit : 1. quia rationem illam ab angelis in somnis doctus est, ut habetur cap. seq. n. 11; 2. titulo compensationis, quia a Laban homine avaro opprimebatur, et justam laborum suorum mercedem extorquere nequibat; 3. quia primus Laban pactum violavit, cùm separavit oves unicolores a diversicoloribus, n. 35, nam ex unicoloribus ferè non erant nasciturae, nisi unicolores. Porro ars Jacobi naturalis fuit; in coitu enim phantasiæ vis solet esse maxima, mentisque reputatio fœtui similitudinem cogitatam aut visam tunc maximè imprimit.

38. *In canalibus.* Conchis, vel aquæ ductibus, quibus aqua infusa detinebatur arte, ne deflueret, donec pecora bibissent. * Simile de equis et columbis habes apud Oppianum, l. 1, de Venat.

42. *Serotina.* Ovium quædam verno, quædam autumnali tempore concipiebant, arietibus ad eas admissis : *serotinam* ergo *admissuram* vocat autumnalem septembris; admissuram verò *primi temporis*, eam quæ in vere fiebat, mense martio.

CAPUT XXXI.

Fugit clam Jacob cum tota familia ex Haran in Chanaan: insequitur illum Laban. Rachel patris idola furata, scrutantem fallit; tandemque socer et gener fœdus percutiunt in Galaad.

1. *Postquam autem.* Discessûs Jacobi tres causæ ponuntur : 1. mordaces calumniæ filiorum Laban; 2. ipsius odium vultu se prodens; 3. et præcipua Dei jussio.

Tulit. Falsò iniquitatis insimulant, dum furtum vocant justam mercedem ovesque ipsi a Deo datas.

2. *Faciem Laban.* Hæc solet vel invita invidiam claris notis prodere, ut docet S. Basil. orat. de Invidia.

Sicut heri et nudius tertius. Sicut priùs; est hebraismus.

3. *Dicente sibi Domino.* Per angelum in somnis.

4. *Rachel et Liam.* Rachel præponitur, ut primaria, et voluntariè sinè fraude in uxorem accepta.

In agrum. Ut sinè arbitris mentem suam illis pandere queat.

7. *Circumvenit.* Pacta me invito, sed non audente contradicere, mutavit.

Decem vicibus. Multis vicibus. Numerus certus pro

incerto. Vel etiam verè decem vicibus mutavit, ut Jacob ipse cum Labano expostulat hoc cap. n. 41.

8. *Omnes oves.* Pleræque, adeo multæ, ut cæterarum vix habenda ratio præ paucitate.

10. *Et vidi in somnis.* Probat Deum Labano abstulisse, et sibi dedisse, quia in somnis illum Deus per angelum docuit dolum bonum, quo usus.

13. *Ego sum.* Hoc addidit, ne putet illusionem phantasiæ, vel dæmonis astum esse.

Deus Bethel. Qui tibi apparuit innixus scalæ in Bethel, cap. 28.

Et votum vovisti. Meminit voti, ut sibi illud placuisse ostendat, et ut ad illud perficiendum excitet.

14. *Numquid habemus?* Nonne pater nos quasi exhæredes fecit? 1. dum nos indotatas tibi uxores tradidit; 2. dum pretium nostrum, quo nos scilicet tibi coemisti uxores, puta laborem 14 annorum servitutis tuæ, totum sibi usurpavit, ut non tam quasi pater nos in matrimonio, attributa dote, collocasse, quàm quasi mango vendidisse videatur.

17. *Surrexit.* Accinxit se ad iter.

Impositis liberis. Ætas id postulabat; nam maximus natu Ruben nondum quatuordecim annos compleverat: minimus Joseph vix sexennis.

18. *Pergens ad Isaac patrem suum.* Hunc terminum itineri præfigebat. In via ferè decennium posuit habitando in Sichem et in Bethel.

19. *Furata est idola.* Hujus furti alii alias rationes afferunt. Abstulit, vel ne parens illa aspiciendo, vel per illa augurando fugam Jacob cognosceret, et persequeretur; vel ut parenti idola colendi occasionem subtraheret; vel ut deos penates secum afferret, ipsa etiam idololatriæ addicta; vel tandem quia ex pretiosa materia intentione dotis compensandæ, quam injustè pater detraxerat, supra, n. 14.

Idola. Hebraicè, *theraphim.* Sunt statuæ, figuræ, aut imagines humanam formam habentes, ut patet 1. Reg. 19. 13. Præsertim verò vox theraphim usu appropriata est iis statuis, quæ operâ dæmonum responsa dabant, ut patet Jud. 18. 18, Zachar. 10. 2.

20. *Noluitque Jacob confiteri.* Hebr. *furatus est Jacob cor Laban*, id est, inscio et ignorante Laban, clanculum aufugit, quasi cor, id est, scientiam et conscientiam Laban secum abstulisset. * Celavit eum; abstulit ei scientiam fugæ suæ.

21. *Amne transmisso.* Euphrate.

Montem Galaad. Qui postea, num. 48, dictus est Galaad; est prolepsis.

23. *Fratribus.* Valida manu cognatorum, et famulorum, et civium.

26. *Quare ita egisti?* Culpat Jacob, cùm ipse esset in culpa, fingitque se amicum, cùm animo esset infesto.

27. *Ut prosequerer.* Fortè ita mos habuit eo tempore prosequendi amicos discedentes.

28. *Filios meos.* Nepotes ex filiabus.

34. *Illa festinans.* Malè sibi conscia, et ad quid pater veniret suspicata.

Subter stramenta. Sub clitellis.

Sedit desuper. Ne pater ibi quæreret.

35. *Juxta consuetudinem feminarum.* Quasi dicat : Laboro fluxu menstruorum; ideo præ infirmitate assurgere non possum.

36. *Tumensque Jacob, cum jurgio.* Præ ira falsam causam defendens, sed ignarus. Jacob mitissimus erat, sed sæpius læsa patientia fit furor.

37. *Fratribus meis.* Quos tecum adduxisti, mihi affines, tibi consanguineos.

38. *Non comedi.* Ut solent mercenarii, qui se, non gregem pascunt.

39. *Captum a bestia.* Laniatum a fera. Lex pastoritia permittebat ut si sinè pastoris culpa pecus a feris necaretur, ostensa domino parte aliqua residua, noxæ pastor eximeretur.

Quidquid furto peribat. Voluisti me non culpam tantùm, sed et casum præstare : quod injustum fuit.

40. *Æstu urebar, et gelu.* Sudabam et algebam. Urebat me sol per diem, et luna per noctem. Sicut calor, sic et frigus adurit, hoc est, exsiccat, et, ut habent hic hebræa, consumit ac comedit.

Fugiebatque somnus. Præ sollicitudine; boni enim patrisfamilias est ultimum decumbere, et primum de strato surgere.

42. *Timor Isaac.* Deus, quem timuit et coluit Isaac. * Non dicit *Deus Isaac*, quia vivebat adhuc Isaac. Non cognominatur autem Deus a quoquam mortalem adhuc agente vitam.

43. *Quid possum?* Deum, a quo fuerat increpitus, timebat : fingit tamen se charitate suorum parcere, quasi dicat : Non patitur natura me meis nocumentum inferre.

44. *In testimonium.* Monumentum fœderis inter te et me.

45. *In titulum*. In signum et monumentum : vide supra, c. 28. 18.

46. *Tumulum*. Aggerem largum, latumque et planum, nam in eo quasi in mensa pransi sunt.

47. *Juxta proprietatem linguæ suæ*. Idem planè diversarum linguarum vocibus significant. Jacob hebraicè locutus : Laban verò natus in Syria, et a stirpe Heber degenerans, syriacum nomen indidit.

48. *Galaad*. Quid significet statim subjungitur; id est, tumulus testis.

50. *Nullus*. Etiamsi nulli mortalium adsint, interest tamen Deus quem nihil latet.

51. *Lapis quem erexi*. Hinc contra Mesopotamiam Laban, inde contra Chananæam Jacob; singuli columellam supra tumuli marginem extremum erexerant, terminos quos ad nocendum neutri malo transgredi animo liceret.

53. *Deus Nachor*. Laban Deo vero falsa numina adjungit, Deo Abrahæ, idola Nachor : Jacob per solum Deum Abrahæ et Isaac jurat.

* *Per timorem*. Vide dicta supra, n. 42.

54. *Immolatisque victimis*. Hostiis pro pace ac fœdere cum socero Laban.

Vocavit. Invitavit, epulo excepit. Trita locutio, Job 1. 4, Matth. 22. 3, Luc. 14. 9.

55. *De nocte*. Diluculo, summo mane.

In locum suum. In Haran.

CAPUT XXXII.

Jacob angelorum exercitum cernit : fratris metu perculsus munera ad illum mittit : cum angelo luctatur, et nominatur Israel.

1. ITINERE *quo cœperat*. A monte Galaad in Chananæam.

Angeli Dei. Comitatus illum fuerat angelus custos Mesopotamiæ cum suis usque ad confinia : nunc in limite Chananææ provinciæ hujus præses ei obviam procedit cum suis inferiorum angelorum cohortibus. Apparuit ergo illi utraque turma instar acierum ordinatarum, hinc inde auxilio ejus parata. Diodorus tharsensis putat angelum Chananææ fuisse sanctum Michaelem principem populi Israel.

2. *Castra Dei*. Cœli legiones ordinatæ, quarum summus imperator Deus Sabaoth, id est, exercituum.

3. *Misit autem.* Dei providentiâ factum, ut, dum Jacob in Mesopotamia moratur, Esau, indignatus parentum voluntatem in Jacob propensiorem, Chananæam reliquerit, et montana habitare delegerit, ut sic Jacobi posteris libera cederet Chananææ possessio.

Nuntios ante se. Exploraturus quo animo erga se esset Esau.

In terram Seir. Hoc nomen, et sequens, *Edom*, per prolepsim posita.

4. *Domino meo.* Non cedit juri suo primogenituræ, etc., sed utitur blanda compellatione, ut leniat hominis ferociam.

Frater tuus. Hebr. habetur, *servus tuus*, ut etiam apud LXX.

Usque in præsentem diem. Quasi dicat : Non est cur discessus meus, vel absentia mea tibi sit suspecta : duram tot annis servitutem servivi, quasi exul et mercenarius. Misereri te par est, et fratrem domo non arcere.

5. *Habeo boves.* Non jactat divitias, sed indicat fratri se nec gravem futurum, nec dedecori propter egestatem, nec reditu paternas opes imminuturum.

6. *Reversique.* Nuntiarunt Esau placatum, et amoris, honorisque causâ obviam venire.

Cum quadringentis viris. Vel ad suam ostentandam potentiam, vel ut magis Jacob honoraret, vel ut se securum redderet; nam multos timet is, quem multi timent.

7. *Timuit.* Quia Esau violentus, et quia sciebat Esau existimare se ab Jacob offensum.

In duas turmas. Ita ut in singulis pretiosiora quæque ultimo essent loco, ideo secundum turmæ agmen extremum Rachel claudebat, et Joseph.

8. *Salvabitur.* Effugio, vel cædis saturitate.

10. *Minor sum cunctis miserationibus.* Nulla vel minima gratia, vel miseratione tua dignus.

Veritate. Fide in promissis.

In baculo meo. Solus, scipioni seu pedo innixus.

Jordanem istum. Quem ex edito loco a longè conspicio, et te favente cogito transmittere.

11. *Matrem cum filiis.* Adagialis loquendi formula, id est, nulli parcat.

13. *Ibi.* In Mahanaim.

15. *Camelos fœtas.* Quæ recens pepererant, et pullos lactabant.

20. *Forsitan.* Id est, utique ; habet enim particula illa vim continuandi et affirmandi. Joan. 8. 19 : *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.*

21. *Nocte illa.* Cujus die præcedente munera miserat; postridie summo mane uxores, liberos, familiam, gregesque traduxit per vadum Jaboc.

22. *Vadum Jaboc.* Torrentem seu fluviolum: fluit duobus ferè milliaribus ante Jordanem.

24. *Vir luctabatur cum eo.* Hic vir fuit angelus, ut patet Oseæ 12. 3, hoc cap. n. 30, vocatur Deus, quia Deum repræsentabat. Videtur fuisse angelus custos Jacob, et lucta ad eum finem instituta, ut spem Jacob conciperet se cum Esau prospere acturum, illo placato, et officiis superato; hoc enim est quod ait angelus, n. 28: *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magìs contra homines prævalebis?* Videtur autem hæc lucta non imaginaria, sed corporea fuisse, quia angelus sibi corpus aptaverat.

25. *Quòd eum superare non posset.* Deus concursum suum et vires resistendi subtraxit angelo, ut a Jacobo teneretur et vinceretur.

Tetigit. Percussit seu læsit, ut Jacob intelligeret se non suis viribus, sed peculiari Dei auxilio prævaluisse angelicæ creaturæ.

Nervum femoris. Caput illud ossis femoris, quod in cotylen seu acetabulum inseritur, et cum illa nervo ligatur, percussum est.

Emarcuit. Nimia luxatione et extensione inutilis factus fuit, vel loco motus est.

26. *Ascendit aurora.* Nolebat angelus specie humana a quoquam videri, et mox adfuturi erant famuli Jacob.

Non dimittam te. Ità loquitur desiderio benedictionis, quam lacrymis petiisse insinuat Oseas, 12. 4.

28. *Israel.* Dicitur a שרה אל *Sara el*, id est, *dominatus est Deo;* quòd scilicet prævaluisset contra angelum qui Deum referebat.

Contra homines. Contra Esau et cæteros tibi infensos.

29. *Cur quæris nomen meum?* Noluit angelus indicare nomen suum, ne posteri Jacob illum adorarent ut Deum; fuerunt enim Judæi in superstitionem proclives.

Benedixit ei. Benedixerat ei facto, cùm nomen ejus mutavit; nunc etiam verbo benedicit, sed qua formula Scriptura non expressit. Fortasse precatus est illi benedictiones Abrahæ et semini ejus promissas.

30. *Phanuel.* Id est, *facies Dei*, vel *visio Dei*, aut *videns Deum.*

Vidi. Non tantùm vidi angelum in facie corporea, sed cum eo etiam manus conserui, et victor evasi.

Salva facta est anima mea. Erat enim vetus persuasio eos qui angelos vidissent morituros. Vel sensus est, liberatus sum metu fratris; unde Oseas, cap. 12, habet, *confortatus sum ;* certam spem concepi me a fratre non violandum.

31. *Ortusque est ei statim sol.* Generale hoc in nocturnis visis, ut prima luce appetente evanescant. Sic Anchises apud Virg. lib. 5. Æn. dicebat :

Jamque vale : torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.

Claudicabat. Abulensis et alii passim docent Jacob illico ab angelo sanatum, antequam ad Esau perveniret.

32. *Non comedunt.* Jacob et posteri non abstinuerunt se omni nervo, sed isto tantùm. Vatablus per nervum intelligit ipsum musculum qui est propinquus acetabulo, de quo diximus.

CAPUT XXXIII.

Jocob et Esau fratres reconciliantur. Esau acceptis muneribus domum redit : Jacob habitat in Socoth et in Salem, ubì agrum emit et Deo altare erigit.

1. DIVISITQUE. Jacob divino quamvis fretus auxilio et promissis alacer fratri occurreret, ita tamen suas uxores et filios disposuit, ut quos maximè diligeret longiùs a periculo removeret.

3. *Ipse progrediens.* Primam turmam præcedens, ut decebat patremfamilias pro charissimis pignoribus se primum periculo offerre.

Adoravit. Genu in terram, et capite submisso, civilem fratri, ut natu majori, honorem exhibuit.

Septies. Potest accipi pro, *sæpiùs;* potest etiam accipi definitè.

5. *Quid sibi volunt ?* Quæ causa ut tali ordine me excipiant ? suntne tui ?

8. *Quænam sunt istæ turmæ ?* Primæ gregum dono missorum. Audierat a pastoribus, sed iterum rogat ut occasionem habeat ex fratris responso non acceptandi munus.

Ut invenirem gratiam. Observantiæ meæ contestandæ gratiâ misi munusculum, ut digneris mihi benevolus esse, et præteritorum oblivionem animo admittere.

9. *Sint tua tibi.* Nec his egeo, nec opus tibi ad veniam obtinendam; nam placatus sum.

10. *Noli ita.* Abnuere quæ offero.

Si inveni gratiam in oculis tuis. Si bona fide mihi reconciliatus es, et ex animo condonas.

Munusculum. Vox hebræa מנחת *minchat*, significat propriè munus, quod Deo, vel homini superiori, ad contestandam eorum excellentiam et offerentis subjectionem offertur.

Quasi viderim vultum Dei. Visus est mihi vultus tuus inclytus, augustus, veneratione dignus, et quædam imago Dei. * Non est adulatio, sed hyperbole, qua se mirificè recreatum significat.

Esto mihi propitius. Censebo te mihi bene velle, et propitium mihi esse, si a me oblata non repudies.

11. *Benedictionem*. Munus de benedictione, qua Deus mihi benedixit: particulam bonorum quibus me Dominus cumulavit.

12. *Gradiamur simul*. In terram meam Seir.

13. *Nosti*. Causam reddit veram et idoneam, ne simul gradiantur.

Fœtas. Hoc est, lactantes.

Cuncti greges. Multi, plerique; est hyperbole.

14. *Ad dominum meum in Seir*. Ita nunc proponebat Jacob, sed postea mentem mutavit, Esau veritus ingenium.

15. *De populo*. De comitibus, aut militibus meis.

17. *In Socoth*. Quæ ita postea dicta est a tentoriis Jacob.

Ædificata domo. Tugurio seu magali.

18. *Salem*. Nomen urbis, quæ etiam Sichem et Sichar est dicta, Joan. 4. 5.

Habitavit juxta oppidum. Ante Salem tentoria sua defixit, et habitationem castrorum vallo circumdedit.

19. *Emitque*. Modum agri non ita magnum, eò quòd Sichimitæ non alia lege permittebant eum in suis finibus habitare, nisi quid proprium possideret.

A filiis Hemor. Hemor fuit princeps Sichimorum: ejus subditi hìc vocantur filii, quia princeps patriæ pater esse debet.

Centum agnis. Vel permutatione centum agnorum, vel pretio agnorum dato, vel centum nummis, quibus agni figura esset impressa; nam Act. 7. 16, dicitur emisse pretio argenti.

20. *Fortissimum Deum Israel*. Videtur aliquibus inscriptio aræ addita in hæc verba concepta: *Ara Dei fortis Israel*.

CAPUT XXXIV.

Dina rapitur, et ultio sumitur internecione Sichimitarum.

1. DINA. Filia Jacob ex Lia, tùm annorum fortè quindecim.

Ut videret mulieres. Hebr. *filias*, puta virgines æquales suas.

Regionis. Tunc festum fuisse ait Josephus, ad quod convenerant.

2. *Filius Hemor Hevæi.* De stirpe Hevæi filii Chanaan, nepotis Cham, Gen. 10. 17.

Princeps terræ. Filius principis terræ.

3. *Conglutinata est anima ejus.* Impotenter eam amavit.

Delinivit blanditiis. Hebr. *locutus est ad cor puellæ.* Loqui ad cor est verba grata et consolatoria dicere.

5. *Quod cùm audisset.* A comitibus Dinæ, qui effugerant.

Siluit. Dissimulavit quod corrigere non poterat, Deo totum permittens.

6. *Hemor patre Sichem.* Indulget filio quem debebat corripere.

Ut loqueretur ad Jacob. De futuris nuptiis.

7. *In Israel.* Contra Israel patrem Dinæ.

8. *Adhæsit anima.* Deperiit filiam vestram.

10. *Terra in potestate vestra.* Habitate eam, et colite arbitratu vestro.

11. *Inveniam gratiam coram vobis.* Annuite precibus meis.

Quæcumque statueritis, dabo. In compensationem injuriæ, et donationem propter nuptias.

12. *Augete dotem.* Uxorem de more comparabo, sed vos, quod vultis, pretium statuite.

Munera postulate. Etiam amplissima vobis dari, ut mos sponsæ fratribus dare.

13. *In dolo.* Fraudulenter, non enim sic illos intendebant ad Dei cultum allicere, sed vulneris dolore ægros opprimere. Jacob doli fuit ignarus.

14. *Non possumus.* Jacob filiis permisit ut responderent quod ipsis videretur : illi capita contulerunt, et dolum meditati, crudelitati pietatem prætexunt.

15. *In hoc valebimus.* Ita demum licebit mutuis jungi connubiis.

Similes nostri. Ritum eumdem circumcisionis usurpantes.

17. *Tollemus.* Discedentes dehonestatam adducemus, vos Deo puniendos relinquentes.

18. *Hemor et Sichem.* Hemor, qui spe lucri movebatur, et volebat filio complacere: Sichem, cui præ amore nihil difficile.

19. *Inclytus.* Totius familiæ honoratissimus.

20. *Portam.* Ubi prætorium erat, et judicia, conditionesque fiebant, et forum venalitium.

21. *Pacifici.* Triplex ad persuadendum ratio adhibetur: 1. necessitas communis terræ colendæ et inhabitandæ; 2. voluptas conjugiorum ductis mulieribus ex Mesopotamia, quæ Chananæis pulchriores; 3. lucrum, quia participes futuri opum Jacob.

23. *Nostra erunt.* Non proprietate, sed commercio et communicatione civili.

25. *Quando gravissimus vulnerum dolor.* Quod verum esse confirmat Hippocrates lib. de Fracturis. Vide Valesium, sacræ Philosophiæ cap. 12.

Duo filii. Non sinè suorum comitatu. Tunc Simeon vigiuti unius, Levi viginti annorum erat.

Confidenter. Ut in oppressos dolore, et nihil tale suspicantes.

Interfectisque omnibus masculis. Multiplex in hoc facinore peccatum: mendacium, perfidia, erga parentem inobedientia, quem ista non probaturum satis intelligebant; injustitia belli, cùm penes illos summa potestas non esset, sed penes parentem Israel; sacrilegium, quòd circumcisionis sacra cæremonia ad injustam cædem abusi; crudelitas, quòd ultra modum sævierint; temeritas, quòd Jacob, et totam illam familiam in magnum discrimen adduxerint iritatis Chaldæorum populis. Quòd si in libro Judith, cap. 9. 2, laudari videtur hoc factum, justitia tantùm Dei laudatur, qua Sichimitarum impuritas et violentia vindicata est; Deusque dicitur gladium Simeoni dedisse, ad eum modum quo datus est postea Chananæis et Assyriis, ut divinæ justitiæ administri essent ad punienda peccata, sceleris ipsi interim non immunes.

26. *Tollentes Dinam de domo Sichem.* Ubi a die stupri mansit.

27. *Depopulati.* Diripuerunt quæ placebant, cætera verò perdiderunt.

29. *Captivas.* Cùm cædes et deprædatio fuerint injustæ, credendus Jacob, ubi rescivit et potuit, captivos omnes liberos dimisisse, et quæ supererant bona restituisse.

30. *Turbastis*. Metu et angore.

Odiosum fecistis. Hebr. *me fetere fecistis*.

Chananæis et Pherezæis Qui sunt Hevæis vicini.

31. *Numquid ut scorto*. Iratorum frivola excusatio.

CAPUT XXXV.

Jacob familiam suam idolis expurgat ; aram Deo ædificat ; rursum a Deo vocatur Israel. Rachel moritur in partu Benjamin. Moritur Isaac.

1. INTEREA. Dum Jacob accolarum incursum pavet, Deus illius metum discutit et consolatur.

Facque altare. Ut promisisti, cùm lapidem erigeres.

Deo, qui apparuit tibi. Mihi, qui apparui. Loquitur de alio in tertia persona. Sic Numer. 12. 6, dicitur *propheta Domini*, hoc est meus.

2. *Deos alienos*. Quia fortè tunc audiverat Rachelem furatam idola Laban, aut etiam aliquid adhæserat aliquibus de præda Sichimorum, idolum scilicet aliquod aureum, vel argenteum.

Mutate vestimenta. Exuite sordida, induite munda, ut hoc cultu externo munditiam animi profiteamini.

3. *Socius fuit*. Itu in Mesopotamiam, et reditu in Chanaan.

4. *Inaures*. Quæ idolorum auribus appendi solebant ; vel in quibus idololatræ deorum suorum imagines sculpebant.

Infodit. Priùs confracta ac liquefacta. Sicut fecêre Moses et Ezechias, Exod. 32. 20, et 4. Reg. 18. 4. Potuisset materiam in usum sacrum convertere; sed noluit, ne quod vestigium superesset profani cultûs.

Subter terebinthum. Vox hebræa terebinthum et quercum significat. Masius, Josue ultimo n. 26, putat hanc esse terebinthum, seu quercum More, juxta quam Abraham primò aram Deo erexit. Gen. 12. 7.

5. *Terror Dei*. Ingens, et a Deo missus, ne auderent insequi discedentem.

6. *Quæ est in terra Chanaan*. Ad differentiam alterius. Jud. 1. 26.

Omnis populus. Numerosa ejus familia.

7. *Appellavit*. Priùs inditam appellationem, supra, c. 28. 19, confirmavit.

8. *Debora*. Fuit hæc nutrix Rebeccæ matris Jacob, quæ cum ea ex Haran venit in Chananæam ad Isaac. Tradunt Hebræi hanc Deboram a Rebecca remissam in

Haran, ut inde revocaret Jacob, ac in itinere, dum cum Jacob redit, mortuam esse, ut hic dicitur.

Ad radices Bethel. Ad imum montis, in quo Bethel.

Quercus fletûs. Sic vocata propter planctum quem ibi fecit familia Jacob.

9. *Apparuit autem.* Proximè apparuerat quando jussit eum in Bethel ascendere : nunc rursus apparet, postquam eò pervenerat.

Benedixitque. Cum nominis novi confirmatione, gratiæ donis et virtutibus animum adauxit.

10. *Non vocaberis ultra.* Non ampliùs solo nomine Jacob, sed etiam novo Israel appellaberis.

11. *Omnipotens.* Ut scias præstare me posse, quæ promisi.

Cresce et multiplicare. Cresces et multiplicaberis.

Gentes et populi nationum. Tribus Israel, numero gentibus et nationibus pares.

12. *Dabo tibi et semini tuo.* Tibi dabo, quia semini tuo dabo.

14. *Titulum.* Qui simul esset titulus, id est, monumentum hujus apparitionis, et promissionis divinæ, et simul esset altare, unde super eum Jacob sacrificat et libat, id est, effundit in honorem Dei libamina, vinum scilicet.

16. *Verno tempore.* Hebraicè est כברת *chibrat*, quod deducitur a radice ברה *bara*, quæ cibare significat, addito caph servili, quod *secundum*, vel *juxta* significat, quasi dicat, juxta tempus quo terra cibum et segetem effert; quod sanctus Hieronymus aliquando vertit, *tempus viridationis.*

18. *Benjamin.* Rachel moriens vocavit filium *Benoni*, id est, filium doloris; sed pater illum appellat *Benjamin*, id est, *filium dextræ*, ut enim ostenderet se forti animo hunc casum ferre, nomen auspicatius indidit, et filium dextræ nominavit, quia robur præcipuum in dextra. Vocatus etiam est filius dextræ, quia fuit patri charissimus, ut pote natu minimus, et in senectute genitus.

19. *Via quæ ducit.* Inter Jerusalem et Bethlehem.

20. *Titulum.* * Columellam, pyramidem perelegantem fuisse ait Brocardus.

21. *Trans Turrem gregis.* Turris *Eder*, id est, gregis, mille tantùm passibus distat a Bethlehem : juxta hanc turrem multi docent angelum apparuisse pastoribus nocte nativitatis Christi.

22. *Dormivit cum Bala.* Hinc Jacob spoliavit Ruben

suâ primogeniturâ, eique moriens maledixit, Genes. 49. 4: Balaam autem deinceps Jacob non attigit, ut pote hoc incestu pollutam, sicuti David abstinuit concubinis quas Absalon incestaverat. 2. Reg. 16. 22.

26. *Nati sunt ei in Mesopotamia.* Ferè omnes, nam Benjamin natus juxta Bethlehem.

27. *Civitatem Arbee.* In Cariatharbe, sive Hebron.

Peregrinatus. Sinè fixo domicilio.

29. *Consumptusque ætate.* Deficiente calore naturali, et exarescente humido radicali, quod calorem naturalem pascit et conservat, sicut flamma lucernæ pascitur oleo.

Appositus est populo suo. Patribus in limbo. Vide dicta supra, cap. 25. n. 8. * Vel simpliciter significatur transivisse a statu viventium ad statum mortuorum; cùm non minùs de impiis quàm de piis dicat Scriptura appositos vel congregatos ad populum suum.

Plenus dierum. Satur vitæ.

Sepelierunt. Apud Rebeccam, quæ priùs obierat.

Eum Esau et Jacob. Filiorum munus est parentum justa curare.

CAPUT XXXVI.

Continetur hoc capite perpetua Jacob et Esau separatio, et hujus posteritas.

1. GENERATIONES. Enumerantur Esau generationes ut ostendatur non irrita fuisse benedictio patris, et quia Idumæos cum Judæis in unam gentem coalituros, Deus ab illis pro fratribus haberi vult. Deut. 23. 7.

Ipse est Edom. Esau qui alio nomine Edom appellatur.

2. *Ada filiam Elon Hethæi.* Hæc Gen. 26. 34, vocatur Judith filia Beeri; nam olim tam viri quàm mulieres non uno tantùm nomine vocabantur. Sic Jacob dicitur etiam Israel; Esau, Edom; Sara, Jesca.

* 4. *Eliphaz.* Sunt qui putent hunc Eliphaz amicum illum esse Job, qui cum duobus aliis sociis eum solatus est. Alii existimant hunc, cujus mentio hoc capite, alterius illius magnum patruum fuisse.

6. *Abiit in alteram regionem.* In Idumæam, quò jam ante abierat propter parentum offensam, ut patet cap. 32. 3; sed mortuo patre, cùm pascua tam multis gregibus non sufficerent, eòdem rediit. Factum est hoc nutu divino, ut terra Chanaan Jacobo cederet, cui promissa fuerat.

7. *Divites.* Imitatus est Esau consilium proavi sui Abrahæ qui eadem de causa separatus est a Loth nepote suo.

8. *Ipse est Edom.* Ipse, non mons, sed Esau.

9. *Patris Edom.* Idumæorum.

10. *Filiorum ejus.* Nomine filiorum nepotes quoque comprehendit, sicut Matth. 1. 2, Christus dicitur *filius David*, *filii Abraham.*

15. *Hi duces filiorum Esau.* Hic recensentur duces, n. verò 31 reges, rursum n. 40 duces in Idumæa regnantes, quia Idumæi primò amplexi sunt aristocratiam, in qua duces ex optimatum sententia rempublicam gubernabant: deinde monarchiam, et reges habuerunt; tandem iterum aristocratiam. Porro tam duces quàm reges electione, non successione veniebant ad principatum; quare non defunctorum filii, sed alii habenas imperii capessunt.

24. *Qui invenit aquas calidas.* Pro aquas calidas in Hebr. est, ימים *jemmim*, quod vocabulum hebraizantes mulos significare affirmant; sed noster bene vertit; non enim cum iisdem punctis legit, sed ימים *jammim*, id est aquas, calidas nimirum et medicinales.

31. *Antequam haberent regem.* Hæc Moses, ut et multa alia, dicit prophetico spiritu. Alii putant addita post Mosen ab eo qui diaria Mosis digessit. Tempore enim Mosis nulli adhuc reges in Israel.

33. *Jobab.* Hic est Job, speculum patientiæ.

CAPUT XXXVII.

Joseph sua narrat somnia, concitat in se fratrum odia, et ab his venditus servit Putiphari Ægyptio.

1. *In qua.* Habitavit in Hebron.

2. *Hæ sunt generationes.* Hæ sunt res gestæ et eventa Jacob in generationibus, seu filiis ejus.

Cùm sedecim esset annorum. Expleverat decimum sextum, et decimum septimum inchoaverat; nam Hebr. et LXX decimum septimum egisse docent.

Adhuc puer. Ætate, moribus et innocentia.

Cum filiis Balæ et Zelphæ. Fortasse Jacob gregum curam diviserat, ita ut partem curarent sex filii Liæ; alteram quatuor filii ancillarum, cum quibus Josephum junxit, quia non tam ægre ferebant isti minorem natu sibi præferri. Priores illi tumebant uxore primaria, et superstite adhuc, et seniore, et ingenua nati.

Fratres.

Fratres. Maximè filios Balæ et Zelphæ, cum quibus versabatur.

Crimine pessimo. Contra naturam, vel sodomitico, ut vult Rupertus; vel bestialitatis cum ovibus quas pascebant, ut vult sanctus Thomas et alii.

3. *In senectute genuisset eum*. Parentes filios in senectute genitos magis diligunt; vel quia post hos alios se suscepturos non sperant: vel quia per hos, ut pote diutiùs victuros, diutiùs etiam parentum nomen, et memoria conservatur: vel quia sunt indices bonæ, firmæ et viridis senectæ parentum. Adde aliam in Josepho fuisse amoris causam, vitæ scilicet ac morum innocentiam.

Tunicam polymitam. Hebr. est פסים *passim*, quæ vox videtur significare vestem ex segmentis alterius materiæ vermiculato opere variegatam. LXX tantùm dixerunt ποικίλην, *variam*, *variegatam*. Noster interpres vocabulo græco usus polymitam dixit: est autem πολυμιτὸν quod varii coloris liciis constat, et italicè vestes hujusmodi appellantur *di color cangiante*.

4. *Oderant eum*. Causa odii prima amor hic patris; 2. delatio criminis; 3. tunica polymita; 4. somnia.

7. *Ligare manipulos*. Segetum aptè hoc symbolo portendebatur fratrum in Ægyptum profectio ad frumentationem tempore famis. Rursus quòd manipuli fratrum adorent manipulum Joseph, significabat fratres adoraturos Joseph in Ægypto.

9. *Aliud quoque*. Similiter a Deo immissum somnium, quod eòdem tendebat, et geminatione sua præcedentis certitudinem astruebat.

10. *Increpavit eum*. Nec infensus, nec dicta vilipendens; sed hoc pacto livorem fratrum prudenter leniturus.

Num ego, et mater tua. Quasi dicat: Quis credat me et matrem tuam te adoraturos aliquando? * Per matrem non intelligit Rachelem, quæ jam erat mortua, sed Balam uxorem suam, a qua Joseph nutritus fuerat, et quæ, Rachele exstincta, in matris locum successerat.

11. *Rem tacitus*. Suspicans a Deo immissa, eventum exspectabat.

13. *Veni, mittam te*. Josephum domi retinuerat pater, ut tempus et absentia invidentiæ morbo mederetur; post aliquod tempus jam ratus odia evanuisse, mittit ad eos.

15. *Errantem in agro*. Ignarum ubi fratres inveniret, et palantem.

19. *Somniator*. Hebr. est, *dominus somniorum*, id est, habens, possidens somnia; vel peritus fingere somnia, vel dominus et princeps, sed in somnio.

20. *In cisternam*. In hebræo est, בּיר *bor*, quæ vox cisternam significat, in qua aquæ non scaturiunt, ut in puteo, sive fonte, sed aliunde colliguntur. Scholiastes hebræus ait בּאר *beer*, significare puteum effossum tantùm, בּיר *bor*, adjecto ædificio et parietibus.

21. *Nitebatur*. Conjectum in cisternam cogitabat clanculum extrahere, et salvum patri restituere, ut amissam incestu gratiam, hac in fratrem tam dilectum patri pietate, recuperaret.

22. *Interficiatis animam*. Metonymia. Ne interficiatis eum.

23. *Talari et polymita*. Duplici veste spoliatus est, interiore, quam vocat talarem, et polymita, quæ exterior. Credibile postea rursum indutum talari; nam polymitam ad patrem miserant.

24. *Miseruntque*. Josephus scribit a Ruben fuisse fune demissum.

25. *De Galaad*. Quà venientibus ex Arabia per Dothain in Ægyptum erat transeundum.

Aromata. In hebræo est נכאת *necot*, quam vocem alii interpretantur ceram, alii opobalsamum, alii aromata, alii res desiderabiles.

Resinam. Resina dicitur humor tenax ex arbore defluens, illique adhærens. Aliqui vocem צרי *tseri*, balsamum, vel theriacam interpretantur.

Stacten. Est myrrhæ lacryma, quæ ab arbore illa stillat et defluit, ἀπὸ τῦ ςάζειν.

27. *Acquieverunt fratres*. Octo qui aderant tempore venditionis; nam Ruben aberat, ut patet ex num. 29.

28. *Madianitis*. Madianitæ simul cum Ismaelitis in eodem comitatu proficiscebantur : hi simul emerunt Joseph et simul vendiderunt. Propter hanc societatem eos Moses modò Madianitas, modò Ismaelitas vocat.

Viginti argenteis. Siclis.

29. *Reversusque*. Abierat pascua quæsiturus.

30. *Scissis vestibus*. In mœroris argumentum, ut solebant Hebræi.

Ego quò ibo? Ut eum inveniam. Quoad venditionem ab omni culpa Ruben liber fuit. Fratres narrarunt vivum venditum. Sic placatus consensit in patris deceptionem.

33. *Fera pessima*. Ita credebat; nec enim tam immane scelus animum paternum subibat; et Palæstina leonibus, ursis, aliisque carnivoris feris abundat.

34. *Indutus est cilicio*. Hebr. *sacco*. Primus qui in luctu saccum seu cilicium induerit, quantùm habemus ex Scripturis, Jacob fuit, quem postea Israelitæ imitati sunt.

Multo tempore. Annis 23, donec ei nuntiatum Joseph in Ægypto vivere.

35. *In infernum*. Infernus sæpe in Scriptura sepulcrum significat : sæpe etiam locum ad quem migrant animæ, quæ est hujus loci significatio : nam Jacob putabat filium a feris laniatum, nec ad illum, cujus ossa sepulcro non condebantur, se descensurum sperare poterat.

36. *Eunucho*. Eunuchus non fuit, qui uxorem habuit, et, ut multi volunt, filiam, quæ postea Josepho nupsit; sed omnes qui in aula et obsequio regum versabantur, eunuchi dicebantur, fortasse quòd plerique eunuchi essent.

Magistro militum. LXX dixerunt, ἀρχιμαγείρῳ, *principi coquorum ;* alii *principi lanionum* ; id enim vox hebræa טבחים *tabbachim*, significat, sive *mactantium :* verùm eòdem referuntur omnia, nam laniones et coqui et mactantes iidem erant; mactabant enim coqui eas pecudes quas coquere cogitabant. Inde vox ad milites translata, quia ut illi pecudes, ita isti homines mactant. Quare et apud Græcos vox μαγειρέυειν occidere significat.

CAPUT XXXVIII.

Judas generat Her et Onan. Thamar dolosè ex Juda concipit, gignitque Phares et Zaram.

1. EODEM *tempore*. Anno 16 Josephi, cùm Judas annorum esset 19.

Judas. Potiùs fit mentio Judæ, et posteritatis ejus, quàm aliorum fratrum, quia ex Juda de Thamar Christus erat nasciturus.

2. *Viditque*. Concupivit.

Sue. Non est nomen filiæ, sed patris ejus, soceri Judæ, ut patet ex hebræo.

3. *Vocavit nomen ejus Her*. Ipse Judas ; nam in hebræo est vox masculina.

4. *Vocavit. Onan*. Uxor Juda ita vocavit : quod patet ex hebræo textu, in quo est vox feminina, ut etiam numero sequenti.

7. *Fuit quoque Her .... nequam*. Her et Onan fra-

trum idem peccatum fuisse ferunt auctores, nempe immunditiæ, cò quòd in actu matrimonii se retraherent, et sic, semine extra vas fuso, generationem impedirent. Diverso tamen fine ambo: Her, ne puerperia et lactatio liberorum de pulchritudine conjugis, quam deperibat, quidquam decerperet. Onan, ne fratri suo filios gigneret: in hoc invidia, in illo libido dominabatur: uterque scelus immane admittebat.

Occisus est. Ut et frater plagâ insolitâ, sed tali, qua manifestum esset hominibus propter scelus aliquòd atrox interemptos: opinor ministerio angeli mali, quo solet Deus uti in ultione exigenda, *immissione per angelos malos*, ut dicitur Ps. 77. 49: fortasse Asmodæus fuit, *qui fuit etiam* necator libidinosorum maritorum Saræ, Tob. 3. 8.

8. *Ingredere.* Jam ergo in more positum, quod postea lege sancitum, ut frater uxorem fratris, qui sinè liberis decesserat, in conjugium acciperet. Deut 25. 5; Ruth. cap. ult. n. 10.

9. *Non sibi nasci filios.* Enallage, filios, pro filium; solus enim primogenitus filius mortui censebatur, reliqui ipsi gignenti nascebantur.

11. *Esto vidua.* Moris videtur fuisse ut quæ in familiam aliquam nupserat, illi familiæ addicta maneret, quamdiu aliquis superesset consanguineus, qui defuncto semen suscitare vellet. Juxta hunc morem sinè soceri consensu non licebat Thamar aliunde conditionem sibi quærere. Judas autem timens ne Selæ simile quid ac fratribus accideret, variis promissis viduam frustrari statuerat, donec ipsa moræ pertæsa, peteret ab eo licentiam alteri nubendi: quod illam non latebat; sed nolebat ex alia stirpe, quàm Abrahami prolem; et simul sterilitatis improperium oderat; quare stropham commenta, quam in caput Judæ, vel cum vitæ periculo verteret.

12. *Opilio gregis.* Chald. *socius ejus*, nempe amicus. Sanè hebraicè iisdem litteris pastor et amicus significantur, si puncta removeas.

* *In Thamnas.* Videtur esse Thamnatà Samsonis, de qua Jud. 14.

14. *Theristrum.* Vestis est tenuis et linea, qua mulieres æstivo tempore utebantur, quam peplum interpretantur. Olim veste tegebant mulieres caput et faciem, vel certè ita vultum velabant, ut unus tantùm oculus appareret, atque ideo cognosci facilè non poterant.

In bivio itineris. Sic olim scorta, quæ ideo a Latinis mœchæ semitariæ dictæ : in hebr. est, *in porta oculorum.* Porta dicitur oculorum, quòd inde viatores oculis speculentur quam viam insistere debeant. Alii vertunt *viam duorum fontium*, quia vox hebr. quæ oculos, etiam fontes significat.

16. *Ingrediensque ad eam.* Judas peccavit simplici fornicatione: non enim agnoscebat suam nurum, et ipse eo tempore matrimonio solutus erat. Thamar peccavit incestu, et quasi adulterio, quia uxor Selæ debebatur. * Fortasse Thamar personata Judæ suì copiam fecit, ideoque non est agnita; morem hunc fuisse meretricum tradidit Chrysippus in Isagoge bonorum et malorum, cùm ait : ἔξω πόλεως, καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμισθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις. *Extra civitatem meretrices personatæ volentibus prostituebant se, pretio accepto.*

17. *Hædum de gregibus.* Hebr. *hædum caprarum*; ponitur plurale pro singulari, *hædum capræ* filium, hœdum, qui adhuc matrem sequeretur, nondum ab uberibus avulsum.

Arrhabonem. Pignus vertit chaldæus; vox est latina et græca, sed quæ ab Hebræis sumpta videtur.

18. *Annulum.* Sigillum.

Armillam. Monile, seu torquem. Alii *tæniam* vertunt; chaldæus, *palliolum.*

Baculum. Scipionem viatorium.

23. *Mendacii arguere.* Heb. *ne fortè simus in confusionem*, id est, ne res publicetur, et jactet illa se mecum congressam, neque me pactis stetisse. Chald. et LXX, *ne simus derisui.*

24. *Producite eam ut comburatur.* Judas ut paterfamilias in nurum sententiam tulit judicis auctoritate, et tunc adulterii pœna ignis fuit. Fortasse illud, *producite*, exponendum de domo in carcerem, donec pepererit, ut postea rogo tradatur. * Non Judæ, sed legitimi judicis sententia.

26. *Justior me est.* Non castior, aut sanctior, sed justior; Judas enim promissa et pacta sua non servaverat, et injustè impediebat ne prolem ex Sela susciperet.

Attamen ultra. Quia nurus illi erat, et concubitus incestus fuisset. Pariter Sela ab ea abstinuit, quia a Juda parente cognita.

27. *Apparuerunt.* Obstetrix manu ad uterum admota cognovit duos intus esse, et quasi luctari quis prior egrederetur.

Coccinum. Ut constaret uter esset primogenitus.

29. *Dixitque mulier*. Obstetrix ægre ferens se deceptam : metuens etiam ne violenta hæc eruptio matri, aut gemellis noceret.

Quare divisa est propter te maceria? Sensus est : Quare frater tuus primus egredi volens, secundinas, quibus eratis in utero involuti, disrupit?

Phares. Significat *separationem* seu *divisionem*.

30. *Zara*. Oriens : ita dictus, quòd cùm prior manum extulisset, priùs oriri debuerat.

CAPUT XXXIX.

Josephi castitas tentatur ab hera; ille relicta chlamyde fugit, ideoque per calumniam heræ mittitur in carcerem.

1. *A quibus*. Qui illum in Palæstina emerunt a fratribus, iidem nunc in Ægypto Putiphari vendiderunt.

2. *Fuitque Dominus cum eo*. Semper illum divina gratia comitabatur, omnia illi expediens, et omnibus gratum reddens.

Vir in cunctis prospere agens. Vir non ætate, sed prudentia et maturitate, cui cuncta prospere cedebant.

3. *Optimè noverat*. Experientiâ scilicet didicerat.

Dirigi. Prosperari, fortunari.

5. *Benedixitque*. Bonorum omnium affluentia replevit.

Tam in ædibus, quàm in agris. Domi forisque.

6. *Nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur*. Adagialis loquendi formula : sensus est, ita omnia sua commiserat Joseph, ut cùm probitati ejus maximè confideret, nullam rationem dati et accepti reposceret, sollicitus duntaxat mensæ accumbere, et frui iis quæ Josephi arbitrio apponerentur.

7. *Post multos itaque dies*. Fortè anno octavo, nono, vel decimo post venditionem in Ægypto; nam nihil certi definiri potest.

Injecit. . . . oculos. Flagitium spirantes, lascivos.

9. *Qomodo ergo possum*. Quasi dicat : Quî fieri possit ut erga tam benignum dominum tam sim ingratus, maximè cùm id sinè gravi Dei offensa fieri non possit?

10. *Per singulos dies*. Nullam occasionem colloquii pellacis et malesuadi sibi elabi patiebatur.

Stuprum. Adulterium : est catachresis.

11. *Ut intraret Joseph domum, et operis quippiam*

absque arbitris faceret. Soli domi negotia domini procuranti mulier impura supervenit. Chaldæus ait ingressum ut scripturas ratiociniorum investigaret.

12. *Laciniâ*. Extrema fimbria, seu ora vestimenti.

Egressus est foras. Potuisset robustus juvenis pallium de mulierculæ manibus violenter extorquere, sed nec vim dominæ facere voluit; nec contactam impuræ feminæ manibus vestem ultra gestare sustinuit.

13. *Vidisset mulier*. Facilis mulieri ex amore in odium migratio, præsertim si se et contemptam et deprehensam animadvertat.

14. *Vocavit ad se*. Quiritans, et ut opem ferrent, et comprehenderent Josephum jubens.

17. *Servus hebræus quem adduxisti*. Etiam maritum culpæ quodammodo participem facit, ut ita cogat acriùs in Josephum sævire. * Simile illud in Hippolyto Senecæ.

> . . . . en præceps abit,
> Ensemque trepidâ liquit attonitus fugâ.

19. *Nimiùm credulus*. Excæcante zelotypia: nec advertit hanc ipsam vestem indicium potiùs esse violentiæ a muliere profectæ, ut notavit Philo.

20. *In carcerem*. Hebr. *in domum carceris*.

21. *Principis carceris*. Præfecti et custodis.

22. *Sub ipso erat*. Directione ejus fiebat.

23. *Nec noverat aliquid*. Nulli rei se immiscebat, nihil curabat, omnia enim fidei et prudéntiæ Josephi commissa.

CAPUT XL.

Joseph pincernæ et pistori somnia explicat; explicationem probat eventus.

1. *Ut peccarent*. Quod crimen admiserint ignoratur; fortasse aliquid furati de annona, vel aliqua orta suspicio, ne Pharaoni venenum pararent.

Pincerna. LXX habent, *principem pincernarum*, eorum scilicet qui Pharaoni vinum miscebant pocillatorum.

Pistor. Vox hebræa *panis coctorem* significat. LXX, principem eorûm qui panes faciebant.

3. *Principis militum*. Putipharis.

Vinctus. Captivus, jam enim vincula dempta.

4. *Custos carceris*. Clavicularius, ergastularius.

Aliquantulùm temporis fluxerat. Aliqui probabiliter putant annum unum.

5. *Juxta interpretationem congruam sibi.* Unusquisque vidit somnium congruum functioni suæ, et indicans quid singulis eventurum.

8. *Non est qui interpretetur.* Quia carcere conclusi sumus, interpretis copiam non habemus.

Numquid non Dei est interpretatio? Quasi dicat neminem posse interpretari verè somnia, nisi a Deo interpretationem accipiat; Deum verò revelare, cui velit, et se sperare id a Deo sibi concessum iri.

10. *Tres propagines.* Tres palmites, seu tria flagella vitium in terram depressa ad novas vires in solo colligendas, et novos pampinos fundendos. Hoc latina vox *propago* et græca πυθμὴν, quæ est apud LXX, significant.

12. *Tres adhuc dies sunt.* Id est, significant. Tres porro propagines in terram depressæ, et ex illa emergentes, bene tres dies significant; toties enim sol conditur, et rursus in triduo existit.

13. *Post quos.* Hebr. *et dum adhuc tres dies*, id est, post tertium inchoatum.

Recordabitur Pharao ministerii tui. Hebr. *elevabit Pharao caput tuum*, hoc est, pristinæ dignitati restituet.

14. *Tantùm memento.* Non posco pretium tam fausti nuntii, tantùm mihi faveas apud Pharaonem, ut hinc educar.

15. *Furto.* Plagito fratrum. Non fratres, non adulteram accusat, sed suam tantùm innocentiam profitetur.

De terra Hebræorum. De terra Chanaan, in qua pater et fratres, qui Hebræi sunt, degunt.

In lacum. In carcerem. Vox hebræa בור *bor*, cisternam, lacum, antrum significat.

16. *Videns.* Ex interpretatione præcedentis somnii spe bona plenus.

Prudenter. Magna verisimilitudine.

Canistra farinæ. *Tres cophini pollinis triticei*, ut vertit Aquila; vel, ut habet chaldæus, *tria canistra plena pane principali.* Visus ergo sibi est pistor capite sustinere tria canistra invicem superposita, in quorum imo et medio soli panes erant, in supremo verò omne genus cibi pistorii, pastæ, artocreæ, et hujusmodi alia, ad quæ aves carnivoræ advolabant.

19. *Post quos.* Inchoatos; nam tertio die durante id accidit.

Auferet.... caput tuum. Vitâ privabit.

Lacerabunt volucres. Nam crucifixorum cadavera

gentiles de crucibus pendere sinebant, et carnivoræ aves in ea involare solebant, seque eorum carnibus pascere. * Hoc est quod Horatius dixit :

. . . . Pasces in cruce corvos.

22. *Ut conjectoris veritas.* Sensus est, ex quo factum est ut appareret conjectorem verè somnium fuisse interpretatum.

CAPUT XLI.

Joseph duo somnia Pharaonis explicat: Ægypto præficitur, et ab ea septennem famem providentiâ suâ depellit.

1. Post *duos annos.* Hebr. *a fine duorum annorum*, id est, biennio completo a liberatione principis pincernarum.

Super fluvium. Juxta fluvium Nilum.

2. *Locis palustribus.* Paulò remotiùs a Nilo, pratis tamen humentibus, et proinde gramine plenis.

3. *In ipsa amnis ripa.* Hebr. *super labium fluminis.* Fertilitas Ægypti dependet a Nili exundatione, ideo pingues vaccæ visæ pasci remotiùs. Steriles anni sunt, quando flumen malignè solam viciniam irrigat: propterea macræ in ipsa ripa pascuntur.

4. *Devoraveruntque.* Quia sterilibus annis omnis fertilium annorum copia fuit absumpta.

5. *Alterum.* Infra, n. 25, hæc duo somnia unum vocantur somnium, quia unum fuerunt significatione prophetica, duo verò tempore et modo significandi. * Solent autem somnia divinitus immissa non raro eamdem rem exhibere, ut patet ex hoc eodem cap. n. 32 : sic apud Danielem idem significatum per statuam et arborem. Sic de somnio Ptolomæi Tacitus, l. 5. hist. *Eadem species terribilior jam, et instantior.*

6. *Uredine.* Vento urente, euro dessicante, qui ventus Ægypto noxius; flat enim a vasta Arabiæ solitudine.

7. *Evigilans Pharao.* Hebr. *evigilavit Pharao, et ecce somnium.* Quasi dicat, illi jugiter obversabantur.

8. *Conjectores.* Ariolos, qui, pacto cum dæmone inito, divinant. * Mos vetus Ægyptiorum, et diu retentus, consulendi hoc genus hominum. Tacitus, lib. 4. hist. de Ptolomæo: *Ptolomæus omine et miraculo excitus, sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit.*

Nec erat qui interpretaretur. Aptè et sapienter, ita ut regi satisfaceret.

9. *Peccatum meum.* Ingratitudinem, et beneficii oblivionem a Josepho accepti.

11. *Præsagium.* Hebr. *unusquisque secundum solutionem somnii sui somniavimus.*

12. *Puer.* Adolescens.

14. *Totonderunt.* Moris olim fuit ut in luctu, captivitate, servitute, capillum barbamque intonsam relinquerent in mœroris argumentum.

* *Veste mutata.* Lugentes enim aut sordidati regem adire non poterant. Vide infra, cap. 50. 4, et Esther 4. 4.

16. *Absque me.* Hoc est, *non ego, sed Deus*, ut vertit Symmachus; sive non tam ego, quàm Deus, unde et rectè chaldæus, *non ex sapientia mea, sed a facie Domini respondebitur pax Pharaoni.*

Prospera. Puto vaticinium potiùs hoc esse quàm bene precandi formulam.

25. *Unum est.* Significatione, nam ejusdem rei symbolum.

32. *Firmitatis indicium est.* Hoc est, ad confirmandam priorem prædictionem adhibitum, et certiorem te reddendum procul dubio ita futurum.

34. *Quintam partem.* Cùm sint totidem anni fertilitatis et sterilitatis, cur non mediam? 1. quia sufficiebat quinta, id est, quia famis tempore partiore victu homines contenti sunt; 2. quòd de fertilioribus annis multorum horrea adhuc plena essent; 3. quia semper prope Nilum aliquid seri poterat, quod, quia valde parum propter exiguas ejus exundationes, pro nihilo ferè reputabatur; adeo ut idcirco dicatur inferiùs, cap. 45. 6, *nec arari nec seri potuisse.*

35. *Congreget in horrea.* Per singulas urbes divisa.

Omne frumentum. Scilicet e quinta illa parte collectum.

40. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Hebr. est, *omnis populus ad os tuum osculabitur*, id est, oris tui præceptum exosculabitur, venerabitur, eique libenter parebit.

42. *Annulum.* Signatorium ad sancienda decreta.

Stola byssina. Quæ tunc satraparum, et principum in Ægypto propria. Byssus lini tenuissimi species est.

Torquem. Catenam auream.

43. *Currum suum secundum.* Quo vehi solitus, qui secundus a rege.

Ut omnes coram eo genu flecterent. In Hebr. est, *et clamaverunt ante eum abrech.* Aliqui putant vocem

abrech significare *flecte genu*, alii, *pater tener*; alii, *pater regis*. Thargum ita vertit: *Clamabant, vivat pater regis, qui est princeps in sapientia, et tener in annis!*

44. *Ego sum Pharao.* Quasi dicat: Juro tibi per meipsum, qui sum rex supremus. Omnes Ægypti reges *Pharaones* dicti sunt annis ferme mille quadringentis a primo cui hoc nomen. Postea reges Alexandrini dicti sunt Ptolomæi.

Non movebit quisquam. Nihil momenti alicujus fiet sinè consensu tuo. Videtur adagium.

45. *Linguâ ægyptiacâ.* Verba hæc non in hebræo sunt, nec in græco; addita ab interprete latino, ne cruciemur quærentes cujus linguæ vocabulum sit quod sequitur.

Salvatorem mundi. Quòd scilicet suâ prudentiâ et sapientiâ ab ea mundi plaga exitium averterit, quod a fame imminebat.

Aseneth filiam Putiphare. Putant aliqui hunc Putipharem eumdem esse cum primo hero Josephi: sed verius est esse diversum: hic enim sacerdos erat, ille militiæ princeps; hic Heliopoli, ille Memphi in regia degebat.

Heliopoleos. Quæ vox *civitatem solis* significat.

46. *Stetit in conspectu.* Hebræis stare in conspectu Domini est servire, seu ministrare. Dan. 1. 19, *steterunt in conspectu regis.* 1. Reg. 16. 21, *stetit coram te.*

47. *In manipulos.* Tanta fuit abundantia, ut cuncta horrea manipulorum acervis complerentur; ideo etiam manipuli conditi in horrea, quia sic diutius conservatur triticum, et quia quotannis ex manipulis frumentum excutiendo quædam trituræ species exhibebatur, quæ tristitiam ex sterilitate leniret.

49. *Ut arenæ maris.* Hyperbole.

Mensuram. Annorum præcedentium, etiam fertilissimorum.

51. *Manasses.* Id est, faciens oblivisci.

52. *Ephraim.* Il est, fructificationes.

Paupertatis. Humiliationis, afflictionis.

54. *In universo orbe.* Ægypto circumjacente, Syria, Chananæa, etc.

57. *Omnesque provinciæ.* Proximæ, nam cæteris vix ad paucos menses Josephi horrea suffecissent.

CAPUT XLII.

Joseph fratres suos in Ægyptum frumenti causâ venientes agnoscit, et durè tractat, tandemque retento Simeone cæteros dimittit ea lege ut ad se adducant Benjamin.

1. QUOD *alimenta venderentur.* Hebr. *quòd esset divisio, seu fractio in Ægypto ;* id est, quòd dividerentur cibi. Frequenter Hebræi utuntur verbo frangendi, cùm de cibis est mentio. Thren. 4. 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

Quare negligitis ? Hebr. *utquid vos ipsi aspicitis ?* qui habitus otiosorum est et desidum exspectantium dum alter rem expediat.

6. *Adorassent.* More regio, vultu profundè ad terram inclinato, aut genu submisso. Hoc eventu somnium Joseph comprobatum est.

7. *Quasi ad alienos.* Offensi personam sumens, indignanti similis et minanti.

8. *Non est cognitus ab eis.* Quia jam ætas adultior barbam induxerat, et aliquam lineamentorum mutationem. Quæres cur tamdiu rem celari voluit Deus, ut Jacob parenti Josephi status, et vita non innotesceret ? Respondeo id divino consilio factum, ut Jacobi virtus, et patientia exerceretur, et levia ejus crimina hoc purgationis genere expiarentur. Deindè ne redimeretur Joseph a Jacob, essetque locus impletioni somnii, et Jacob in Ægyptum descenderet cum suis, ut inde postea numero aucti, ad promissam terram possidendam ascenderent.

9. *Exploratores estis.* Nihil laborandum ut hanc insimulationem mendacii notâ liberemus ; sciebat eos non esse exploratores, sed hoc crimen impingit, ut adigat illos sibi de statu in quo pater versaretur, et quod de Benjamino fratre uterino actum, vera narrare. Non tamen injustus fuit sic insimulando; cùm enim personam publicam gereret, licebat a reis quos sciebat affines parricidii, et plagiti fraterni pœnam exigere : quantò autem minorem exigit, quàm commeriti essent ! D. Augustinus ait non esse mentitum, sed jocosa simulatione ita locutum.

Infirmiora terræ. Hebr. *nuditates terræ.* Id est, loca minùs arte munita.

11. *Pacifici.* Vox hebræa rectos, sinceros, veraces significat.

14. *Hoc est, ait.* Ex eo quòd fingitis vos alium fratrem habere qui non adest, colligo cætera quoque falsa.

15. *Experimentum vestrî capiam.* An mentiti sitis.

16. *Per salutem Pharaonis.* Jurat per vitam Pharaonis se illos tanquam exploratores habiturum et tractaturum, nisi Benjamin adducant. * Est juramentum per modum exsecrationis, qua vitam et salutem Pharaonis Deo obligat, tanquam rem sibi charissimam, si secus faciat ac dixit.

18. *Deum enim timeo.* Quasi dicat : Nihil injustè faciam aut inhumanè ; scio excelso excelsiorem esse alium cui mea dicta et facta probare debeam.

21. *Meritò hæc patimur.* En conscientiæ vim. *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit*, ait quodam loco S. Gregorius.

22. *En sanguis ejus exquiritur.* Moriendum nobis, quia fratrem occidimus, nam mortuum credebant.

24. *Et flevit.* Naturali affectu simulationis artificium vincente.

25. *Simeon.* Hic eligitur ad pœnam, quia cùm natu esset proximus Rubeno, si se illi adjunxisset (quia Judas etiam in Josephum propendebat) facilè cæteros auctoritate sua coercuisset; ideò præcipuam culpam Simeoni nonnulli auctores adscribunt.

Illis præsentibus. Ut eos magis terreret.

Datis supra cibariis in viam. Dato insuper viatico : id est, addita annonæ emptæ tanta panum et pabuli quantitate, quanta per iter ipsis jumentisque satis esset, ut quod coemerant, integrum et sinè diminutione domum ferrent.

27. *Pabulum.* Hordeum vel avenam.

28. *Obstupefacti.* Hebr. *egressum est cor illorum.* Veriti scilicet insidias sibi strui, consternati sunt.

29. *Narraverunt.* Ultro et sponte, ne pater animi penderet ubi mansisset Simeon.

35. *Singuli repererunt.* Filii aperuerunt saccos in via, sciebantque pecuniam eis inesse; pater verò nesciebat; sed filii coram patre simulant se quoque id nescire, ne a patre increpentur. Exterriti ergo sunt filii, id est, simularunt novum metum. Jacob verum concepit, timens Simeoni si non rediret.

36. *Absque liberis.* Orbum fecistis.

In me hæc omnia. Solus omnia luo, qui sic in liberis discerpor.

37. *Duos filios meos interfice.* Hyperbolica locutio, significans certo certiùs se reducturum.

38. *Canos meos.* Me jam decrepitum.

Cum dolore. Efficietis ut ego senex mœrore contabescam, senio meo mortem accelerabitis.

CAPUT XLIII.

Fratres secundò cum Benjamin eunt in Ægyptum, ut emant frumentum : Joseph benignè eos, et lautè convivio excipit.

1. INTERIM. Dum Jacob differt Benjamin in Ægyptum mittere, secundo jam famis grassantis anno.

2. *Consumptisque.* Non prorsus, sed propè.

Pauxillùm escarum. Quod hujus anni inediæ depellendæ sufficiat : nesciebat adhuc quinquennium superesse.

3. *Judas.* Qui inter alios fratres animo, facundia, prudentia et auctoritate excellebat.

Sub attestatione jurisjurandi. Juraverat enim per salutem Pharaonis.

Non videbitis faciem meam. Nullus vobis ad me patebit tutus accessus : nam si audeatis vos coram me sistere, puniam ut exploratores.

4. *Ememus tibi.* Cui totius familiæ alendæ cura incumbit.

5. *Non ibimus.* Ne frustra, imò cum periculo eamus.

6. *In meam hoc fecistis miseriam.* Non intendendo, sed occasionem dando vestris sermonibus huic meæ miseriæ, qua filio me privare cogor.

8. *Puerum.* Fratrem natu minimum ; alioquin enim jam annorum erat 24, filiosque genuerat, ut patet infra, c. 46. 21.

Ne moriamur. Expedit unum filium Benjamin incerto vitæ periculo exponi, quàm simul illum tecum et nobiscum certa fame perire.

9. *Ero peccati reus.* Quasi dicat : Quamdiu vivam, hoc mihi peccatum impropera, et quamcumque voles pœnam, mihi inflige.

11. *Sumite de optimis terræ fructibus.* Hebr. est, *sumite de cantatione terræ.* Cantatio hebraicè vocatur res præstans, nobilis, laudabilis, decantanda.

Resinæ. Vide supra, cap. 37. 25.

Storacis. In hebr. est נכאת *necot*, de qua voce dictum cap. 37. 25. Storax lacryma est arboris, quæ storax dicitur; de qua Dioscorides lib. 1. c. 78 : Plin. lib. 12. 25.

Stactes. Vide supra, cap. 37. 25 ; stacten aliquando

noster interpres *guttam* vocat, ut psal. 44. 9. *Myrrha, et gutta, et casia, etc.*

Terebinthi. Terebinthus hic est resina, vel succus qui ex arbore terebintho distillat; vulgò *termentina.*

Amygdalarum. LXX, *et nuces*; sed ponitur genus pro specie; nam amygdalæ sunt de genere nucum.

12. *Errore.* Famulorum incuriâ, non domini voluntate.

14. *Quasi orbatus.* Dum abestis, videbor mihi prorsus esse sinè filiis. LXX, patheticè, *filiis orbatus sum, filiis orbatus sum.*

16. *Victimas.* Animalia quæ ad convivium occiduntur. Vocantur verò victimæ, quia antiqui de carnibus sacrificatis frequenter epulabantur. In hebræo est, *macta mactationem.*

23. *Pax vobiscum.* Securos esse jubeo.

Deus... dedit vobis. Per me cui Deo inspirante jussit Joseph.

Thesauros. Pecuniam arcanam, quæ vos latebat.

Probatam ego habeo. Hebr. *pecunia vestra venit ad me.* Sensus est: Ego illam acceptam fero, fateor me recepisse.

Eduxit. Liberum, vinculis solutum.

26. *Proni in terram.* Flexo poplite.

29. *Vidit Benjamin.* Viderat priùs, sed obiter et dissimulanter; nunc ex professo eum intuetur et alloquitur: unde hic aspectus lacrymas amoris et pietatis excussit.

Misereatur. Faveat tibi.

30. *Festinavitque.* Quasi ad aliud negotium evocatus.

32. *Seorsum Joseph.* Tres ut minimùm mensæ positæ sunt: in prima solus Joseph, ut regno præpositus; in secunda undecim fratres; in tertia proceres ægyptii ad convivium vocati.

Vescebantur simul. Simul tempore et loco, non mensâ.

Illicitum est enim. 1. Quia quadam superstitione et fastu pastores immundos judicabant; 2. quia ea, quibus vescebantur Hebræi, oves, hirci, tauri, erant eorum numina. Exod. 8. 26. Non quidem ista nunc Hebræis apposita, sed sciebant iis vesci solitos.

33. *Sederunt.* Antiquior est mos ad mensam assidendi, quàm in lectis accubandi.

Mirabantur nimis. Non enim ipsi sic sponte sua consederant, sed eo ordine jussu Josephi dispositi fuerant. Mirabantur etiam convivatoris humanitatem, et excessum missûs Benjamin.

34. *Sumptis partibus.* Hebr. est, *et elevavit elevatio-*

nes a faciebus suis ad eos; unde patet consuetudo. Cibi primò apponebantur Josepho; ille verò distribuebat convivis cæteris. Misit ergo missus æquales cæteris fratribus, Benjamin soli largiùs et multipliciùs. Hebræi missus vocant *elevationes*, quia honoris causâ elevatis in altum manibus deferebantur. *A faciebus suis*, hoc est, de cibis coram eo positis.

Ita ut quinque partibus excederet. Non quinque fercula Benjamino pro uno cæteris apposito, data sunt; sed portio quintuplo major, honoris et benevolentiæ causâ.

Inebriati sunt. Exhilarati sunt, et mero incaluerunt, citra tamen crapulam aut temulentiam.

CAPUT XLIV.

Scyphum suum occultè in sacco Benjamini poni jubet Joseph. Hinc Benjaminum quasi furem sibi servum deposcit: pro eo se Judas in servitutem offert.

2. SCYPHUM. Quo præcipuè delector. Vox hebræa significat poculum in colliculi modum elevatum.

Junioris. Duplici de causa, animi eorum explorandi, et Benjamin apud se retinendi, dum pater adveniret. Fecit etiam ut sic experiretur quo animo in Benjamin fratres forent, et an aliqua illos invidia afflasset, quòd a Joseph honorificentiùs quàm ipsi habitus esset.

3. *Dimissi.* Inopinato discessu læti, ac doli ignari.

4. *Persequere.* Cum equitum turma, ut celeriter assecuti ab invitis Benjaminum abducerent.

Quare reddidistis. Licebat Josepho cæteros fratres sic affligere dolore et metu, quia innocentem fratrem vendiderant: Benjaminum vexandi jus nullum habebat, sed hanc, quæ modici temporis fuit, injuriam mox majore lætitia et honore statuerat compensare. Mendacii aliquid intercessit, sed jocosi: calumniæ nonnihil, sed sinè animo nocendi.

5. *In quo augurari solet.* Hebr. *in quo augurando auguratur.* Sententia est: si quandò dominus meus velit augurari, hoc scypho utitur. Itaque non dicit absolutè illum auguriis vacare; sed ut id opinentur, loquendi ambiguitate occasionem præbet. Vel ita loquitur ex opinione vulgi quod auguriorum scientiam Josepho tribuebat. Alii excusant Joseph quòd joco id dixerit, et ad breve tempus ita fratres siverit opinari; * vel etiam hoc de suo addidit dispensator, ut strophæ suæ colorem adderet, et crimen exaggeraret.

8.

8. *Quomodo consequens est.* Si pecuniæ alienæ cupidi fuissemus, quod licebat clam retinere non sponte retulissemus.

10. *Apud quemcumque.* Mutat pœnam mortis in servitutem, et noxios ab innoxiis separat, leniens dictum illorum, qui et mortis et servitutis pœnam, et noxios innoxiosque juxta comprehenderant.

12. *A majore.* Notat ex convivali sessione singulorum ætatem : hoc autem ordine procedit, ut meliùs lateant insidiæ structæ Benjamino.

13. *Scissis vestibus.* Ut soliti in mœrore, et audita quavis re valde molesta.

Reversi. Nihil Benjamin improperantes, parati vel veniam impetrare, vel simul servitutem servire.

14. *Primusque Judas.* Animo et linguâ promptior, et promissi sui, quo se patri obstrinxerat, non immemor.

Necdum enim. Illos opperiebatur, cupidus se prodere.

16. *Aut justè poterimus obtendere ?* Licèt conscientia hujus criminis nos non redarguat, palam tamen ut noxii deprehensi sumus, et fieri non potest quin justo Dei judicio propter aliquod occultum crimen nostrum, quod nondum satisfactione luimus, nunc hac calamitate obruamur. Respicit ad peccatum in Joseph commissum.

Iniquitatem. Potest sumi pro pœna iniquitatis.

Omnes servi sumus. Plùs offert quàm debebat, ut oblatione tot innoxiorum, uni qui insimulabatur, veniam obtineat.

17. *Absit a me.* Flagitiosum hoc facere et tyrannicum.

20. *Qui in senectute.* Hebr. *puer senectutum.*

Solum habet mater sua. Solus ex matre superest, quod etiam de mortua dici potest ; mortua enim erat Rachel mater Benjamin.

21. *Ponam oculos meos super illum.* Benevolus sum illi futurus, favebo, et juvabo illum.

26. *Ire non possumus.* Scilicet sinè Benjamin.

27. *Uxor mea.* Sic vocat Rachelem, quia hanc solam propria electione duxerat.

30. *Anima illius.* Vita patris pendet ex vita filii : si enim moriatur, vel auferatur filius, morietur pater præ tristitia.

32. *Ego propriè.* Peculiaris tibi servus sim, qui et aptior futurus, nam et robore et rerum usu potior sum.

In meam hunc. Spopondi me reducturum.

34. *Ne calamitatis.* Ne oculatus testis esse sustineam præproperæ mortis patris mei, mea promissione acceleratæ.

CAPUT XLV.

Joseph se fratribus aperit, et remissos cum muneribus hortatur, ut patrem in Ægyptum adducant: ille lætus filio morem gerit.

1. *Non se poterat.* Vel invito coram cunctis lacrymæ erumpebant.

2. *Elevavitque vocem.* Quia priùs sibi vim fecerat, ideo vox altior erupit cùm locutus est. Audierunt qui in proximo erant conclavi. Fama ad Pharaonem usque manavit.

4. *Accedite.* Jubet accedere, ne delictum fratrum, de quo verba facturus, alienus aliquis auribus acciperet.

5. *Neque vobis durum esse videatur.* Hebr. *ne sit indignatio in oculis vestris;* id est, ne vobis ipsis irascamini propter hoc factum.

Pro salute enim. Ut victu suppeditato vitam vestram conservarem.

Misit me Deus. Non tam iniquitate vestra factum est hoc, quàm divina providentia.

6. *Nec arari poterit.* Nisi paucissimis locis ad Nili ripam. In aliis regionibus sterilitas erat propter pluviæ defectum.

8. *Quasi patrem.* Rectorem, instructorem, consiliarium.

9. *Mandat.* Non significat *imperat*, sed *dicit*, *nuntiat.*

10. *Gessen.* Est in inferiore Ægypto terra multis fossis irrigua, prope Delta, ab ea parte quæ *Chanaan* et Palæstinam spectat, et regio est pascendis pecoribus idonea.

Juxta me. Non procul ab urbe ubì domicilium meum.

11. *Te pascam.* Te tuosque nutriam demenso copioso viritim attributo.

12. *Quòd os meum loquatur ad vos.* Videtis meipsum illum esse, patrium sermonem nostis, vultum et vocem agnoscitis. Ore ad os vobiscum, et non per interpretem ago.

16. *Gavisus est Pharao.* Non mirum de Pharaone; nam major non invidet minori. Mirum de aulicis, quibus ingenium alienæ felicitati invidere; sed mira omnium propensio in Joseph faciebat ut ejus honore gauderent. Nisi fortè Pharao ex animo, aulici externis tantùm signis lætitiam simulabant.

18. *Omnia bona Ægypti.* Optimam et uberrimam Ægypti regionem.

Medullam terræ. Hebr. *adipem terræ.* Sic vocant Hebræi id quod in quaque re optimum est.

22. *Binas stolas.* Hebr. *mutationes vestium.* Duas dedit vestes : viliorem alteram, quam domi ferrent ; alteram pretiosiorem, qua amicti in publicum prodirent.

Trecentos argenteos. Mille et ducenta regalia hispanica.

23. *Ex omnibus divitiis.* Ex rebus quibusque pretiosioribus et selectioribus Ægypti.

24. *Ne irascamini in via.* Hebr. *ne rixemini*, nempe crimen in me commissum invicem improperantes.

26. *Quasi de gravi somno evigilans.* Attonitus, stupens, ad intelligendum ineptus, et ad respondendum hebes. Hebr. est, *cor elanguit.*

Non credebat. Nam magnis rebus rarò fides solet adesse : quod verissimum in miseris, qui sibi persuaserant se a malis liberandos non esse.

27. *Revixit spiritus ejus.* Sibi quasi redditus.

28. *Sufficit mihi.* Hebr. *multùm est mihi.* Superat vota, spes meas vincit, nihil ampliùs est quod optem.

CAPUT XLVI.

Jacob in Ægyptum proficiscitur. Genealogia posterorum cum eo proficiscentium, et Josephi occursus describitur.

3. *Noli timere.* Eximit metum quo teneri poterat multis ex causis : 1. ne liberi idolorum cultu et aliis Ægyptiorum vitiis imbuerentur ; 2. ne posteri illecti fertilitate et amœnitate Ægypti in Chananæam redire nollent, et Dei promissa negligerent ; 3. ne quid adversi pateretur, si Deo inconsulto hoc iter susciperet ; 4. ne moreretur in via, priusquam filium cerneret.

4. *Descendam tecum.* Adero et favebo tibi eunti, et semini tuo redeunti.

Inde adducam te revertentem. Posteros tuos, qui ossa tua secum ex Ægypto asportabunt, ut sepulcro patrum tuorum condaris.

Ponet manus suas super oculos tuos. Tibi morienti oculos claudet juxta priscum Hebræorum morem, quo charissimi charissimis morientibus oculos premunt.

7. *Filiæ.* Videtur esse enallage numeri, nam Jacob unam tantùm filiam habuit Dinam.

8.

8. *Hæc sunt autem nomina*. Recensentur, ut in exitu ab Ægypto manifestum sit quantopere fuerint multiplicati tam paucis annis.

Qui ingressi. Qui quando Jacob in Ægyptum ingressus est, erant superstites. Excipe tamen filios Juda, Her et Onan, de quibus n. 12; fatetur enim eos in Chanaan mortuos.

12. *Hesron et Hamul*. Hi nati sunt postea in Ægypto; dicuntur tamen cum Jacob in Ægyptum descendisse, non in sua persona, sed in lumbis Phares patris sui, in quibus adhuc latebant. Nam, ut annotat D. Augustinus, descensus hic et ingressus Jacobi in Ægyptum complectitur etiam annos 17 vitæ ejus in Ægypto; imò et annos reliquæ vitæ Josephi puta 71.

15. *Omnes animæ*. Synecdoche.

Triginta tres. Computata et ipsa Lia, aut potiùs ipso Jacob cum suis filiis, et filia Dina, exclusis tamen Her et Onan.

21. *Filii Benjamin*. Numerantur hìc decem filii Benjamin, ex quibus aliquos ipse postea genuit in Ægypto; nam cùm descendit in Ægyptum erat tantùm viginti trium aut viginti quatuor annorum.

26. *Egressæ sunt de femore*. Ex eo ortæ sunt. Utuntur hac phrasi Hebræi, vel quia femur ponunt pro partibus, quæ inter femora; vel quia reipsa in femore tres venæ sunt, quæ ortæ ex venis lumborum, priusquam in crura descendant, viris per femora in scrotum, feminis in uterum recurrunt, et fecundi seminis materiam generationi sufficiunt.

Sexaginta sex. In hoc numero non continetur Jacob, ut pote parens omnium, nec Joseph et filii ejus, ut pote qui jam erant in Ægypto.

27. *Septuaginta*. Hic annumeres oportet ipsum Jacob, et Joseph cum duobus ejus filiis; sic enim constabit numerus septuaginta. Porro LXX interpretes, et S. Lucas, Actor. 7. 14, aiunt fuisse septuaginta quinque, quia addunt et adnumerant Josepho Manassis filium Machir, et nepotem Galaad; rursus Ephraimi filios Sutalaam, et Jaam, ac nepotem Edem, qui fuit filius Sutalaam. Hi autem adduntur, quia nati sunt vivente adhuc Josepho avo, ut patet Gen. 50. 22.

34. *Pastores sumus*. Notanda Josephi modestia, prudentia ac simplicitas. Modestia, quia in aula Pharaonis sciri cupit se esse fratrem pastorum. Prudentia, quia fratres in aulam non induxit, ne aulicorum moribus corrumperentur. Simplicitas, quia fratres ad sublimio-

rem statum non evehit, sed in arte patria ac pastoritia sinit hærere.

Detestantur Ægyptii omnes pastores. Quia pastores solent occidere et comedere carnes suarum ovium et pecudum, quas Ægyptii pro diis colebant, ut patet Exod. 8. 26. Alebant tamen Ægyptii oves et boves, ut patet cap. sequent. n. 17, non ad esum, sed ad oblectationem, lanam, et lac, ad stercorationem etiam agrorum, et ut aliis gentibus divenderent.

CAPUT XLVII.

Joseph Pharaoni patrem et fratres sistit: datur eis terra Gessen: Jacob moriens Josephum adjurat ut se in Chanaan sepeliat.

1. NUNTIAVIT *Pharaoni.* Reverentiæ in regem id fuit, et fortasse aliquis metus animum illius subiit, ne animo mutatus esset Pharao: itaque non rectà introduxit.

2. *Extremos.* Hebr. est, *de extremitate fratrum suorum accepit quinque viros.* Vatablus explicat, non selegit, sed maximè obvios accepit. Alii interpretantur, præstantissimos. Alii, ut Pererius et Oleaster, vilissimos et abjectiores quoad speciem, ne scilicet Pharao, aut in militiam allegere, aut in aulam inducere tentaret; unde mores illorum corrumperentur, et incommodis aliis obnoxii essent. Satius judicavit ut seorsum quietè agerent.

4. *Non est herba gregibus.* Citiùs Chananæam herba defecerat, quàm Ægyptum, quia Chananæa altior, terra verò Gessen humilior est pars Ægypti, et multis fossis irrigua ex Nilo.

6. *In conspectu tuo est.* Elige quam voles partem: idem significat quod *coram te est.*

7. *Benedicens illi.* Salutans, et fausta precatus regi, et fortasse dicens: *Vivat rex*, aut, *Rex, in æternum vive.* Nam differt benedictio qua minor majori benedicit, ab ea qua major minori.

9. *Peregrinationis meæ.* Jacob multùm fuerat peregrinatus, et omnes in hac vita peregrinamur a Domino.

Parvi. Pauci; multò enim breviore tempore vixi quàm majores mei.

Mali. Pleni ærumnis, et infelices.

10. *Benedicto rege.* Postquam regi valedixit.

11. *Ramesses.* In regione illa provinciæ Gessen,

ubi postea Ramesse oppidum exstructum Israelitarum operâ.

13. *In toto enim orbe.* Magna orbis parte : est hyperbole.

14. *Intulit eam in ærarium.* Nihil sibi reservans, ut ait Philo.

15. *Panes.* Triticum ad conficiendos panes.

18. *Anno secundo.* Ab abductis et venditis pecoribus, qui fuit quartus, vel quintus ab inchoata fame.

19. *Eme nos in servitutem.* Parati sumus mancipia fieri; potest quis seipsum vendere et liberos, famis vitandæ causâ.

Præbe semina. Poterat aliquid seri aliquibus locis juxta Nilum, ut supra dictum est.

21. *A novissimis terminis.* Hebræa sic habent, *et populum transire fecit ad civitates de una extremitate termini Ægypti usque ad extremitatem ejus ;* id est, incolas transtulit de una in aliam remotissimam civitatem. Id factum ut turbis et seditionibus obviàm iretur, si fortè aliquæ existerent dolore stimulante, quòd suis possessionibus excidissent.

22. *Præter terram sacerdotum.* Vide immunitatem bonorum sacerdotalium; ita crediderim factum voluntate potiùs Pharaonis quàm studio Joseph qui idolorum cultoribus non est existimandus favere et tributa remittere voluisse.

Non sunt compulsi. Quia nulla pressi penuria.

23. *Dixit ergo Joseph.* Anno famis septimo et ultimo, cùm jam spes futuræ fertilitatis affulgeret.

24. *In sementem.* Vult Philo speculatores positos, qui viderint ut sationi ea pars impenderetur.

25. *Salus nostra.* Per te salvi futuri sumus. Omnia tibi et regi debemus et deferimus.

26. *Quasi in legem.* Hebræus, græcus et chaldæus simpliciter aiunt hanc legem a Josepho in perpetuum latam.

27. *Israel.* Jacob.

29. *Pone manum tuam sub femore.* Vide dicta c. 24. 2.

Misericordiam et veritatem. Duæ sunt explicationes. Una, quæ copulat ambas, ut sit sensus : beneficium certum, seu bona fide. Altera quæ disjungit : misericordiam facias promittendo non necessitate, sed miseratione meî : veritatem, quod promiseris in rem deducendo.

30. *Sed dormiam cum patribus meis.* Hujus voti

plures causæ fuerunt. 1. Optavit in terra sancta, in qua sola futurus Dei cultus, cum piis parentibus sepeliri. 2. Ut hac postulatione securos faceret de reditu suorum in Chananitidem; atque ita a deliciis Ægypti eorum animum averteret. 3. Ut reversi in Chananæam posteri haberent præ oculis sepulcrum suum, monumentum et incitamentum virtutis. 4. Quia non ignorabat Christum in Chananæa versaturum, moriturum et resurrecturum cum multis, ex quorum numero esse cupiebat.

In sepulcro majorum. In spelunca duplici, de qua supra, c. 23. 17.

31. *Jura ergo.* Non diffidit filio, sed præbet excusationis ansam cum Pharaone.

Conversus. Ad orientem, sive ad terram promissionis.

Ad lectuli caput. Septuaginta vertunt, *adoravit Jacob fastigium virgæ ejus*, sceptri scilicet Josephi. Utraque interpretatio vocibus hebraicis convenit pro varietate subjectorum punctorum, et utrumque Jacob præstitit; adoravit, id est, reverentiam exhibuit sceptro et potestati Josephi, et Deum etiam adoravit, gratias agendo quòd eam mentem dedisset Joseph ut in Chananæam cadaver transferret, et patribus suis apponeret, juxta postulatum suum.

CAPUT XLVIII.

Jacob Ephraim et Manassen sibi in filios adoptat, eisque benedicens, præponit Ephraim Manassi seniori, ac partem unam Josepho segregat.

1. QUOD *ægrotaret.* Langueret senio, paulatimque deficeret.

2. *Confortatus.* Gaudio quasi roboratus ob charissimi filii conspectum, et simul spiritu prophetico illum implente.

4. *Et ait.* Ita commemorat, ut qui præsentes aderant, intelligerent jus ipsi competere dividendæ terræ Chanaan, et filios Joseph adoptatos in partem hæreditatis adsciscendi.

In possessionem sempiternam. Longo tempore duraturam.

5. *Mei erunt.* Adoptati sortem sortientur non minùs quàm Ruben et Simeon.

6. *Quos genueris.* Si quos genueris; nec legimus ullos postea genuisse.

Nomine fratrum suorum vocabuntur. Quando dividetur terra Chanaan, non accipient funiculum proprium tanquam capita tribuum; sed sub Manasse et Ephraim comprehendentur.

7. *Mihi enim.* Hæc dicit ne Joseph miretur eum tantopere sollicitum ut in Mambre seu Hebron sepeliatur, cùm uxorem suam dilectissimam Josephi matrem ipsemet in Ephratha sepelierit. Docet se id non sponte, sed necessitate fecisse.

Vernum tempus. Quo tempore facilè putrescunt cadavera, ideo non potui illud deferre usque in Hebron, præsertim quia tot greges agens iter accelerare non poteram.

8. *Videns.* Quamvis caligaverant oculi præ senio, videbat filios Joseph, sed non satis discernebat quinam essent.

9. *Adduc.* Propiùs admove.

11. *Non sum fraudatus.* Hebraicè est significantius: *quòd faciem tuam viderem, nunquam apud me cogitassem, et ecce Deus ostendit mihi etiam semen tuum.*

12. *De gremio patris.* Accedentes ad senem genu flexerunt, et sic erant capite in sinum ejus demisso, et quasi genibus incumbebant. Ne ergo avum gravarent, et ut illis commodiùs benedictionem impertiretur, Joseph inde amotos utrinque collocat ad latus senis sedentis, et Jacob pedes supra lectulum collegit.

Adoravit. Joseph tum patrem, illi se reverenter incurvando, tum propriè Deum, gratias agens pro hoc beneficio et benedictione patris.

14. *Super caput Ephraim.* Iste præfertur: 1. quia ex Ephraim nascituri erant reges Israel, puta decem tribuum: ita Eusebius; 2. quia hæc tribus et gloriâ et numero superavit tribum Manasse, ut prædicit Jacob n. 19; 3. quia ex Ephraim nasciturus erat Josue dux Israelis, qui populum induxit in Chanaan: unde et typus fuit Christi, qui nos in cœlum inducit. Ita S. Hieronymus.

Commutans manus. Hebr. est, *fecit intelligere manus suas;* id est, sciens et prudens manus suas transposuit, scilicet decussatim in modum crucis.

15. *In cujus conspectu ambulaverunt.* Cui placuerunt per omnia obsecuti.

16. *Angelus.* Custos meus: subaudi hic vocem *quoque*, quasi dicat: Deus benedicat pueris istis, angelus quoque meus iisdem benedicat.

Invocetur super eos nomen meum. Hebr. *vocetur eis nomen meum* : hoc est, dicantur filii mei, et filii Isaac et Abraham.

19. *Major erit*. Propter regnum decem tribuum, quod in Ephraimi potestate cœptum, diuque consedit. Vide 3. Reg. 11. 26. Itaque prophetæ illud regnum Ephraimi nomine appellant.

20. *In te benedicetur Israel*. Quando Israelitæ volent alicui bene precari dicent : sic multiplicet te Deus, sicut multiplicavit Ephraim et Manasse.

22. *Extra fratres tuos*. Futuræ divisioni eximens, jam nunc tibi illam concedo, ut eximiam. Hæc pars eximia fuit Sichem, quæ in sorte filiorum Joseph ponitur, Josue, c. 17.

De manu Amorrhæi. Ab Hemor, quem latè sumpto vocabulo vocat Amorrhæum, cùm Hevæus fuerit.

In gladio et arcu meo. Jacob agrum situm in Sichem priùs emit pecuniâ ab Hemor, cap. 33. n. 19; sed cùm post stragem *Sichimitis* a suis illatam, metuens ne Chananæi in se vicissim irruerent, inde abiisset, tunc agrum hunc sichimensem occuparunt vicini Amorrhæi, quos rediens Jacob vi et armis expulit, suumque agrum in gladio et arcu recepit. Hoc enim hìc clarè dicitur, licèt alibi res gesta non narretur. Ita ex Andrea Masio Pererius et alii.

CAPUT XLIX.

Jacob convocatis filiis prophetat quæ posteris bona malaque eventura sint, et singulis benedicit, et migrat ad vitam meliorem.

1. VOCAVIT. Mos Hebræorum fuit filios, vel alios curæ suæ commissos morte imminente convocari, et salutaria monita dare, ac bene precari, et interdum futura prædicere. Exempla obvia in sacris Scripturis. * Deut. 33; Josue, cap. ult. 1. Reg. 12; Tob. 3. 1; Machab. 2.

In diebus novissimis. Futuris temporibus, *in posterum*.

3. *Primogenitus*. Secundum carnem ; nam jura primogenituræ illi adempta, ut impio in patrem.

Fortitudo mea. Quem cùm adhuc robustus et viridis ætate essem, genui.

Principium doloris. Quia nati liberi multùm anxietatis, laboris, sollicitudinis parentibus afferunt. Vel sen-

sus est : tu mihi fuisti præcipua causa doloris et tristitiæ ob tuum incestum.

Prior in donis. Nam primogenito duplex hæreditatis portio debebatur. Deut. 21. 17. Hoc jus in Josephum translatum ; nam duæ sortes ejus posteris attributæ ; seu duæ tribus ; ager etiam eximius extra sortem, cap. præcedenti, n. 22.

Major in imperio. Quia primogenito fratres debebant subesse fraterna quadam et quasi paterna subjectione. Hoc quoad duas tribus in Juda, quoad decem diu in Ephraim permansit ; et quia utraque prærogativa cernitur in familia Joseph, * quæ duplicem in partitione terræ sanctæ portionem accepit, et per Ephraimitas imperium in decem tribus obtinet : ideo 1. Paralip. 5. 1, dicitur Joseph potitus primogenitura Rubeni.

4. *Effusus es sicut aqua.* Præceps in scelus ruisti.

Non crescas. Non cresces ; nam est prophetia : tribus tua erit exigua numero.

Cubile patris tui. Incestasti novercam, supra, c. 35. 22.

Maculasti stratum ejus. Me, novercam, te, ipsam prosapiam universam dehonestasti.

5. *Fratres.* Non tam germani naturâ, sed simillimi et conjunctissimi dolo, furore, crudelitate, et præ cæteris ob sororis dedecus exardescentes in ultionem. Supra, c. 34. 25.

Vasa iniquitatis. Instrumenta iniquitatis.

Bellantia. Prompta et strenua in flagitium et ultionem.

6. *In consilium eorum.* Absit ut glorier hoc filiorum meorum facinore. Olim detestatus sum, et nunc detestor.

Et in cœtu illorum non sit gloria mea. Quasi dicat : Illi in hac strage quasi indice fortitudinis suæ gloriati sunt : absit a me tale decus et gloria.

Occiderunt virum. Enallage, singulare pro plurali, *viros*, ut complectamur omnem populum masculini sexûs.

In voluntate sua. In sua libidine sæviendi. LXX habent, *in sua concupiscentia.*

Suffoderunt murum. Vel murus propriè accipitur, quòd scilicet urbis mœnia suffoderint, et aliqua saltem ex parte everterint ; vel murus metaphoricè sumitur, et significat Hemor et Sichem, principes civitatis, qui suâ potentiâ illam muniebant. Hinc LXX vertunt, *subnervaverunt taurum.* Taurus, quia in feminas ruebat, et quia in civitate potens.

7. *Maledictus furor eorum.* Hæc maledictio prophe-

tica in fratres istos temporaria et conditionalis fuit, nisi scelus novis meritis expiarent. Hæc maledictio a Levi et a levitis sublata est per zelum tum Mosis et Aaronis, aliorumque levitarum in cæde adorantium vitulum aureum; tum Phinees levitæ, qui Hebræum cum Madianitide concumbentem occidit, et Beelphegor evertit, Num. 25. num. 7 et 8; ideoque tribus Levi et sacerdotium et benedictionem a Mose accepit. Deuter. 33. 10. Simeoni verò mansit hæc maledictio propter fornicationem et idololatriam Zambri, qui fuit dux tribûs Simeonis, quem occidit Phinees. Num. 25. Unde solus Simeon a Mose non fuit benedictus. Deut. 33.

Quia pertinax. Excusari possent, si subito impetu excanduissent: inexcusabiles fuerunt quòd iracundia tenax, vindictæ amor insatiabilis, et flecti nescia fuit indignatio.

Dividam. Aptissima pœna malos consultores disgregandi, et conspirationem disturbandi, ne rursus in aliorum perniciem capita conferant. In Simeon adimpletum, quando data ei sorte portio in medio tribûs Juda, Josue 19. 2 et 9, quæ portio exigua fuit; et ita factum, ut cùm Simeonis tribus hominibus facta esset numerosior, exierint in desertum ad quærendas sibi sedes, pars in Gador, pars in montem Seir. Vide 1. Paralip. 4. 28, 39 et 42. In levitis impleta, quia levitis nulla sors obtigit propria, sed per omnes tribus dispersi. Jos. 18. 7.

8. *Juda, te laudabunt.* In hebræis vocibus elegans allusio ad nomen Juda continetur. Vocarat eum mater, supra, cap. 19. num. ult. Judam, quoniam laudandi Deum causam habebat maximam. Nunc pater aliam nominis rationem addit, quòd tribus Juda a cæteris fratribus sit laudanda.

Manus tua in cervicibus inimicorum. Ut eos in fugam agat, insequatur, capiat, trucidet.

Adorabunt te filii patris tui. In rege, vel Messia ex te nascituro.

9. *Catulus leonis Juda.* Sicut Judas inter fratres est, ita tribus Juda inter alias erit, leonis instar impavida, fortis, bellicosa, victrix.

Ad prædam, fili mi, ascendisti. Hebr. Symmach. et Aquila habent, *a præda.* Sensus est: a præda ad prædam ascendisti, assiduè prædaris, jugiter a prædatione et cum præda redis. Id maximè verum tempore Davidis viri bellatoris, et in multis bellis victoris.

Requiescens accubuisti. Post victoriam læta pace po-

titus es, ut leo qui adeptus prædam securus accubat, et illa fruitur. * Alludit ad Davidem et Salomonem qui, debellatis hostibus, jam præda saturi quiescentes, fuerunt nihilominus terrori omnibus, ut solet leo, etiam dum humi profusus quiescit, terrori esse reliquis animalibus.

Quasi leæna. Quæ catulos lactans sævior et fortior est leone.

Quis suscitabit eum? Quis eum suscitare et bello audeat lacessere?

10. *Non auferetur sceptrum.* Sceptrum regni judaici erit in finibus Juda, hoc est, Jerosolymis.

Et dux de femore ejus. Si non per lineam masculinam, certè per femininam; nam etiam hi de femore Juda progressi sunt. Dices: Herodes alienigena regnavit Jerosolymis ante Messiæ adventum, qui tamen non exierat de femore Juda. Respond. Herodem non fuisse regem, sed tyrannum non legitimè dominantem. Præterea intelligendam prophetiam de regno libero, et a nemine dependente, quale Herodis regnum non fuit, quod a Romanorum pendebat arbitrio. Tandem si Herodes aliquando legitimè regnavit, id illi non contigit nisi secundo Christi anno, quo illum Judæi in regem suum volentes susceperunt. Vide Philonem, lib. 2. de Tempore, et Josephum 17 Antiquit. cap. 3.

Qui mittendus. Messias.

Ipse erit exspectatio gentium. Sic Aggæi 2. 8, Christus vocatur *desideratus cunctis gentibus*, et hoc cap. num. 26, *desiderium collium æternorum.* * Fuit exspectatio gentium, quia Christo ad salutem maximè indigebant, et si necessitatem suam cognovissent, et a solo Christo remedium afferendum, illius adventum exspectassent et optassent. Sic tellus, cùm est arida, pluviam exspectare et optare dicitur.

11. *Ligans ad vineam.* Christus ligabit funiculo fidei, spei, et charitatis *ad vineam*, id est, ad ecclesiam primævam ex Judæis collectam; *pullum suum*, id est, populum gentium, qui jugum legis nondum tulerat, cùm eum Judæis in una ecclesia conjunxit et adunavit: *et ad vitem*, id est, ad seipsum (Christus enim vitis, Jo. 15. 1), ô Juda, *fili mi*, ligabit idem Christus *asinam suam*, id est, populum Judæorum, jugo legis assuetum, et attritum. Rectè Christus dicitur *asinam ligasse ad se*, quia per seipsum prædicavit Judæis; *pullum* verò alligasse *vineæ*, quia gentibus per Judæos, puta apostolos, prædicavit, et per eos gentes sibi aggregavit. * Hæc tamen et se-

quentia multi de terræ fertilitate explicant, quæ tribui Judæ obtigit; quod respexisse quidem videtur patriarcha, sed Christum principaliùs.

Lavabit in vino. Sanguinis sui.

Stolam suam. Carnem suam.

Et in sanguine uvæ pallium suum. Sanguine suo ecclesiam suam, cùm scilicet mortuus est in cruce : et in dies lavat, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.

12. *Pulchriores sunt oculi ejus vino.* Hebr. *rubicundiores, magìs radiantes quàm vinum;* quia loti per passionem, et radiantes post resurrectionem; conferuntur cum vino, quia lætificant corda spectantium.

Et dentes ejus lacte candidiores. His et ante dictis explicatur pulchritudo Christi, maximè resurgentis. Hæc enim potissimùm in genis, oculis et dentibus spectatur.

13. *Zabulon in littore maris habitabit.* Juxta mare Mediterraneum et mare Galilææ, sive stagnum Genezareth.

In statione Navium. Quia terra Zabulon portuosa.

Pertingens usque ad Sidonem. Hebr. *latus ejus ad Sidonem*, vel *versùs Sidonem*, spectat scilicet.

14. *Issachar asinus fortis.* Hebr. osseus, robustus scilicet ad agriculturæ opera.

Accubans inter terminos. Aliarum tribuum; ideo procul a navigatione, sorte et rure suo se pascet.

15. *Vidit requiem quòd esset bona.* Quietem vitæ rusticanæ.

Supposuit humerum suum ad portandum. Ut asinus osseus ac robustus ad onera rustica.

Factusque est tributis serviens. Quod ferè agricolis accidit, qui plùs cæteris tributis gravantur, a quibus milites sunt immunes.

16. *Dan judicabit.* In hebræo est allusio ad nominis etymologiam, quasi dicat : judex judicabit, per Samsonem scilicet judicem Israel, qui fuit de tribu Dan.

Sicut et alias tribus. Quæ suum Israeli dedit judicem; non enim omnes tribus judices protulerunt : nam ex Ruben, Gad, Simeon, et Aser nullus judex exstitit. Sensus ergo est : si quæ tribus Israeli judicem dabit, et hæc dabit : non deerit illi hoc decus.

17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Samson Danita quasi coluber fuit, dolo Philisthæos aggressus, ut patet in trecentis vulpibus et in concussione columnarum. Similis etiam serpenti, quia cùm aures non sibi obturasset, pellacibus Dalilæ vocibus incantatus est.

Cerastes. Genus quoddam serpentis cornuti, de quo Plin. lib. 8. c. 29 : nomen habet ἀπὸ τῦ κέρατος.

Mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Hoc est cerastæ ingenium, ut calcaneum equi petat, quo percusso et dejecto, etiam equitem perdit. Conveniunt hæc Samsoni, qui et fortitudine et dolis contra Philisthæos grassatus. Conveniunt etiam propter eamdem rationem Antichristo ex tribu Dan nascituro, qui violentiam et insidias contra fideles exeret.

18. *Salutare tuum exspectabo, Domine*. Nam brevis requies sub Samsone, ideoque securior et diuturnior a Christo exspectanda ; exspectabo etiam eumdem Christum, ut Antichristum perdat, et nos salvos faciat.

19. *Gad, accinctus prœliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum*. Tribus Gad juxta suum nomen (Gad enim accinctum significat) accincta erit, armata et bellicosa; idque tunc maximè patebit, quando ipsa armata ante Israelem ibit; hoc est, ante reliquas tribus, quasi dux, easque per Jordanem ducet in Chananæam. Ipsa etiam accingetur retrorsum quando aliis tribubus in sua sorte collocatis, ipsa post decimum quartum annum spoliis onusta gloriosè domum in suam sortem trans Jordanem redibit.

20. *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus*. Significat et prædicit opes, fertilitatem fructusque Aser, adeo sapidos et delicatos, ut in deliciis haberentur a regibus Israel, Juda, et Tyri; quod illi ob soli bonitatem contingebat. Idem de Aser prædicit Moses, cùm ait Deuter. 33. 24 : *Tingat in oleo pedem suum, etc*.

21. *Nephthali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis*. Est prophetia de Barach Israelis duce, qui ex hac tribu. Hic priùs ut cervus pavidus, quamvis ad bellum emissus, non nisi Debbora comite in expeditionem ire ausus est; victoria verò luculenta reportata dedit eloquia pulchritudinis, pulcherrimum nimirum carmen gratulatorium et eucharisticum, quod habetur c. 5. Jud.

22. *Filius accrescens Joseph*. Sanè accrescens; nam duas ipse tribus obtinuit de nomine filiorum dictas Manasse et Ephraim, quarum ista juxta suum nomen fructificans fecundissima fuit, ac florentissima, ac etiam regia.

Decorus aspectu. Ex hebr. verti potest, *super oculum*, adeo decorus, ut oculos ad se raperet, quod præcipuè verum in Ægyptia.

Filiæ discurrerunt super murum. Ut te formosum cultu regio amictum intuerentur.

23. *Exasperaverunt eum*. Fratres scilicet ejus.

Et jurgati sunt. Dicentes : *Numquid rex noster erit*, *etc*.

Habentes jacula. Irrisionum, mendaciorum, calumniarum, verberum; vel etiam illum armatis manibus circumsistentes.

24. *Sedit in forti arcus ejus*. Per spem in Deo quasi in arce fortissima et inexpugnabili stetit.

Dissoluta sunt vincula. Cùm e carcere eductus est.

Per manus potentis Jacob. Dei potentis, quem Jacob coluit.

Inde pastor egressus est lapis Israel. Effectus est rector et princeps Ægyptiorum, et firmamentum populi sui Israel.

25. *Benedictionibus cœli*. Dando tibi e cœlo opportunam pluviam, rorem, nivem, soles, etc.

Benedictionibus abyssi. Terram dabit tibi irriguam et fertilem ex aquis infernè ex abysso prodeuntibus.

Benedictionibus uberum et vulvæ. Ut scilicet habeas copiosum lac, fœturam, ac proles tum animalium, tum hominum.

26. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus*. Quasi dicat : Major est mea benedictio, qua ego tibi benedico, quàm ea, qua mihi parentes mei benedixerunt. Eris me felicior magisque benedictus.

Donec veniret desiderium collium æternorum. Hæ benedictiones durabunt donec veniat Christus, quem omnis creatura reparatorem desiderat : ille maximam toti mundo benedictionem afferet. Colles æterni, id est, qui æternùm durant. Allegoricè colles æterni sunt patriarchæ sapientia et sanctitate eminentes.

Et in vertice Nazaræi. Nazaræum separatum et coronatum significat. Fuit autem Joseph a patre, et fratribus, et ab aliorum consuetudine segregatus, cùm in Ægyptum venditus, et carcere conditus fuit : postea coronatus ipse in Ægypto, et posteri ejus in Israel. LXX habent, *supra verticem glorificatus in fratribus*.

27. *Benjamin lupus rapax*. Prædicit tribum Benjamin lupi instar fortem et bellicosam futuram, quod patet ex bello Gabaa, Jud. 20. Alludit etiam ad victorias et prædas Saulis, Estheris et Mardochæi, qui ex hac tribu fuerunt.

Manè comedet prædam et vespere dividet spolia. Idem est comedere prædam et dividere spolia, nimirum prædari, prædas dividere, comedere, etc.

28. *Omnes hi in tribubus Israel duodecim* Hebr. est, *omnes istæ tribus Israel sunt duodecim* : quasi dicat : ab his duodecim filiis Jacob descenderunt, et denominatæ sunt duodecim tribus Israel.

Benedixitque singulis, benedictionibus propriis. Hactenus recitatis.

32. *Collegit pedes suos super lectulum.* Nam priùs in sponda lectuli sedebat, cruribus pendentibus; colligit ergo pedes in lectulum, et sensim expirat.

Appositusque est ad populum suum. Mortuus est, et quoad animam descendit ad patres, et ad justos in limbo sinuque Abrahæ degentes.

CAPUT L.

Joseph patrem effert, et sepelit in Chananæa: fratribus verbis injuriam condonat quam animo jam remiserat: vaticinatur, et ossa sua in Chananæam jubet transferri, et moritur.

1. *Ruit super faciem.* Hìc elucet affectûs filialis vehementia.

Deosculans. Moris erat recens mortuos in præteriti amoris signum deosculari.

2. *Medicis.* Pollinctoribus, funeratoribus, entaphiastis, qui corpora mortuorum condiunt, involvunt, humant.

Aromatibus. Unguentis ex balsamo, myrrha, casia et similibus, quæ apta ad prohibendam putredinem, et bonum odorem conciliandum.

3. *Quadraginta dies.* Qui conditur æ impendebantur.

Septuaginta diebus. Ad dies quadraginta conditur æ alios triginta luctui adjecit. Judæis conditur æ et luctûs simul tantùm fuisse dies triginta colligit Procopius ex Num. 20. ult. de Aaron, et Deut. ultim. de Mose.

5. *Fodi.* Præparavi mihi.

8. *Absque parvulis.* Cum his matres manserunt, et cum gregibus pecuarii.

9. *Currus et equites.* Milites et falcatos currus qui funebri pompæ præsidio essent.

10. *Ad aream Atad.* Quæ tertio ab Jericho, secundo ab Jordane lapide distat.

Trans Jordanem. Venientibus ex Chananæa; nam venientibus ex Ægypto cis Jordanem erat. In area Atad luctum facere maluerunt, ne si tamdiu hærerent in intimis Chananææ, periculum aliquod immineret, aut occasio pugnæ oriretur.

Septem

Septem dies. Hic numerus approbatur ex Eccl. 21. 15: *Luctus mortui, septem dies.*

13. *Emerat Abraham.* Supra, cap. 23.

16. *Mandaverunt ei.* Cùm ipsi verecundarentur, aliquem insontem, fortasse Benjamin, miserunt.

Pater. Videntur mentiri hìc fratres Joseph, et nomine patris abuti; nam Jacob de Joseph clementia et mansuetudine certus nihil super hac re illi mandaverat.

17. *Servis Dei patris tui.* Qui eidem Deo servimus, cui et pater tuus servivit.

Flevit Joseph. Dolens fratres adeo sollicitos ejus voluntati, et sinceræ reconciliationi diffidere.

19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Hebr. *num Deus ego sum?* scilicet ut quæ ille in bonum vestrum disposuit, ego queam in perniciem convertere.

20. *Vos cogitastis.* Sed quia homines nequivistis perficere.

Deus vertit. Quia Dei velle efficax est, de facto convertit.

21. *Blandè ac leniter.* Hebr. *locutus est ad cor eorum:* aptè ad eos consolandos.

22. *Filii quoque Machir.* Enallage, filius; nam Machir unum tantùm filium suscepit.

Nati sunt in genibus. Quasi dicat, Joseph filium, quem Machir genuit, mox ut natus est, sibi in filium adoptavit, ideoque in genibus suis eum statuit et excepit, ut fecit Rachel, c. 30. 3.

24. *Asportate ossa mea.* Ut cum patre, avo et abavo sepeliar in Chanaan.

LIBER EXODUS.

Liber hic a Græcis dictus est Ε'ΞΟΔΟΣ, quem titulum Latini retinuerunt, et significat *exitum*, filiorum scilicet Israel de Ægypto, ut in terram Chanaam proficiscerentur.

CAPUT I.

Pharao crescentes Hebræos conatur opprimere onerum impositione, masculorum cæde ac submersione: obstetrices infantes miseratæ præmium a Deo referunt.

1. *Cum domibus suis.* Id est, filiis et nepotibus.

2. *Ruben, Simeon... et Benjamin.* Non est iste ordo nativitatis; sic enim Benjamin deberet esse ultimus; sed est ordo conjugalis thori. Primi enim sex primæ uxoris Jacob, id est, Liæ, sunt filii: septimus, id est, Benjamin, est filius secundæ uxoris, id est, Rachelis: duo sequentes sunt tertiæ uxoris, id est, ancillæ Balæ: duo ultimi sunt filii quartæ, nempe Zelphæ.

5. *Animæ eorum, qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta.* Quomodo hoc intelligendum sit vide in notis ad Gen. cap 46. num. 26 et 27.

6. *Omnique cognatione.* Mortuis illis septuaginta, qui cum Jacob ingressi fuerant Ægyptum.

7. *Quasi germinantes.* In hebræo est vox quæ significat eructare, ebullire in morem piscium, aut ranarum, quorum mira est multiplicatio.

Roborati nimis. Aucti multitudine, quæ exercitûs, aut populi est robur.

Impleverunt terram. Gessen, in qua habitabant. Tanta fecunditas Hebræis contigit Dei beneficio; neque tamen est adscribenda miraculo, quia 70 capita per continuas generationes annis 215, immensum propemodum numerum producunt. Vide hujus rei accuratam supputationem apud Bonfrerium nostrum, hoc loco.

8. *Rex novus.* Hunc Amenophin appellant Pererius, Torniellus, et alii.

Qui ignorabat Joseph. Chaldæus vertit, *qui non servabat decreta Joseph*, sed novas leges et mores inducebat.

10. *Venite, sapienter opprimamus eum.* Hebræa habent, *agite, sapiamus in eum;* LXX, *callidè agamus contra eos.* Cœpit Hebræorum afflictio paulò ante nativitatem Mosis, et 90 annos plùs minùs duravit. Hinc sorori Mosis nomen factum, ut diceretur Maria; hoc est, amaritudo; propter eam scilicet amaritudinem quam eo tempore Hebræorum gens experiebatur. Deus autem durè permisit Hebræos affligi, quia aliqui eorum in idololatriam lapsi, quod docet Ezech. 23. 8; et deinde ut aversarentur Ægyptum, et de terra promissa cogitarent, atque tot laboribus pressi justo titulo spoliare possent Ægyptios, et eorum opibus ditari, et ut prodigiis contra Pharaonem patrandis, quæ in magnam Dei gloriam cedebant, viam muniret.

Ne fortè multiplicetur. Tres fuerunt causæ propter quas Hebræos affligere statuerunt, metus, invidia, odium. Metus, ne data occasione se hostibus adjungerent; invidia, quòd tantùm soboles cresceret; odium, propter religionis diversitatem.

Egrediatur. Ex hoc colligitur hanc apud Ægyptios famam fuisse vagatam, quòd Hebræi ad terram Chanaan essent reversuri.

11. *Magistros operum.* Exactores tributorum, non pecuniæ, sed laterum. Cogebantur ergo formare lateres, ut patet num. 14, urbes et pyramides ædificare. Nilum per fossas in prata et agros derivare. *Populus otio abundans et bene habitus lascivire solet. Huic malo mos fuit principibus, et ducibus in bello etiam non necessaria opera militibus injungere.

Ædificaveruntque urbes tabernaculorum. Chaldæus vertit, *urbes thesaurorum;* LXX, *urbes munitas.* Vox hebraica videtur significare granaria, apothecas, repositoria, in quibus scilicet annona, aut opes regiæ reponerentur.

Phitom et Ramesses. Quæ duæ urbes erant in regni limitibus.

12. *Quantòque opprimebant eos, tantò magìs multiplicabantur.* Quod divina virtute accidisse affirmat D. Aug. lib. 18. de Civit. c. 6.

13. *Oderantque filios Israel Ægyptii.* Non tantùm timebant, sed etiam oderant, quod ipsum affirmat David, cùm ait Ps. 104. 25: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.*

Et affligebant illudentes eis. Hebr. *et servire fecerunt filios Israel in duritia.* Sanè eorum dura conditio, quibus, cùm opprimuntur, etiam illuditur.

14. *Omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* Hebr. est, *amarificarunt vitam eorum in servitute dura in luto, et in lateribus, et in omni servitute in agro, cum omni opere eorum, quibus operati sunt in eis in duritia;* ex quo colligi potest Hebræos per Ægyptum distributos, et glebæ, rusticisque operibus, quæ durè ab illis exigebantur, addictos.

15. *Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræarum.* Hæ obstetrices Ægyptiæ fuerunt, quod ipsæ satis indicant, cùm respondent: *Non sunt hebrææ sicut ægyptiæ mulieres, et priusquam veniamus ad eas* (Hebræas scilicet) *pariunt;* hinc laudabilior fuit earum pietas.

16. *Et partûs tempus advenerit.* Cùm videritis super אבנים *obnaim.* Est autem *obnaim*, vel sella parturientis, vel significat uteri cardines, et sensus est, cùm effundunt fœtum Hebrææ, si masculum esse animadverteritis, comprimendo aut strangulando occidite. Vult occidi mares, quia feminæ imbelles, et his abuti volebant ad libidinem, quia formosæ.

17. *Timuerunt.... Deum.* Hebraicè est vox elohim, timuerunt Judicem.

19. *Obstetricandi habent scientiam.* Hebraicè est חיות *chaiot*, quod vivaces, vel vivificantes significat. Sensus est: ipsæ sunt solertes, vivaci et sagaci ingenio, ideoque obstetricandi habent scientiam. Vel, ipsæ vivaces et vegetæ sunt, et antequam obstetrix adsit, fœtum edunt vividum et validum: vel, ipsæ sunt vivificatrices, scientes scilicet partum vivum educere. Nec displicet quorumdam rabbinorum explicatio, qui interpretantur: ipsæ similes sunt bestiis, quæ dum pariunt, non egent obstetricibus. Sic potuerunt loqui obstetrices, odium et despectum Hebræorum simulantes, et illum beneficio, quod in illas conferebant, prætexentes. *Chaiot* bestias significat.

Priusquam veniamus ad eas pariunt. Mendacium est; nam ipsæ mares servarunt, ut dicitur num. 17. Fortasse putarunt obstetrices hæ mendacium officiosum nullum peccatum esse; quod alii olim viri alioqui docti, licèt falsò, sibi persuaserunt.

21. *Ædificavit eis domos.* Dedit eis prolem numerosam, egregiam, longævam, divitem. Nec mirum proles vocari ab Hebræis domos; nam בן *ben*, filius dicitur in ea lingua a בנה *bana*, ædificavit. * Et proles sunt quasi lapides vivi, quibus parentum familiæ construuntur.

22. *Præcepit ergo Pharao omni populo.* Tyrannicum edictum, quod aliqui putant ipsos Ægyptios horruisse ac proinde vix usu recepisse.

CAPUT II.

Moses aquis exponitur, et inde extrahitur : adoptatur a filia Pharaonis: occidit Ægyptium, fugitque in Madian, ubì ducit Sephoram, et ex ea gignit Gersam et Eliezer.

1. *Vir de domo Levi.* Fuit hic Amram filius Caath, nepos Levi, pronepos Jacob, pater Mosis.

Uxorem stirpis suæ. Jochabed neptem Levi, et Amræ consobrinam, ut patet ex cap. 6. num. 20.

2. *Elegantem. Moses*, inquit apost. ad Hebr. 11. 23, *occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum.* S. Stephanus. Act. 7. 20, pro elegante dixit *gratum Deo.*

3. *Cùmque jam celare non posset.* Fervente rursus inquisitione et infanticidio. Plures tamen infantes evasisse remittente se tyrannide, ex Aarone, ejusque coævis liquet.

Fiscellam scirpeam. Arculam ex juncis. * Mos fuit Ægyptiis etiam parvas cymbas ex juncis, et nilotica papyro conficere. Lucan. lib. 4.

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

In carecto. Carectum est locus in quo carices nascuntur. Carix est herba alta in speciem gladii, et sub finem acuminata. Est ergo expositus Moses in stagnantis Nili parte, a qua facilè non posset defluentium aquarum impetu rapi per alveum fluminis.

4. *Stante procul sorore.* Maria, puella grandiuscula, decem aut duodecim annorum, a matre quid facto opus esset edocta.

5. *Filia Pharaonis.* Quam Josephus et alii passim Themutim appellant. Philo ait fuisse unicam Pharaonis hæredem, et sinè prole, licèt esset jam dudum nupta.

Per crepidinem alvei. Per ripam fluminis.

In papyrione. In carecto juncis, caricibus, papyroque referto.

6. *De infantibus Hebræorum est.* Quod ita esse certò cognovit ex circumcisione.

8. *Matrem suam.* Jochabed.

10. *Adoptavit in locum filii.* Philo ait Themutim finxisse se esse gravidam, et genuisse Mosen; favet apostolus, cùm ait ad Hebr. 11. 24, Mosen grandiorem factum negasse se esse filium filiæ Pharaonis. Cur ergo, Pharaone exstincto, Moses non est vocatus ad regnum? Fortasse matris fraus, et Mosis adoptatio detecta est.

Vocavitque nomen ejus Moyses. A radice משה *masa*, quæ extrahere significat, quòd de aqua tulisset eum. * Linguâ etiam ægyptiacâ *mos* aquam, *is*, vel *ises* servatum significat.

11. *In diebus illis.* Nimirum anno Mosis 40, ut asserit S. Stephanus, Act. 7. 23.

Ad fratres suos. Hebræi fratres vocant omnes eos qui sunt ejusdem familiæ, vel gentis.

Virum ægyptium percutientem quemdam de Hebræis. Philo ait hunc Ægyptium fuisse unum ex præfectis qui injusto onere Hebræos premebant.

12. *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Percussum, id est, occisum. Jure occidit Ægyptium, quia ex divina inspiratione auctoritatem adeptus. Favet S. Stephanus, Act. 7. 24 et 25, cùm ait : *Fecit ultionem.... percusso Ægyptio ; existimabat autem fratres intelligere quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.* De quo ipse Moses non dubitabat divina inspiratione, et, ut vult Josephus, divino oraculo Amram patri reddito, edoctus.

14. *Ait.* Cogitavit intra se.

Palam factum est verbum? Factum innotuit; aliquis, me non advertente, vidit me Ægyptium cædentem.

15. *Qui fugiens.* Suo tempore rediturus.

Madian. Madian urbs fuit condita a Madian filio Abrahæ ex Cethura, unde est tota regio dicta Madian.

16. *Sacerdoti Madian.* Chaldæus, *principi Madian.* כֹּהֵן *cohen*, Hebræis sacerdotem et principem significat. Probabile fuisse utrumque, quia primarii viri ferè eo tempore sacerdotes, ut Melchisedech, Noe, Abraham, etc.

Adaquare cupiebant greges. Nobilis illo ævo ars pastoritia.

17. *Ejecerunt eas.* Ad haustum a puellis paratumque potum agentes sua pecora, fruituri inertes alienis laboribus, inquit Philo.

18. *Ad Raguel.* Qui cap. sequenti vocatur Jethro, et Cinæus, Judic. 4. 11.

19. *Vir ægyptius.* Ita videbatur ex cultu corporis, et fortasse se ex Ægypto profectum ipse affirmaverat.

20. *Comedat panem.* Convivetur nobiscum. Panis Hebræis quemvis cibum significat.

22. *Vocavit Gersam.* גר *ger*, peregrinum significat: שם *scam*, illic.

Eliezer. Id est, Deus adjutor meus.

23. *Mortuus est rex Egypti.* Non is solùm, sub quo Moses natus, adoptatus, et ad cædem quæsitus; sed etiam duo alii, qui ejusdem erant ingenii, et Hebræos oderant.

Vociferati sunt. Malis attriti ad cor redeuntes, et ex morte tyranni malorum levamen aliquod sperantes.

Ab operibus. Ab iis præsertim qui in operibus luti, etc., detinebantur.

24. *Recordatus est fœderis.* Loquitur Scriptura humano more.

25. *Respexit Dominus filios Israel.* Clementiâ suâ, ut a tanta malorum mole liberaret.

CAPUT III.

Moses pascens oves Jethro vocatur a Domino e rubo ardente et incombusto, ab eoque mittitur ad Pharaonem, ut liberet Hebræos.

1. PASCEBAT *oves.* Moses quadraginta annis vixit in aula Pharaonis; aliis quadraginta pastorem egit in Madian; ultimis quadraginta pastor fuit, et dux populi sui. Cùm esset in Madian creditur scripsisse librum Genesis et librum Job ad suorum solatium.

Jethro soceri sui. Qui alio nomine dictus est Raguel, ut dictum est cap. 2. num. 18.

Minasset. Vox latina, et propria pastorum baculo oves dirigentium. Hac voce non semel utitur Scriptura.

Ad montem Dei Horeb. Prolepsis; nam postea ita dictus est mons a gloria Dei ibi revelata, dataque lege, Exod. 19. Hic idem est mons Sina.

2. *Apparuitque ei.* Cùm jam 40 annis fuisset in Madian, et 80 ætatis ageret, ut patet Act. 7. num. 30; nam mox ab hac visione missus est a Deo in Ægyptum ad Pharaonem pro liberatione Hebræorum; hoc autem contigit anno Mosis 80, ut patet Exod. 7. num. 7.

Dominus. Angelus Domini personam sustinens. Credibile est fuisse Michaelem synagogæ præsidem et tutorem.

In flamma ignis de medio rubi. Flamma per rubum, et circum rubum ferebatur, nec tamen illum absume-

bat; quod Dei miraculo fiebat. Significat autem ignis hic afflictionem qua Hebræi ab Ægyptiis incendebantur, sed non consumebantur; sed potiùs splendidiores efficiebantur et fortiores.

4. *Moyses! Moyses!* Ostendit hìc Deus se suos ita curare, ut eos ex nomine norit, vocet et dirigat : repetitione autem nominis acrius Mosis aures animumque pulsat, eumque ad attentionem excitat.

Adsum. Præstò sum, ut obsequar.

5. *Solve calceamentum.* In loci et divinæ majestatis reverentiam. * Hinc mos ad Judæos, aliasque gentes manasse videtur pedes excalceandi in templorum ingressu. Hoc idem præcipiebat Pythagoras apud Jamblicum, de Vita ejus cap. 24 : Ἀνυπόδητος θύε, καὶ προσκύνει, *excalceatus sacrifica et adora.*

6. *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* Quem coluerunt et colunt Abraham, etc., quibus suorum posterorum salutem desiderantibus, et pro ea assiduè in limbo orantibus, fidem, quam olim dedi de vestra liberatione, jam præstabo. Porro Dominus horum trium potissimùm se Deum vocat, quia proximi auctores, et parentes hebrææ gentis, quibus peculiariter terra Chanaan promissa, et quibus peculiari modo beneficus fuerat; tandem in quibus eximiæ virtutes eluxerant. Aliqui in eo quòd ad singula tria nomina repetitur vox Deus mysterium agnoscunt Trinitatis, vel significari putant quantam singulorum servorum suorum curam Deus habeat; scilicet quòd uniuscujusque sit Deus, et uniuscujusque sit totus.

Abscondit Moyses faciem. Ex reverentia divinæ majestatis præsentis.

8. *Descendi.* Loquitur humano more, ut sæpe aliàs.

Terram bonam et spatiosam. Judæa ex D. Hieronymo ad Dardanum, continet tantùm 160 milliaria in longitudine a Dan usque Bersabee; in latitudine tantùm 47 milliaria a Joppe ad Bethlehem. Dicitur tamen spatiosa : 1. respectu terræ Gessen in qua tunc habitabant; 2. respectu gentis, quæ hoc tempore minor erat illâ terrâ; 3. propter ubertatem soli, quod magnam admodum populi multitudinem alere poterat.

Quæ fluit lacte et melle. Hyperbole. Abundat lacte et melle, optimis fructibus, et omni deliciarum genere.

9. *Clamor ergo filiorum Israel venit ad me.* Extrema calamitas ad Deum confugere, et per orationem magno affectu clamare docet.

11. *Quis sum ego?* Quasi dicat : Ego nullus sum, et

planè ineptus ad hanc legationem. Modesta et humilis propriæ infirmitatis confessio, quam sancti viri imitantur, cùm honorifica munera deprecantur.

12. *Hoc habebis signum.* Signum hoc, quòd esset immolaturus Deo super montem, quoad promissionem præsens erat, quoad executionem verò pendebat a futuro eventu, quem Deus certissimè futurum prædicit et promittit. Hoc autem evenisse patet ex c. 24. 3. Simile signum datur Ezechiæ 4. Reg. 19. 29, et Davidi 1. Reg. 16. 13. Abulensis tamen putat signum dari rubum ipsum ardentem: nam quod sequitur, cùm eduxeritis populum, etc., non ad signum putat pertinere, sed explicare præceptum immolandi. Crediderim etiam hunc esse posse sensum: *Ero tecum, et hoc habebis signum*, id est, quia tibi semper adero, et mea virtute admiranda patrabis prodigia, ideo hæc tibi erunt in signum quòd miserim te.

14. *Ego sum qui sum.* Quasi dicat: Ego sum verus Deus: idololatræ id colunt quod non est: ego sum a me ipso, non aliunde originem habens, ego sum meum esse; sive idem cum mea essentia, et causa omnis alterius esse, quod res creatæ participant.

15. *Deus patrum vestrorum.* Hoc nimirum, ut subditur, nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum, per quod homines recordentur meî, etiam christiani; nam per Christum non deleta, sed renovata potiùs et illustrata est Abrahæ, Isaac, et Jacob memoria.

In generationem et generationem. Hebr. *in seculum seculi*, omni seculo, perpetuò.

16. *Visitans visitavi vos.* Respexi, et vidi vos, et calamitates vestras.

17. *Et dixi.* Mecum statui.

18. *Audient vocem tuam.* Tam læta et optata de eorum liberatione nuntiantem, tibique credent.

Vocavit nos. Hebr. est, *occurrit nobis;* id est, se obtulit et apparuit nobis vocans nos ad sacrificium, quo se in deserto extra Ægyptum coli vult.

Ibimus. Hebr. *et nunc eamus, quæso*: petimus ut liceat ire.

Viam trium dierum. Non est mendacium, sed silentium integræ veritatis intervenit; non enim dicunt se ituros itinere trium dierum tantùm.

19. *Non dimittet vos.* Præparat animum Mosis et Hebræorum, ne repulsam passi animis concidant.

Nisi per manum validam. Qua decem plagis feriantur, et maximè per cædem primogenitorum.

22. *A vicina sua et ab hospita sua.* Hinc patet Ægyptios fuisse permistos Hebræis in terra Gessen.

Spoliabitis Ægyptum. Hebr. *evacuabitis Ægyptum;* non rapinâ, sed justo titulo donationis Dei qui omnium Dominus. Donavit Deus hæc spolia Hebræis : 1. ut castigaret luxum et injustitiam Ægyptiorum ; 2. ut Hebræis qui gratis servierant Ægyptiis hæc spolia loco pretii redderet; hinc Sapient. 10. 17, dicitur : *Reddidit justis mercedem laborum suorum;* 3. ut eis daret materiam, quam postea in tabernaculi fabricam offerrent.

CAPUT IV.

Moses tribus signis a Deo acceptis in Ægyptum cum uxore proficiscitur : uxor circumcidit filium. Aaron fratri Mosi occurrit, simulque veniunt ad filios Israel.

1. NON *credent.* Quia in eis multi sunt duræ cervicis. Sciebat tamen seniores credituros, quod illi prædixerat Deus, cap. 3. num. 18.

2. *Virga.* Virga hæc Mosis, et illius metamorphosis significare videtur triplicem Hebræorum statum : primum sub Joseph cùm sceptrum tenuerunt ; 2. cùm exstincto Joseph malis vexati sunt sub Pharaone infesto, quod per virgam in colubrum conversam exprimitur ; 3. sub Mose cùm libertati pristinæ restituti, et ex Ægypto educti, sui juris facti sunt.

3. *Ita ut fugeret Moyses.* Erat enim hic coluber ex magna virga productus magnus horridusque : quare Philo eum vocat draconem.

6. *Protulit leprosam.* Manus Hebræos significat ; hi in sinu Mosis, qui eorum curam suscepturus erat, leprosi facti sunt, quia ab Ægyptiis graviùs vexati sunt. Moses verò secundò manum in sinum mittens, id est, plenam et perfectam populi curam suscipiens, plagis in Pharaonem et Ægyptum immissis, manum reduxit sanam et integram, quia populum ex Ægypto salvum eduxit.

8. *Sermonem signi.* Id est, sermonem signo priore confirmatum.

9. *Aquam fluminis.* Nili.

Vertetur in sanguinem. Quæ mutatio erit Ægyptiis exprobratio infantium aquis fluminis præfocatorum, et præsignificatio mortis eorum qui maris Rubri undis hausti exstinguentur.

10. *Obsecro, Domine.* Subaudi, parce mihi, noli me mittere; hoc enim intelligitur per aposiopesin.

Non sum eloquens. Hebr. *non sum vir verborum*: vereor ut Pharao tam indisertum oratorem sit auditurus.

Ab heri et nudius tertius. Ab aliquo tempore; vel significat, hactenus non fui eloquens, nunquam fui eloquens.

Ex quo locutus es ad servum tuum. Postquam mecum loqui cœpisti, experior me etiam infacundiorem, ut difficiliùs quæ volo eloqui possim : quod mihi ob tuî reverentiam accidit.

Impeditioris et tardioris linguæ sum. Quinque videntur fuisse hæc, quæ prætendit Moses, impedimenta: 1. quòd esset paucorum verborum, ut indicant hebræa, *jejunus*, et *verborum inops*; 2. quòd in dicendo non esset eloquens, sed rudis, inconditus et inelegans; 3. quòd in sermone non esset promptus, sed tardiloquus; 4. quòd voce esset gracili et exili, quare se apud LXX appellat ἰσχνόφωνον; 5. quòd linguâ esset impeditus, et aliquas litteras aut voces bene pronuntiare non posset. Porro Dominus Mosen naturalibus istis linguæ vitiis impeditum ad magna opera adhibere voluit, ut laus Deo cederet, non eloquentiæ Mosis tribueretur; utque magnorum portentorum patrator his vitiis, quæ emendare non poterat, in humilitate contineretur.

11. *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum?... nonne ego?* Quasi dicat : Ego sum, qui sensus eorumque usum tribuo; si opus fuerit, etiam linguam tuam expedire potero.

13. *Obsecro.... Domine, mitte quem missurus es.* Alium, quæso, mitte, quemcumque voles me aptiorem. Videtur Moses peccasse pusillanimitate et inobedientia, citra tamen gravem culpam, munus a Deo delatum rejiciendo et deprecando.

15. *Ego ero in ore tuo.* Tuorum sermonum moderator, dabo tibi sermonem in apertione oris; quod orabat apostolus, Eph. 6. 19.

15. *Erit os tuum.* Interpres tuus.

Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. Tu eris ei internuntius Dei; hebr. est, *tu eris ei* לאלהים *lelohim*, id est, in Deum, pro Deo, vice Dei, ut scilicet ex te meam voluntatem intelligat, et te quasi me consulat et audiat.

18. *Vadam et revertar.* Visionem Dei celat modestiæ studio; aliam veram et justam causam profectionis prætexit.

20. *Virgam Dei.* Qua virtute Dei facturus prodigia in Ægypto.

21. *Posui in manu tua.* In potestate tua.

Indurabo. Permissivè et per gratiæ meæ subtractionem.

22. *Filius meus primogenitus Israel.* Israelitæ, quos mihi in filios adoptavi. Dicuntur primogeniti, quòd præ cæteris populis dilecti essent, et pro primogenitis habiti.

23. *Interficiam filium tuum.* Quæ ultima, gravissimaque plaga fuit, qua emollitum cor Pharaonis, ut dimitteret populum.

24. *Occurrit ei Dominus.* Angelus.

Occidere eum. Occidere Mosen, vel præfocatione, vel intentato gladio. Omissio circumcisionis filii in hoc periculum Mosen adduxit, quòd ipse futurus legislator jussum Domini, Genes. 17. 12, de circumcisione neglexisset. Causa omissionis fuisse videtur quòd filio Eliezer recens nato timuerit ab itineris agitatione, si illum circumcidisset.

25. *Tulit illico Sephora.* Intellexit puerum periclitari defectu circumcisionis vel divina inspiratione, vel angelo docente. Petram adhibuit, quòd consternatæ et properanti prima occurrerit; alioquin enim circumcisio communi gladio fieri poterat.

Tetigitque pedes ejus. Mosis, aspergens illos sanguine ex filii circumcisione.

Sponsus sanguinum tu mihi es. Redemi te hoc sanguine fuso, qui alioqui periisses.

26. *Et dimisit eum.* Mosen angelus.

27. *In montem Dei.* Montem Sina, * ubi Deus Mosi per angelum apparuerat.

30. *Locutusque est Aaron.* Qui jam Mosis interpretem agere cœpit.

Fecit signa. Moses scilicet.

31. *Visitasset.* Respexisset, ut liberaret.

CAPUT V.

Moses et Aaron Pharaoni Dei mandata referunt, quæ ille contemnens graviùs Israelitas premit, negatis paleis. Hi cum Mose hac de causa expostulant, qui ad Deum pro illis preces fundit.

1. MOYSES *et Aaron.* Lyranus putat cum his ingressos etiam seniores; ita enim præceperat Dominus cap. 3. num. 18. Meliùs alii, qui censent solos Mosen et Aaron

ingressos; nam soli nominantur hic et num. 4; pro senioribus enim quos initio Mosi timido addiderat Deus, substituit postea Aaronem, qui Mosis comes esset, et dux verbi, ut patet cap. 4. num. 14.

Ut sacrificet. Hebr. *ut festum celebret;* puta solemniter sacrificando; sacrificiis enim solemnibus vel maximè festa celebramus.

2. *Nescio Dominum*. Nescio Deum vestrum, nec Deum quemlibet agnosco, qui mihi tanta imperet potestate ut Hebræos dimittam.

3. *Ne fortè accidat nobis pestis aut gladius*. Hebr. *ne fortè incurrat in nos peste aut gladio*. Deus nimirum, si ei non pareamus.

4. *Sollicitatis*. Heb. *cessare facitis*.

5. *Dixitque Pharao*. Ad suos præfectos operum.

Videtis quòd turba succreverit. Hinc patet infanticidii legem ut exsecrabilem jam pridem fuisse abrogatam.

7. *Nequaquam ultra dabitis paleas*. Quæ concisæ luto admiscebantur, ut lateres solidiores essent; paleæ enim lutum continent, adstringunt et uniunt.

8. *Mensuram laterum*. Nihil detrahetis de penso laterum, quod persolvere debent.

Vacant enim. Otio torpent.

10. *Non do*. Non dabo: enallage.

12. *Dispersusque est populus*. Pars miscebat lutum et formabat lateres; pars coquebat; pars paleas comportabat.

16. *Injustè agitur*. Ne regem offendant, injuriæ invidiam in præfectos derivant.

19. *Videbantque se... in malo*. Ad magnas angustias redactos.

20. *Egredientibus a Pharaone*. Præfecti scilicet Hebræorum: Moses autem et Aaron exspectabant foris quodnam responsum rex daret.

* 21. *Videat Dominus*. Formula est exprobrandi, quasi dicant: Deus, qui omnia videt, ob injuriam, quam nobis facitis postulando missionem a Pharaone, vos puniat.

Fetere fecistis. Invisos et abominabiles reddidistis. Est phrasis hebraica, quæ habetur etiam Genesis 34. 30, ut ibi annotavimus. * Ita ab ingratis excipi solent libertatis, aut alterius beneficii auctores, cùm successus votis non respondent. Vide infra, c. 14. 11.

Præbuistis ei gladium. Id est, occasionem.

22. *Reversusque est Moyses ad Dominum*. Odiosè in se jactata tacitus transmittit Moses, quia Hebræorum

præfecti exasperatis animis salutarium monitorum capaces non erant. Itaque ad Deum per orationem confugit.

Cur afflixisti populum? Cur ei occasionem afflictionis dedisti mittendo me ad Pharaonem, nec tamen liberando populum, sed potiùs permittendo ut graviùs prematur.

Quare misisti me? Hæc non contumaciæ verba sunt, vel indignationis, sed inquisitionis et orationis, ait S. Augustinus, quæst. 14.

CAPUT VI.

Deus Israelitas per Mosen consolatur terræ Chanaan promissione. Recensetur genealogia Ruben, Simeonis et Levi usque ad Mosen et Aaron.

1. DIXITQUE *Dominus ad Moysen.* Vel per angelum, vel quod probabilius videtur per internam inspirationem; nam nulla hic species legitur Mosi exhibita.

Quæ facturus sim Pharaoni. Quæ mala, quas plagas illaturus.

* 3. *In Deo omnipotente.* Id est, declarando me esse omnipotentem, benedictionibus et opibus illum cumulando.

Nomen meum Adonai. Nomen יהוה, quod tamen Hebræi cùm legunt non pronuntiant *Jehova*, sed *Adonai;* quare interpres latinus hunc morem secutus, scripsit *Adonai.* Porro nomen Jehova divinam significat essentiam, et a radice היה *haia* deducitur; quod verbum significat, est vel fuit. Hoc ergo nomen Jehova primò Mosi revelatum fuit, et cum nomine etiam clarior rei significatæ cognitio; idque hoc fine factum ut Moses, et populus malis pressus in spem erigeretur divini auxilii mox adfuturi; ut nimirum intelligerent Deum, qui se tam familiarem, et nomine proprio compellandum et noscendum exhibebat, jam magìs eos curæ et cordi habere, quàm ante.

6. *De ergastulo Ægyptiorum.* Hebr. *de sub oneribus Ægyptiorum.* Bene noster vertit, ergastulum; nam ergastulum est locus in quo capti, aut servi laborare coguntur: dicitur enim ergastulum ἀπὸ τȣ̃ ἐϱγάζεσθαι, id est, ab operando et laborando.

In brachio excelso. Hebr. *extento*, hoc est, ad feriendum in altum sublato.

Judiciis magnis. Magnis plagis, et vindictâ justè pro meritis inflictâ.

7. *Vester Deus.* Hebr. *Elohim*, judex vester, qui pro vobis sententiam feram. Elohim enim judicem significat.

8. *Levavi manum meam.* Juravi; manus enim in altum elevata habitus jurantis est. Eadem phrasis est Gen. 14. 22; et 2 Esdr. 9. 15.

9. *Propter angustiam spiritûs.* LXX, *præ pusillanimitate.* Adeo malis premebantur ut non auderent, nec liceret eis aliud aliquid cogitare, sperare aut machinari.

12. *Cùm incircumcisus sim labiis?* Hebræi incircumcisum vocant corde, mente, aut lingua, eum qui vitio aliquo cordis, mentis, aut linguæ laborat.

14. *Principes domorum.* Principes familiarum Israelitarum.

16. *Et hæc nomina filiorum Levi.* Sistit Moses in genealogia Levi, quia ex Levi prognati sunt Aaron, et Moses populi liberator, et hujus historiæ scriptor. Texitur etiam hìc genealogia Ruben, Simeonis et Levi, ne fortè putaret quis has tres tribus esse rejectas, quòd illis maledicere visus esset Jacob. Gen. 49. num. 3 et 5.

Per cognationes suas. Hebr. *per generationes*, id est, familias a quibus ortæ multæ familiæ.

20. *Patruelem suam.* Non amitam, ut quidam volunt.

23. *Sororem Nahasson.* Hic Nahasson in egressu ex Ægypto fuit princeps tribûs Juda, ut patet Num. 1. 7. Notanda Mosis modestia, qui Aaronis fratris genealogiam studiosè pertexit, suam pene tacitus præterit, nisi quatenus ad Dei vocationem et missionem certæ personæ cognoscendam erat necesse.

25. *Principes familiarum.* Hebr. *principes patrum*, qui scilicet inter patres fuerunt principes et capita familiarum.

26. *Iste est Aaron et Moyses.* Qui scilicet missi sunt ad Pharaonem. * Interdum præponitur Aaron Mosi, quia major ætate: interdùm postponitur, quia minor dignitate.

29. *Loquere ad Pharaonem.* Hìc Moses narrationem n. 14 cœptam, et per genealogiæ suæ descriptionem interruptam, resumit et prosequitur.

30. *Ait Moyses coram Domino.* Domino qui erat coram: sive, coram quo stabat et agebat Moses.

Incircumcisus labiis sum. Vide hoc capite, supra, n. 12.

CAPUT VII.

Moses et Aaron populi dimissionem petunt a Pharaone. Mosis virga vertitur in colubrum, et aqua virgâ percussa in sanguinem, quæ etiam faciunt magi suis incantationibus; hinc obdurat se Pharao, ne Hebræos dimittat.

1. *Deum Pharaonis.* Non quem ille fideliter adoret, sed serviliter timeat punientem, et demissè obsecret ut plagas sistat, et plagis modum faciat.

Aaron... erit propheta tuus. Cui scilicet tu reveles quæ ex me cognoveris; et ille ea, quippe interpres tuus, Pharaoni, senioribus populoque proponat.

3. *Indurabo cor ejus.* Non ei duritiem immittendo, sed permittendo illum in sua perseverare duritie per gratiæ meæ subtractionem. * Non juvando indignum specialiore gratia, vel etiam quædam justè ponendo eique immittendo, per quæ suo vitio et malitiâ indurabitur.

4. *Immittamque manum.* Percutiam, affligam, puniam.

Per judicia maxima. Per maximas plagas. LXX, *cum ultione magna*; quæ omnibus justissimum Dei judicium in Ægyptios ostendat.

6. *Ita egerunt.* Pleonasmus; jam enim dixerat eos ita fecisse.

8. *Ad Moysen et Aaron.* Immediatè Mosi, et per hunc Aaroni.

9. *Virgam tuam.* Virga hæc nunc Mosis, nunc Aaronis, nunc Dei dicitur; quia horum omnium fuit instrumentum ad patranda prodigia et plagas Ægypti.

10. *Tulit.* Hebr. chald. et græc. habent, *projecit.*

11. *Maleficos.* Præstigiatores, quos LXX vocant *sophistas et veneficos.* Horum principes fuerunt Jannes et Mambres, ut patet 2. Tim. 3. 8.

Fecerunt etiam ipsi. Ministerio dæmonum sensus aspicientium ludificantes, ut videre se putarent quod non videbant; vel per motum localem, aut activa passivis applicando, ita ut causam ignorantibus res prodigio similis videretur.

12. *Versæ sunt in dracones.* Veri dracones et serpentes a dæmone allati, virgis interim ab aspicientium oculis subtractis.

Devoravit virga Aaron. Serpens, in quem virga erat

erat conversa, devoravit virgas, hoc est, serpentes in quos virgæ eorum erant conversæ.

13. *Induratumque est cor Pharaonis.* Quia vidit magos suos similia signa fecisse, parum cogitans quòd Aaronis virga magorum virgas devorasset.

15. *Stabis in occursum.* Prævenies ejus adventum ad Nili ripam, ut veniens in te incurrat.

17. *Percutiam virgâ.* Quæ ex serpente primæ formæ reddita erat.

Quæ in manu mea est. Verba sunt Dei, et tamen Moses virgam manu sua tenebat. Sed Deus et Moses quasi unus censentur, quemadmodum causa principalis et instrumentum vocantur una causa efficiens.

18. *Pisces... morientur.* Qui extra aquam vivere non possunt, maximè in sanguine, qui crassus et calidus repugnat piscium complexioni.

Computrescent aquæ. Mortuis piscibus inficientur et corrumpentur, vel ad eum modum quo sanguis extra venas putrescit.

Affligentur Ægyptii. Siti cruciabuntur.

19. *Omnes lacus aquarum.* Hebr. *omnem congregationem aquarum*, puteos, scilicet, fontes, rivos, etc.

In omni terra Ægypti. Etiam in terra Gessen, in qua Ægyptii degebant, ac ii præsertim qui vexabant Hebræos, quibus non erat parcendum. Interim tamen Hebræi a plaga immunes erant.

22. *Feceruntque similiter malefici.* Quibus aquæ copia fuit, vel a mari petita; quòd solùm potabiles aquæ et dulces in sanguinem essent conversæ; vel quia divinâ providentiâ aliquid aquæ reservatum est, ut esset magorum experimento locus; vel quia ex terra Gessen allata est, vel a Mose magis oblata.

* *Incantationibus suis.* Aliqui verterunt, *διὰ τῶν ἀποκρύφων*, arcanis artibus; quales magorum esse solent.

23. *Nec apposuit cor.* Non adjecit animum, ut crederet.

24. *Foderunt... per circuitum fluminis.* Irrito conatu; nam sanguinem invenerunt, quamvis percolatum, et quasi aqueum; sic aliquo modo sitim solati sunt.

25. *Impletique sunt septem dies.* Plaga sanguinis dies septem tenuit; hanc nova ranarum plaga excepit. Meritò Ægyptiis fluvius versus est in sanguinem, qui eumdem fluvium in infantium Hebræorum perniciem converterant, eos aquis præfocando.

CAPUT VIII.

Describitur secunda plaga Ægypti, quæ fuit ranarum; tertia ciniphum; quarta omnis generis muscarum. Post singulas induratur Pharao, nec populum dimittit.

2. TERMINOS *tuos*. Fines regni tui.

3. *Ingredientur domum tuam*. Instinctu divinitus insito, aut ab angelis actæ. Durior hæc plaga, quàm plaga sanguinis. Nam si flumine in sanguine verso adempta aqua est, reliqui liquores relicti. At ranæ omnia occupabant, inficiebant, et coaxatione obtundebant, morientes, et vivæ fetore complebant, sedentibus, ambulantibus, cubantibus infestæ.

In reliquias ciborum tuorum. Verti etiam posset cum LXX, *in massis sive pastis tuis*, ἐν τοῖς φύραμασί σȣ. Chaldæus, *in panariis tuis*, id est, in pistrino et locis quibus panis conficitur.

5. *Extende manum tuam*. Qua scilicet tenes virgam; illa enim mirandorum effectrix, quâ extensâ a Deo evocatæ sunt ranæ.

6. *Super aquas*. Versùs, vel contra aquas, eminus ex ipsa Pharaonis aula, in qua tunc fuisse videtur, quamvis ex sacro textu clarè non constet.

7. *Fecerunt autem et malefici*. Dæmonum ministerio, non tamen tam multas, sed pauculas exhibentes.

8. *Orate Dominum*. Hinc patet graviorem hanc fuisse plagam, quàm sanguinis; hæc enim compulit Pharaonem orare Mosen ut auferretur: quod priùs non fecerat.

9. *Constitue mihi*. Jubet Pharaonem tempus constituere, ne postea causari possit ob causarum naturalium efficientiam ranas sublatas et exstinctas.

10. *Qui respondit: Cras*. Ut tempus orandi daret, et ut interim experiretur an naturaliter et ex se ranæ deficerent.

12. *Clamavit*. Desiderio.

14. *Congregaveruntque eas in immensos aggeres*. Non sunt statim ab oculis sublatæ, ne præstigiæ putarentur: credibile fetorem ingentem exhalasse, quod tradunt Philo et Josephus. Meritò Ægyptii ranis ex fluvio ebullientibus afflicti sunt, qui infantes fluvio merserant.

17. *Ciniphes*. Tertia plaga. Ciniphes alii pediculos, alii pulices, alii culices fuisse aiunt: res est obscura;

neque enim constat quid significet vox כנים *chinnim*, quæ est in textu hebræo.

18. *Feceruntque similiter.* Conati sunt facere.

Et non potuerunt. Deo illos impediente, ut impotentiæ et mendacii arguerentur incantatores, qui cùm majora fecissent, in minoribus deficerent.

19. *Digitus.* Divina scilicet virtus et operatio.

Dei est hìc. Agnoscunt magi divinam virtutem, et illi nihilominus obnituntur; quod et dæmones faciunt.

21. *Omne genus muscarum.* LXX verterunt, κοινομυῖαν quam vocem noster interpres retinuit, Ps. 77. 45, et Ps. 104. 31, *cœnomyam;* quasi dicat communem muscam, omne genus muscarum. * Consentit Aquila, qui vertit, παμμυῖαν, *omnem muscam.* At LXX legunt κυνόμυῖαν, *muscam candidam.*

22. *Faciamque mirabilem.... Gessen.* Quæ immunis erit ab hujusmodi muscis, cùm tamen pecoribus abundet.

In medio terræ. Id est, dominans in terra ampla et lata.

23. *Ponamque divisionem.* Hebr. est, *ponam redemptionem*, quasi dicat: Redimam, eximam, et liberabo meos Hebræos a communi plaga.

24. *Venit musca.* Quartam hanc plagam muscarum sinè sensibili signo, sinè extensione virgæ, sed ex se solo inflixit Deus, ne quis suspicaretur aliquid numinis virgæ inesse, aut non esse Deum qui hoc patraret.

Gravissima. Plurima. Sic Ps. 34. 18, dicitur: *In populo gravi laudabo te*, id est, multo; vel gravissima, id est, molestissima.

26. *Abominationes enim Ægyptiorum.* Oves et boves mactaturi sumus, quorum cædem Ægyptii abominandam putant, quia eos ut deos colunt; non ergo expedit ut coram ipsis ista sacrificemus, ne nos lapidibus petant, aut alia ratione violent. * Vel sensus est: offeremus ea Deo quæ occidi, ac proinde Deo sacrari nefas esse putant Ægyptii.

32. *Ingravatum est.* Hebr. *aggravavit Pharao cor suum.* Sic et LXX.

CAPUT IX.

Quinta plaga pestis animalium ; sexta ulcerum ; septima grandinis , quibus emollitus Pharao missionis Hebræorum spem dat ; sed iis cessantibus , redit ad ingenium.

3. *Manus mea.* Flagellum, pestis nimirum, ut statim subditur.

Super agros tuos , et super equos. Particula *et* est exegetica , et sententia est : super equos , etc. , qui sunt in agris tuis. Hæc ergo pestis non homines corripuit , sed animalia , non quidem omnia , sed ea tantùm quæ erant in agris.

Boves , et oves. Non edebant carnes ovium et boum , sed vescebantur lacte , caseo , etc. , et bobus utebantur ad arandum.

4. *Inter possessiones.* Inter pecora quæ possident Hebræi et Ægyptii.

7. *Et misit Pharao ad videndum.* In superioribus plagis non misit ad explorandum an Hebræi a malis essent immunes ; vel quia viæ ob ranas , ciniphes , etc. , erant imperviæ; vel quia non subiit illum hæc cura.

Ingravatumque est cor Pharaonis. Non petit ut plaga cesset , quia jam animalia peste erant exstincta.

8. *Ad Moysen et Aaron.* Vide supra , c. 7. n. 8.

Cineris de camino. Vox hebraica propriè significat albam illam favillam quæ necdum planè versa est in cinerem. Appositè favillâ hâc ardentes pustulæ demonstrantur : hæc enim cineris instar fiunt ex calore. Aptèque factum est ut Ægyptii , qui Hebræos fornace lateritia torserant , acerbissimè eadem torquerentur : qua de causa de ægyptia servitute loquens Moses, Deut. 4. 20 , ait : *Eduxit vos de fornace ferrea Ægypti.*

Spargat illum Moyses. Aaron mutarat aquas in sanguinem , ranas et ciniphes evocarat : jam Moysi majora signa reservantur ; spargit cinerem in cœlum , quia cœlitus immittebatur plaga.

9. *Sitque pulvis super omnem terram.* Non plùs pulveris , aut cineris Moses sparsit , quàm manu comprehendisset ; sed illum Deus sparsum in aere in morem densæ nivis multiplicavit , et in Ægyptios detulit; inde iis hominibus et jumentis , in quæ delatus est , ulcera et pustulæ exortæ sunt.

In hominibus et jumentis. Non omnibus, sed plurimis; nam reliqua sequenti grandinis plagâ percussa perierunt.

Ulcera et vesicæ turgentes. Ulcera ardore et sanie turgida et tumentia. Hac ulcerum et tumoris plaga vindicata Ægyptiorum superbia et fastus.

11. *Nec poterant malefici stare.* Licèt in tertio signo ciniphum victi, adhuc tamen calumniis, et ut poterant, Mosi obnitebantur.

14. *Omnes plagas meas.* Non quas possum, sed quas destinavi immittere ad te perdendum.

Super cor tuum. Quæ cor tuum saucient.

15. *Populum tuum peste.* Pestis hìc significat omne excidii genus quod deinceps in Pharaonem immisit Deus; quasi dicat: Plagas plagis addam, donec excidaris a terra. **LXX** habent, *interficiam :* sic dicimus scelestum aliquem esse pestem civitatis, aut juventutis.

16. *Ut ostendam in te fortitudinem meam.* Te regem constitui, sustinui, conservavi, permisique ut in populum meum tyrannus insurgeres, ut ego vicissim in te insurgerem, tandemque te mergerem in mari Rubro, ut sic omnes meam justitiam ac potentiam agnoscant et vereantur.

17. *Adhuc retines.* Hebr. *adhuc calcas.*

18. *A die qua fundata est.* Qua habitari cœpit, ex quo gens condita, hoc est, a 627 annis.

19. *Congrega jumenta tua.* Iram clementia diluit, eaque pœnam temperat et mitigat, ut notat D. Aug. q. 33.

23. *Dominus dedit tonitrua.* Per angelum scilicet.

24. *Grando et ignis mista pariter.* Hebr. est, *erat ignis recipiens se*, vel, *receptus in grandine.* **LXX**, *erat autem grando et ignis ardens in grandine.* Rem explicat liber Sapientiæ, c. 16. 17, 19 et 22 : *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia exstinguit, plùs ignis valebat... et supra virtutem ignis exardescebat... Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant.*

Quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti. Ex quo apparet falsum esse quod quidam aiunt, nunquam pluviam aut grandinem visam esse in Ægypto.

26. *Ubì erant filii Israel.* Ea tantùm pars terræ Gessen a grandine immunis fuit, quæ ad Hebræos pertinebat : nam Ægyptii in ea habitantes plagam communem cum cæteris non evaserunt.

* 29. *Extendam palmas*. Habitus hic est orantium, etiam ab ethnicis usurpatus. Seneca in Œdipode :

> Testor, licet jam tollere ad cœlum piè
> Puras, nec ulla scelera metuentes manus.

Simile illud Timoth. 2. 8 : *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus.*

30. *Necdum timeatis Dominum*. Timore pietatis ex reverentia et religione in Deum. Ita S. Aug. q. 35 ; vel etiam timore servili, qui vobis persuadeat ut populum dimittatis.

32. *Quia serotina erant*. In Ægypto et Judæa mense nisan, qui martio vel aprili nostro respondet, inchoatur messis; quare mensis iste dicitur mensis novarum frugum, infra, cap. 13. n. 4; grando autem contigit mense februario. Vide Bonfrerium in hunc locum.

35. *Per manum Moysi*. Per Mosen : est hebraismus.

CAPUT X.

Octava plaga locustarum ; nona tenebrarum densissimarum, quibus fractus Pharao abeundi facit potestatem, quam mox negat, et Mosi mortem minatur.

4. *Inducam cras locustam*. Locustarum multitudinem. Hebræum ארבה *arbe*, et locustam et locustarum multitudinem significat ; nam רבה quæ vocis est radix significat multum esse. Ergo locustæ domos, lectos, cibos, omniaque Ægyptiorum invadebant, et fœdabant: in viis quoque conculcatæ, et in saniem conversæ, horrorem et fetorem excitabant.

7. *Hoc scandalum ?* Quamdiu hoc nobis erit in scandalum ? quia scilicet detinendo Hebræos in durissima mala continuò impingimus.

Nonne vides ? Nondum vides periisse Ægyptum ? Aquila, ἆρα ἔυπω οἶδας.

8. *Quinam sunt qui ituri sunt ?* Quasi dicat : Non est necesse omnes ire ad sacrificium ; mulieres, parvuli, imò virorum pars domi hærere potest ; faciam tamen potestatem ut viri omnes eant.

9. *Est enim solemnitas*. Omnes ire oportet cum pecoribus, quia nescimus quoties sacrificaturi simus, quot victimas mactaturi ; id enim ex Dei jubentis pendet arbitrio, nec par est quemquam a tanta solemnitate abesse. Verum dicebat Moses ; sæpius enim erant sacrificaturi in monte Sina in confirmatione legis, in dedicatione taber-

naculi, in sacerdotum consecratione, ut patet c. 24 et 29. Multa tamen subticet Moses, quæ tacere erat prudentiæ.

10. *Sic Dominus sit vobiscum.* Sic Deus vos adjuvet, sicut ego dimittam vos : est formula imprecatoria cum quadam irrisione, et, ut loquuntur Græci, mycterismo.

Cui dubium est. Res hæc haud dubiè ad seditionem spectat, aut fugam.

11. *Hoc enim et ipsi petistis.* Hic Pharao mentitur, sed regia licentia cui nemo contradicere ausit.

12. *Et devoret omnem herbam.* Sive quæ tempore grandinis superfuerat, sive quæ post grandinem novo germine erat exorta.

13. *Ventum urentem.* Ferè omnes ex hebræo vertebrunt, *ventum orientalem.* Videtur ergo fuisse ventus orientalis deflectens ad meridiem, quem euronotum appellamus. Vide Bonfrerium.

Tota die illa et nocte. Ut calore suo, fotuque locustas produceret, et productas in Ægyptum inferret.

Mane facto. Matutino enim tempore, quæ nocte torpuerunt, solis calore excitatæ factæque vividæ, naturali instinctu avolare solent.

14. *Nec postea futuræ sunt.* Quod a Mose spiritu prophetico dictum est.

15. *Universam superficiem terræ.* Cultæ scilicet, et germine vestitæ; hæc enim vastanda, et a locustis depascenda.

Pomorum. Fructus genericè habent hebræa; sive jam fructus maturi penderent, sive in floribus ac novis germinibus nuper erupissent.

17. *Auferat a me.* In hebræo additur *tantùm*, et sensus est : tantùm hac vice parcat Deus, ampliùs non offendam.

Mortem. Hanc pestem, hanc plagam.

19. *Ventum ab occidente.* Hebr. *ventum maris ;* mare enim ad occidentem est Palæstinæ.

Arreptam locustam. Hoc ferè modo, cùm locustas contingit terris involare, ab iis regiones liberantur, ut tradit Plin. lib. 11. cap. 29.

21. *Tenebræ.... ut palpari queant.* Loquitur humano more, et caliginosum crassumque aerem, qui tenebras inducebat, nihil palpari vetabat, aut saltem sensu tactûs sentiri. Aptè hæc plaga Ægyptiis immissa, qui Hebræos ergastulorum tenebris vexaverant. Quales et quàm horrendæ fuerint tenebræ illæ, vide Sapient. cap. 17.

23. *Lux erat.* Hebr. est, *in sedibus suis.* Hoc est, non

tantùm in vicis et plateis, sed etiam in eadem domo, in cubiculis luce gaudebant.

24. *Vocavitque Pharao Moysen.* Triduo tenebrarum expleto, duriora timens.

Oves tantùm vestræ et armenta remaneant. Pignoris loco, ne fugiatis et non redeatis.

26. *Non remanebit ex eis ungula.* Ne una quidem minima remanebit : formula proverbialis.

29. *Non videbo ultra faciem tuam.* Sponte ad te non accedam, non urgebo; tu potiùs me videre desiderabis, quando in primogenitorum plaga nos exire compelles, c. 12. n. 31.

CAPUT XI.

Prædicitur et describitur ultima plaga Ægypti, scilicet strages primogenitorum, ante quam monentur Hebræi, ut Ægyptum spolient.

1. *Et dixit Dominus.* Hæc inspirata sunt Mosi, antequam sese a Pharaonis conspectu subduceret; nam, ut patet ex præcedenti cap. num. 29, post hunc congressum non se ampliùs dedit in conspectum regis. Denuntiavit ergo Pharaoni primogenitorum cladem, deinde iratus ab eo exivit, ut patet hoc cap. n. 9.

Dimittet. Hebr. additur כלה *cala*, id est, consummatè, sive, omnino dimittet omnes, et greges etiam abducere permittet.

2. *Postulet.* Commodato. * Licuit Hebræis Ægyptios spoliare, non solùm Dei nutu, qui omnium Dominus est, sed etiam titulo compensationis pro laboribus exantlatis dum servitutem servirent; titulo etiam belli justi, quo Ægyptios hostes suos invadere poterant, et spoliare. Vide Sap. 10. 17, et quæ dicam infra, c. 12. 36.

Vir. Unusquisque. Hebr. איש *isch*, hoc frequenter significat.

Ab amico suo. A proximo, vicino, aut socio suo; habitabant enim Ægyptii Hebræis permixti.

Vasa argentea et aurea. Quasi ad sacrificium necessaria.

3. *Dabit... gratiam.* Inclinabit Ægyptiorum corda, ut dent vobis.

Fuitque Moyses vir magnus. Quasi dicat : ideo eum tam libere loquentem et minantem violare non est ausus Pharao : rursùm ideo faciliùs Ægyptii vasa commodarunt Hebræis.

4. *Media nocte.* Proxima nocte, quæ scilicet secuta est decimam quartam diem mensis primi nisan. Illa enim decima quarta die ad vesperam celebrarunt Pascha, in quo, cæsis noctu primogenitis, Hebræi liberi ex Ægypto egressi sunt. Hæc ergo locutus Moses decima quarta die nisan mane, antequam egrederetur ex aula Pharao.

Egrediar in Ægyptum. Non locum mutans, sed actionem.

5. *Qui sedet in solio ejus.* Vel jam cum ipso regnans, vel postea regnaturus.

Quæ est ad molam. Quæ trusatilem molam versans laborat in pistrino.

7. *Non mutiet canis.* Proverbialis formula : erit summa pax et tranquillitas.

8. *Omnes servi tui.* Imò et ipse Pharao, ut patet c. 12. n. 31.

9. *Exivit a Pharaone iratus nimis.* Tantæ tergiversationi, pervicaciæ et rebellioni Pharaonis.

CAPUT XII.

Præscribitur ritus immolandi et comedendi agnum paschalem, cujus sanguine domorum superliminaribus illitis, cæsis omnibus Ægypti primogenitis, Israelitæ cum divitiis Ægypti egrediuntur. De ritu Phase et esu azymorum, et tempore commorationis Israel in Ægypto.

1. DIXIT *quoque Dominus.* Quæ sequuntur a Domino dicta sunt Mosi, et ab hoc populo proposita sunt ante primogenitorum cladem; sed nunc tantùm narrantur, quia narrationem plagarum simul pertexere voluit, ac deinde narrare egressum Hebræorum ex Ægypto, cui præmittit ritum Phase, sive agni paschalis, qui egressus et liberationis fuit symbolum et tessera.

2. *Mensis iste.* Nisan qui martio nostro respondet, vel partim martio, partim aprili.

Principium mensium. Anni initium.

3. *Loquimini.* Vos seniores.

Decima die mensis hujus. Quatuor diebus ante agni immolationem, quæ fieri debebat decîma quarta die.

Unusquisque. Paterfamilias.

Agnum. Vox hebraica שה *sech*, significat pecudem tam ovinam quàm caprinam, id est, tam hœdum quàm

agnum; tam ergo hœdus quàm agnus poterat immolari, et esse Phase.

Per familias et domos. In eadem enim domo poterant esse plures familiæ, quarum quælibet, si erat magna, suum habebat et comedebat agnum.

4. *Sin autem minor.* Josephus 7, belli Judaici c. 17, saltem decem viros vult adesse debuisse, etsi plures etiam usque ad vicenos subinde essent. Extra horum numerum feminæ et pueri erant, qui plerumque totidem, vel plures.

5. *Absque macula.* Non coloris, sed deformitatis, v. g. claudicationis, scabiei, alteriusve vitii, aut morbi; debet esse תמים *tamim*, id est, integer, ut habent hebræa. Hoc enim est quod de qualibet victima dicitur Levit. 22. 21, 22: *Omnis macula non erit in eo: si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.* * Idem servatum ab aliis gentibus. Aristophanis scholiastes ad comœdiam cujus titulus Acharnenses: Τὰ γὰρ κόλουρα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται, καὶ καθόλου ὅπερ ἂν μὴ τέλεον καὶ ὑγιές, οὐ θύεται τοῖς θεοῖς. *Quæ mutila sunt, non immolantur in sacrificiis, et in universum quidquid perfectum et sanum non est, diis non immolatur.*

Masculus. Quia præstantior femella; præstantiora autem Deo offerenda sunt, vel etiam quia typus Christi.

Anniculus. Ut scilicet annum unum ætatis non excedat; nam, quantumvis minor, poterat immolari, modò octavum a nativitate diem attigisset. Lev. 22. 27.

* *Juxta quem ritum.* Id est, eadem servabitis, si pro agno hœdum volueritis, aut necesse habueritis sacrificare.

Tolletis et hœdum. Si agnus desit; non enim utrumque, sed alterutrum jubet immolari.

6. *Immolabitque.* Scilicet decima quarta die.

Universa multitudo. Quilibet paterfamilias domi suæ, totius familiæ nomine.

Ad vesperam. Hebraicè, *inter duas vesperas.* Chald. *inter duos soles.* Prima vespera est, cùm jam sol declinat ad occasum; secunda ipse solis occasus: et hoc voluit chaldæus, *inter duos soles*, declinantem scilicet et occidentem: hoc ergo tempus duas circiter horas continebat ante solis occasum. Porro vespera hæc fuit vespera diei decimæ quartæ desinentis, et diei decimæ quintæ inchoantis; immolatio enim agni fiebat decima quarta, comestio verò præcisè fiebat decima quinta die. Vespera enim hæc erat limes decimæ quartæ et decimæ quintæ diei, et una suî parte ad decimam

quartam, altera ad decimam quintam spectabat. * Inchoabant enim Hebræi diem civilem ab occasu solis. Itaque Judæi et Christus nunc decima quarta, nunc decima quinta die Pascha immolasse dicuntur.

7. *Sument de sanguine ejus.* Ut, viso hoc sanguine, angelus percutiens domos illas Hebræorum pertranseat, nec eorum primogenita percutiat, ut patet num. 23.

Domorum, in quibus comedent illum. Illarum domorum postes tincti sunt sanguine, in quibus agnus comedebatur; itaque quicumque alteri se domui junxit, ut comederet agnum, quòd scilicet numero pauci essent, nec sufficerent ad agnum absumendum, ii pernoctarunt in domo in qua agnum comederant: alioqui si ad proprias domos agni sanguine non consignatas rediissent, in ea percussi fuissent ab angelo.

8. *Cum lactucis agrestibus.* In hebr. est, *cum amaris*, scilicet herbis quibuslibet amaris. LXX habent, ἐπὶ πικρίδων, quas aliqui endiviam esse putaverunt, alii cichoriam.

9. *Crudum.* Non planè assum.

Sed tantùm assum igni. Quia citiùs assatur caro, quàm elixetur. Hebræis autem festinandum erat. Potissima ratio videtur petenda a mysterio; nam agnus Christus sacrificabatur amoris igne assatus.

Caput cum pedibus. Id exprimit Deus, quia caput, intestina, et pedes, ut pote ossea et cartilaginosa, vulgo assari non solent.

10. *Usque mane.* Quia festini summo mane discedetis. Ne ergo a profanis profanè comedi contingat, planè absumite.

11. *Renes vestros accingetis.* Omnia hæc festinationem indicant, suntque viatorum ad iter longum et laboriosum se accingentium. Eòdem spectat cæremonia baculorum, qui manu tenendi, et calceorum, qui in pedibus habendi erant.

Est enim Phase. Phase transitum, sive transultum significat, angeli nimirum, qui domos Hebræorum transiliebat, et relinquebat intactas, dum Ægyptiorum primogenitos percuteret: jubentur ergo Hebræi comedere festinanter, quia est Phase, hoc est, quia hic esus agni significat celerem et properum transitum angeli ad feriendos Ægyptios. * Vel sensus est, quia festinanter transeundum et abeundum vobis est.

12. *In cunctis diis Ægypti faciam judicia.* LXX, *faciam ultionem*, ea dejiciendo et comminuendo; quod aliqui auctores affirmant.

13. *Erit autem sanguis vobis in signum.* Quo viso, angelus vobis parcat. Per hunc ritum implicitè profitebantur Hebræi se liberandos ab æterna morte per Messiæ sanguinem.

14. *In monimentum.* Tanti nimirum beneficii.

In generationibus. Ætatibus, posteritate.

Cultu. Hebr. *statuto.*

Sempiterno. Quamdiu scilicet lex duraverit.

15. *Peribit.* Vide Num. c. 19: morietur, occidetur.

16. *Atque solemnis.* Hebr. *convocatio;* solebat enim in solemnitatibus populus convocari.

17. *Azyma.* Panem sinè fermento in signum liberationis ab amaritudine spiritûs.

19. *Tam de advenis.* Per advenas intellige proselytos; est enim in hebr. גר *ger*, qua voce Hebr. tam peregrinum, quàm proselytum significant.

22. *Fasciculumque hyssopi.* Hebræum אזוב *ezob*, quod hìc habetur, alii hyssopum, alii origanum, alii rosmarinum interpretantur.

In limine. Verti etiam posset in vase, vel in pelvi. LXX habent, *apud januam.*

23. *Percussorem.* Aliqui bonum, aliqui malum angelum fuisse hunc percussorem existimant. * Utrumque probabile, nihil certum.

* 26. *Filii vestri.* Anno 12 filii a parentibus ad templum ducebantur, ut colligitur ex Lucæ c. 2. 42; et ab eo tempore incipiebant de Paschate et aliis sacris vesci. Favent quæ habentur infra, c. 13. 8. Hircanus apud Josephum l. 12. c. 4: *Lex est filium prohibens vesci immolatis, priusquam ad templum sacrificii causâ venerit.*

29. *A primogenito Pharaonis.* Primogeniti dicuntur omnes qui primò nati erant ex suis parentibus, sive filios haberent, sive non. Itaque paterfamilias primogenitus cæsus est, et cum illo filius etiam primogenitus, si filium habebat; nec in una domo semper unum tantùm funus fuit. Pharao, qui hanc cladem evasit, vel primogenitus non fuit, vel a Deo reservatus, ut hujus plagæ particeps in suis, tandem cum exercitu fluctibus hauriretur.

Quæ erat in carcere. In pistrino, in ergastulo, in loco labori servili destinato.

30. *Surrexitque Pharao.* Videtur Pharao Mosen adiisse, quod etiam clariùs significant hebræa; vel ergo adiit per se, vel saltem per nuntios.

32. *Benedicite mihi.* Orate pro me, ut vertit chaldæus.

33. *Urgebantque Ægyptii.* Timore ex tanta strage percussi.

34. *Conspersam farinam.* Pastam.

Ligans in palliis. In linteis aut sindonibus.

36. *Dedit gratiam.* Deus corda Ægyptiorum inflexit, ut non timore aliquo inducti, sed sponte ac liberaliter vasa commodarent.

Spoliaverunt Ægyptios. Spolium justum, quia Dei jussu factum. Nec mentiti Hebræi, cùm petierunt commodatò, animo non restituendi; nam hæc consistere possunt, ut scilicet quis commodati contractum ineat, et simul restituendi animum habeat tantùm conditionatum, si tenebor restituere; aut nisi alio titulo res mea fiat.

37. *De Ramesse.* Hebræi ex Ægypto tendentes in Chanaan 42 stationes habuerunt, sive mansiones in deserto. Prima fuit in Ramesse; illuc enim ex tota Ægypto convenerunt Hebræi exituri.

In Socoth. Secunda mansio fuit in Socoth, quæ sita erat inter mare Rubrum et Ægyptum tunc cultam; nam omnia ab Ægypto usque ad mare Rubrum olim pertinuisse videntur ad Ægyptum, licèt inculta essent et deserta. Dicta est Socoth, id est, *tabernacula*, quòd prima ibi Hebræi exeuntes de Ægypto fixerint tabernacula, ut docet S. Hieronymus ad Fabiol.

Sexcenta fere millia peditum. Non numerantur qui vigesimum ætatis annum non expleverant, nec mulieres, nec senes, nec vulgus Ægyptiorum, qui Hebræis adhæserant, quos omnes aliqui putant attigisse tricies centena hominum millia, vel, ut loqui solemus, tres milliones. * Minus mirabitur 215 annis sic auctam Jacobi progeniem, qui legerit id quod de fecunditate ægyptiarum mulierum tradit Aristoteles l. 7 de Hist. animal. c. 4.

Absque parvulis. LXX, *præter supellectilem*, non tantùm motam, sed se moventem, parvulos, mulieres, etc. inquit S. August. q. 47.

39. *Dudum..... conspersam.* Nam plusquàm uno die integro conspersa fuerat, nec fermentata.

Pulmenti. Obsonii, v. g., carnis, piscis, oleris.

40. *Quadringentorum triginta annorum.* Si numerare incipiamus ab anno 75 Abrahami, quo anno Abraham evocatus a Deo cœpit ab Haran peregrinari versùs terram Chanaan. Dicitur autem habitatio fuisse 430 annorum, quia media hujus temporis parte in Ægypto fuerunt, hoc est, 215 annis, quæ etiam pars potior fuit, et magnis calamitatibus Hebræorum insignis.

41. *Eadem die.* Paschæ scilicet.

42. *Nox ista est observabilis Domini.* Hebr. *nox custodiarum ;* quam scilicet omnes custodire, observare et celebrare debent.

43. *Dixitque Dominus.* Aliquanto tempore post egressum.

Hæc est religio. Hic est ritus Phase.

Omnis alienigena. Qui est alterius gentis, qui non est Hebræus.

Non comedet ex eo. Nisi per circumcisionem proselytus fiat, et vobis adjungatur.

44. *Servus emptitius circumcidetur.* Omnino jubentur circumcidi, ita ut non sit illis liberum incircumcisis manere ut advenis, etc., de quibus statim. * Optabat enim Dominus Hebræos non alios emere servos, quàm eos qui sacra judaica suscipere vellent, et circumcidi. Ita Abulens. et alii.

45. *Advena.* Gentilis, v. g., mercator qui inter vos commoratur.

Mercenarius. Famulus, vel operarius, qui operas suas vobis locat : hi enim non coguntur circumcidi : non tamen Phase comedent, nisi circumcisionem admittant.

46. *Nec efferetis de carnibus ejus foras.* Itaque pars aliqua ad eos, qui in aliis domibus versabantur, mitti non poterat.

Nec os illius confringetis. Ossa agni confringi non debebant, quod etiam in Christo servatum est, Joan. 19. 36, qui agno hoc significabatur.

47. *Faciet illud.* Id est, sacrificabit.

48. *In vestram voluerit transire coloniam.* Fieri proselytus, ut habent LXX.

CAPUT XIII.

Jubet Deus sibi offerri primogenita hominum et pecorum. Deus per viam deserti educit Hebræos, qui secum deferunt ossa Joseph. Describitur columna ignis et nubis, quæ fuit dux itineris.

2. *SANCTIFICA mihi omne primogenitum.* Hebræorum primogenita servaverat Deus; meritò ergo sibi jubet sanctificari, hoc est, a communi usu separari, ut ipsi dedicentur et offerantur, * ut templo serviant.

Quod aperit vulvam. Quod principium est materiæ generationis : huc spectat illud Luc. 2. 23 : *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabi-*

tur; itaque hac lege non comprehendebatur proles femella, nec proles ex vidua, quæ ante peperisset. Qui tamen plures habebat uxores, debebat singularum uxorum primum fœtum, si masculus esset, Deo consecrare.

In filiis. Inter filios.

Mea sunt. Non solùm creationis titulo, sed etiam quia primogenita tua a communi strage Ægyptiorum exemi.

4. *Mense novarum frugum.* Mense nisan, qui, ut dictum est, partim martio, partim aprili respondet.

5. *Cùmque introduxerit.* Ex hoc patet legem comedendi Phase et azyma, ut et præcedentem de primogenitis, non obligasse Hebræos totis 40 annis quibus in deserto vagati sunt.

9. *Quasi signum in manu tua.* Judæi, ut huic præcepto satisfacerent, legem decalogi membranulis inscriptam brachio, fronti, fimbriis, aut ostiis domûs affigebant; et hæc sunt phylacteria quæ carpit Christus, Matth. 23. 5. *Præcepta*, inquit S. Hier. in c. 23. Matth. citatum, *erunt in manu tua ut compleantur : erunt ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis.*

10. *A diebus in dies.* Id est, ab anno in annum, quasi dicat, certa annorum et continua serie. Hebræum enim ימים *jamim*, id est, dies, in plurali significat annum.

11. *Chananæi.* Sub quo cæteras intelligit gentes in terra promissa habitantes; harum enim omnium pater fuit Chanaan. Genes. 10. 5.

12. *In pecoribus tuis.* Pecora hìc sunt, quæ pastum et cibum præbent, utì sunt oves, capræ, boves.

13. *Primogenitum asini.* Id est, asinæ; hujus enim aperitur vulva, et asinus tam mas est, quàm femina. Unde agno paschali additur vox *masculus*, sup. c. 12. 5. * Quod dicitur, *mutabis ove*, intellige agno, vel hœdo.

Si non redemeris, interficies. Si vilior sit primogenitus asini, quàm ut illum ove redimere velis, tunc non immolabis, sed præcisa cervice occides : hoc enim significat verbum hebræum ערף *araph*, et græcum νωτοκοπήσεις.

Omne autem primogenitum hominis...redimes. Ut hæc redemptio refricaret memoriam redemptionis primogenitorum, cùm a gladio angeli subducta sunt : et quia solos levitas suo tabernaculo et cultui destinaverat.

14. *Cras.* Futuris temporibus. * Vide Matth. 6. 34.

15. *Usque ad primogenitum jumentorum.* Omnia primogenita etiam jumentorum, puta equorum, asinorum, camelorum, cæsa sunt in Ægypto; in hujus tamen rei

memoriam Deus non jumentorum omnium, sed pecorum tantùm (ut dictum est n. 12) primogenita sibi ab Hebræis offerri voluit.

16. *Quasi appensum quid.* Alii vertunt *frontale*, quod Judæi crassè accipiunt de scheda in fronte pendente, cui decalogus inscriptus sit; quomodo hæc intelligenda sint diximus n. 9. ex D. Hier.

17. *Per viam terræ Philisthiim.* Hoc iter a Chanaan in Ægyptum per Philisthinos communiter dicitur esse decem dierum. Philo ait esse trium dierum.

Si vidisset adversum se bella consurgere. Etiam aliâ viâ pugnandum fuit cum Amalec, cap. 17; sed illud prælium fuit unicum, et quadragesimo die ab exitu de Ægypto initum, et divino auxilio facilè confectum; si autem transissent Hebræi per Philisthinos, statim et assiduè eis pugnandum fuisset cum hostibus bellicosissimis; tales enim erant Philisthini.

18. *Armati.* Honestiores jam ante arma domi suæ habuerunt, alii præmoniti ante egressum sibi compararunt, et commodari sibi ab Ægyptiis postularunt, ut se a feris tuerentur in deserto, et ab hostibus etiam, si aliqui in ipsos insurgerent; nam eos habuisse arma patet ex bello quod paulò post cum Amalecitis gesserunt.

19. *Ossa Joseph.* Verisimile est etiam hoc tempore aliorum patriarcharum fratrum Joseph translata, nam ex cap. 7. Act. num. 16, constat eos translatos fuisse in Palæstinam et sepultos in Sichem.

In Etham. Etham situs erat in ultima solitudine vicina mari Rubro et montibus prærupta : unde etiam nomen videtur invenisse. Etham enim hebr. *fortem*, indeque asperum et præruptum significat.

21. *Columna nubis.* Quæ ab angelo mota signum itineris erat Hebræis, nec tantùm hæc columna quà eundum esset monstrabat; sed etiam Hebræorum castra inumbrabat, et æstum defendebat, quod etiam habemus Num. 10. 34: *Nubes quoque Domini super eos erat per diem cùm incederent.* LXX vertunt, *nubes Domini fuit obumbrans* (σκιάζουσα) *super eos.* Porro hæc columna nubis, quæ per diem Israelitarum iter regebat, idem noctu præstabat officium, sed specie ignis, ut faciliùs cerneretur.

CAPUT

CAPUT XIV.

Pharao Israelem persequens, et mare per siccum post illum ingrediens, cum universo equitatu et curribus submergitur.

2. *E regione Phihahiroth*. Quarta hæc est Hebræorum statio. LXX vertunt, *e regione suburbii*, vel *villæ*. Vox hebraica significat, *os foraminum;* erat quippe ingressus inter montes, qui erant ab utroque latere. Posset etiam verti, *os siccitatum*, quòd illac a mari Rubro esset aditus, quà ibatur ad solitudinem Etham, siccam nempe et aridam.

Magdalum. Quod hebraicè *turrim* sonat. Fortasse fuit arx monti imposita.

Beelsephon. Hebraicè idem est quod, *Dominus speculæ*, quæ nominis interpretatio ostendit loca illa edita fuisse et prærupta. * Aliqui dicunt Beelsephon idolum fuisse finibus custodiendis, et ad impediendam fugam e regno; ideoque nominatur, ut appareat quàm nihil contra Israelitas potuerit. Romani putabant virginum vestalium precibus servorum fugam inhiberi, si tamen urbe nondum pedem extulissent. Rosinus, l. 3. cap. 19. ex Plinio.

Super mare. Juxta vel versùs mare.

3. *Super filiis Israel*. De filiis Israel.

Coarctati. In illis locorum angustiis, animis etiam pendentes et anxii.

4. *Glorificabor in Pharaone*. Mergens eum aquis maris; tunc enim apparebit mea potentia et justitia.

Scientque Ægyptii. Suo, suorumque malo docti tandem intelligent.

5. *Immutatumque est cor*. Voluntas, sententia.

7. *Sexcentos currus*. Olim curribus falcatis, et in curribus depugnabant: currus enim suis falcibus demetebant homines et equos; milites verò de illis bellantes ferebantur in hostem.

Duces totius exercitûs. LXX vertunt, τριστάτας. S. Greg. Nyss. in cant. Mosis, et græcus scholiastes aiunt antiquos magnos fecisse currus, qui tres caperent, quorum unus erat auriga, duo reliqui milites, et hos *tristatas* dictos volunt. Alii putant fuisse milites fortissimos, quorum scilicet unusquisque contra tres stare posset. Alii vertunt, *triarios*. Probabile fortes illos milites in alios præfecturam exercuisse; quod indicat vulgatus interpres.

10. *Timuerunt valde.* Non enim erant armis assueti et bello, sed oneribus et jugo.

Clamaveruntque ad Dominum. Orantes an expostulantes? hoc videntur suadere quæ sequuntur.

13. *Nolite timere.* Molliter et blandè respondet Moses vir mitissimus.

Magnalia. Hebr. *salutem.*

15. *Et vos tacebitis.* Vos quiescetis, otiosè et jucundè hanc Dei pro vobis pugnam et prælium spectando.

15. *Quid clamas ad me?* *Clamor* (inquit D. Bern. serm. 15. in Psalm. 90) *in Dei auribus est desiderium vehemens.* Hujusmodi fuerat Mosis clamor, licèt Scriptura non exprimat. Proinde eum exaudiens ait Deus: *Quid clamas ad me?* non reprehendens, sed se adesse ostendens, et ad futurum miraculum excitans et præparans.

16. *In medio mari.* Per ipsum mare altum, et vastum: medium ergo hìc non præcisè medium significat: sic ille ait: *Mediis sitiemus in undis.*

17. *Ut persequantur vos.* Adimam illis timorem, ut audacter in alveum maris se immittere non vereantur, ut vos assequantur.

19. *Angelus Dei.* In columna nubis delitescens.

20. *Tenebrosa, et illuminans.* Illuminabat Hebræos; Ægyptiis tenebras offundebat. * Migrarat angelus nubem regens ad ultimam Hebræorum aciem, et qua parte præcedentes Hebræos respiciebat nubes, erat lucida; qua verò subsequentes Ægyptios, tenebrosa. Hujus lucis beneficio iter suum Hebræi prosequebantur per mare Rubrum transeuntes.

21. *Vehementi et urente.* Vide supra, cap. 10. n. 13. Ventus tantùm immissus est ad alveum maris lutosum exsiccandum: nam divisio et suspensio aquarum angeli ministerio facta est. Oportet admodum latam fuisse viam, per quam tres hominum milliones unius noctis spatio transierunt.

Tota nocte. Nimirum usque ad ingressum Hebræorum in mare.

Divisaque est aqua. Quia in Ps. 133. 13, dicitur: *Qui divisit mare Rubrum in divisiones*, tradunt Hebræi tot fuisse in mari vias, quot erant tribus Israel. Sed incerta traditio, et eo loco psalmi vox, *divisiones*, significat duo latera maris divisi, inter quæ via patebat Hebræis.

22. *Sicci maris.* Quantùm satis erat ad commodè transeundum; itaque Sap. 19. 7., dicitur: *In mari Rubro*

via sinè impedimento. * Hoc maris spatium trium leucarum esse docet Adrichomius et alii.

24. *Vigilia matutina.* Dividebant tam Romani quàm Hebræi unamquamque noctem in quatuor partes æquales, quarum singulæ erant ternarum horarum, æquè ab excubiis militaribus, quæ nocte quater mutari erant solitæ, vocabantur vigiliæ, eædemque ordine vigilia prima, vigilia secunda, etc., censebantur. Erat ergo vigilia matutina quarta, et ultima noctis vigilia, sub auroram et diluculum.

Respiciens Dominus. Angelus Deum referens, qui latebat in columna ignis.

Interfecit exercitum. Partem exercitûs : est synecdoche; nam alia pars hac cœlesti suorum strage territa, dum fugam parat, ab aquis recurrentibus absorpta est.

25. *Ferebanturque in profundum.* Currus enim priùs elati per rotas, jam rotis excussis simul cum rotis deprimebantur in profundum.

27. *Reversum est primo diluculo ad priorem locum.* Hebr. *ad fortitudinem suam*, ad suum vigorem, ut scilicet, sicut priùs, aquæ tumescerent, et fluctus agerent.

31. *Manum magnam.* Ingentem cladem quam potenti sua dextera Dominus patraverat.

CAPUT XV.

Israelitæ gratiis Deo cum cantu peractis venerunt in Mara, ubì amaritudine aquarum versa in dulcedinem, perveniunt in Elim.

1. CARMEN *hoc.* Quo genere carminis conscriptum sit hoc canticum ignoratur. Josephus versus hexametros fuisse affirmat.

Cantemus. Hebr. *cantabo;* nam Moses hoc carmen Spiritu sancto suggerente composuit, nomine suo, et suorum.

Equum et ascensorem. Equum et equitem, ac præcipuè Pharaonem.

2. *Fortitudo mea.* Quasi dicat : Non nostræ fortitudini, sed divinæ hanc victoriam adscribimus.

Laus mea. Argumentum et materia laudis meæ.

Factus est mihi in salutem. Factus est mihi salvator.

Iste Deus meus. Quasi dicat : Hic Deus, qui nos salvavit in mari Rubro, Deus verus est, et fortis; nam in

hebræo est אל *el*, quæ vox Deum fortem significat. Cæteri dii infirmi sunt, et dii non sunt.

Glorificabo eum. Chaldæus vertit, *ædificabo ei sanctuarium* : Cajetanus, *habitabo eum*, hoc est, habitaculum ei excitabo, Vatablus, *decorabo eum.*

Exaltabo eum. Eum altissimum palam confitebor, et quantùm potero prædicabo.

3. *Dominus quasi vir pugnator.* Hebr. *vir belli.* LXX, *Deus conterens bella.*

4. *Projecit in mare.* Hebr. *ejaculatus est*, quasi dicat : ea facilitate qua sagittarius sagittam emittit.

5. *Abyssi.* Aquarum voragines.

6. *Magnificata est.* Palam facta est potentia et virtus tua magna.

7. *Gloriæ tuæ.* Fortitudinis, qua gloriam consecutus es. Ornatûs et poeseos causâ vario schemate idem effert.

Deposuisti. Hebr. *subvertisti, dissipasti.*

Iram tuam. Pœnas ac supplicia quæ justæ iræ tuæ sunt effectus.

8. *In spiritu furoris tui.* In indignatione et furore tuo ; sic Psal. 138. 7, dicitur : *Quò ibo a spiritu tuo*, et Is. 30. 28 : *Spiritus ejus velut torrens inundans.*

Congregatæ sunt aquæ. Hinc et inde, ut transitus Hebræis pateret.

Stetit unda fluens. In hebræo additur, *sicut acervus ;* unde Ps. 77. 13, dicitur : *Statuit aquas quasi in utre.*

Congregatæ. Hebr. *coagulatæ.* Idem LXX, ἐπάγη τὰ κύματα, *compacti sunt fluctus.*

9. *Implebitur anima mea.* Desiderium meum saturabitur.

10. *Flavit spiritus tuus.* Potentia ultionis tuæ.

11. *Quis similis tui in fortibus, Domine?* LXX, *quis similis tuî in diis, Domine?* אל *el*, Deum fortem significat, inde *elim*, *dii fortes*, dii qui falsò fortes habentur.

Terribilis atque laudabilis. Hebr. *terribilis laudibus*, quia scilicet omni præconio major, non mortales modò, sed etiam angeli ejus laudes exsequi formidant, cùm sciant se non posse pro merito laudare.

12. *Devoravit eos terra.* Alveus maris.

13. *Populo quem redemisti.* Ex Ægypti servitute.

Et portasti eum. Hoc propheticè dicitur : sensus est, et portabis ad terram Chanaan, quam habitaculum sanctum vocat, quia in ea Abraham, Isaac, Jacob viri sancti habitarunt ; quia in ea futurum templum, et in ea nasciturus et versaturus Christus, B. Virgo, apostoli, etc.

14. *Ascenderunt populi, et irati sunt.* Hebr. *audierunt populi.* Audierunt, consultarunt, ascenderunt, sive egressi sunt contra Hebræos, ut eos prohiberent aditu Chananææ. Dicuntur hæc spiritu prophetico.

15. *Obriguerunt.* Similes stupentibus facti sunt præ timore.

16. *Fiant immobiles.* Hebr. *sileant ut lapides.* Mosis votum superavit Deus; nam eos Hebræi non modò vicerunt, sed etiam pene ad internecionem ceciderunt.

Donec pertranseat populus tuus. In terram promissam Chanaan.

17. *Introduces eos, et plantabis.* Ut stabilem, firmam, et naturalem instar plantarum et arborum, fixis radicibus sedem obtineant.

In monte hæreditatis tuæ. Monte Sion, in quo ædificandum templum, quod futurum erat domus et hæreditas Dei.

18. *Æternum, et ultra.* Æternum sæpe vocatur seculum longissimum, cujus finis et terminus non videtur, etiamsi ipsum verè et propriè æternum non sit; hoc enim significat hebræum verbum עלם *olam.* Itaque quando absolutam æternitatem significare volunt, addunt particulam *et ultra.* Possumus etiam dicere esse hyperbolem, cujus sententia sit: Dominus regnabit, et regnet in æternum et ultra, si aliquis ulterior terminus, qui æternitate non comprehendatur, statui possit.

20. *Prophetissa.* Vel quia cum ea Deus collocutus, Num. 12. 2, vel quia doctrix et magistra, vel quia præcentrix.

Soror Aaron. Dicitur potiùs soror Aaron quàm Mosis, quia Aaron Mose erat senior, et proximè post Mariam natus. Hinc Greg. Nyss. l. de Virg. c. 6, Mariam fuisse virginem docet, alioqui potiùs a marito quàm a fratre agnominaretur. Adde quòd nusquam Scriptura mariti ejus aut liberorum meminit. Idem docet S. Ambros. et alii. * Hanc tamen opinionem alii parùm certitudinis habere putant. Vide Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 6. sect. 3; et Barradium, tom. 1. lib. 7. cap. 8. Adde Josephi auctoritatem, qui lib. 3 Antiquit. cap. 2, Hur ejus maritum facit.

Tympanis. Tympanum (inquit Isidorus lib. 2. Orig. cap. 21) *est pellis, vel corium ligno ex una parte extensum.* Dicitur ἀπὸ τοῦ τύπτειν, quòd ad manus, aut bacilli pulsum resonet.

Et choris. Chorus non est nomen musici instrumenti, quamvis ita aliqui senserint; sed chorus est multitudo

canentium, vel saltantium. Mos fuit apud Hebræos ut mulieres et puellæ in Dei laudem vel hominum canerent et saltarent; sic Ps. 67. 26: *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum.*

21. *Quibus præcinebat.* Hebr. est, *et respondebat illis*, Maria scilicet et mulierum chorus, Mosi et virorum choro. Mulieres vel eosdem versus, quos cecinerant viri, repetebant, vel primum illum versum, *cantemus Domino, etc.*, tanquam intercalarem. Alii putant seorsim a viris feminas totum illud canticum percurrisse.

22. *Tulit .... Israel de mari Rubro.* Castra movit, profectus est, Israelitas abduxit.

Desertum Sur. Quod alio nomine vocatur Etham Num. 33. 6.

23. *Venerunt in Mara.* Hæc est quinta mansio in deserto. Mara dicitur ab aquarum amaritudine, et est prolepsis: nam ita postea hic locus dictus est a Mose, postquam aquas illas gustavit.

25. *Ostendit ei lignum.* Nomen ligni Scriptura non exprimit, dulces tamen aquas reddebat naturali facultate, non miraculo. * Vide Valesium de sacra Philosophia, cap. 15.

Ibi constituit ei præcepta atque judicia. Deus dedit Israeli, dum esset in Mara, aliquas leges cæremoniales et judiciales.

Ibi tentavit eum. Populum Israel tentavit Deus, leges jam dictas sanciendo, quibus obedientiam populi experiri statuerat.

26. *Cunctum languorem.* Ex ulceribus, siti, peste, aliisque plagis ægyptiacis manantem.

Dominus sanator tuus. Hebr. *ego medicus tuus.*

27. *Venerunt autem in Elim.* Sextam mansionem.

CAPUT XVI.

Murmurantibus in Sin pro cibo Israelitis pluit Dominus coturnices et manna ad saturitatem. Jussio Domini de eo colligendo, et in monimentum posterorum reponendo.

1. *In desertum Sin.* Octava mansio. Septima, quæ fuit ad mare Rubrum, cujus mentio Num. 33. 10, omittitur hic, quia nihil peculiare in ea contigit. Desertum Sin est inter mare Rubrum et montem Sinai, et est diversum a deserto Sin, quod et Cades dicitur, de quo Num. 20. 1, et diverso modo scribitur.

Quintodecimo die mensis. Hoc est, trigesimo die ab egressu de Ægypto.

2. *Murmuravit omnis congregatio*. Cùm jam farina subacta, quam ex Ægypto tulerant, deficeret.

3. *Utinam mortui essemus per manum Domini!* Morte scilicet a Domino irrogata, sive naturaliter, sive violenter.

Super ollas carnium. Alii vertunt, *juxta ollas;* sed noster interpres meliùs voracem ingluviem crassæ plebis ollis incubantis expressit.

4. *Panes*. Manna, ex quo contuso tortulas panis faciebant, ut patet N. 11. 8; pro carne verò et oleribus dedit eis coturnices n. 8. et 13.

Ut tentem eum. Deus est scrutator cordium, et omnia novit; tentat ergo, non ut ipse, sed ut alii cognoscant.

5. *Die autem sexto*. Die veneris parent quod inferant, id est, condant partem mannæ in tabernaculis suis, qua vescantur sequenti die sabbati, quo die a labore colligendi, molendi et coquendi manna cessandum est. Hinc feria sexta dicta est Parasceve a præparatione ciborum, quæ illo die fiebat pro sabbato.

6. *Vespere scietis* .... 7. *Et manè*. Quia vespere dabit vobis Dominus coturnices, et manè manna, ut patet num. 12 et 13, per quod agnoscetis Dei gloriam, id est, gloriosam potentiam et providentiam. Sanè ignorare non poterant Deum fuisse auctorem exitûs de Ægypto, sed perturbationibus acti erumpebant in murmur contra Mosen et Aaron. Additur ergo beneficium coturnicum et mannæ, quod etiam eis esse posset in argumentum quòd ex Ægypto egredientes secuti essent Dominum.

9. *Accedite coram Domino*. Ad columnam nubis, in qua Dei præsentia se exhibebat; nondum enim fabricatum erat tabernaculum, * ut patet ex cap. 36 et sequentibus hujus libri. Vel certè ante tabernaculum illud congregati sunt, quod priusquam aliud a Deo jussum conderetur erat in castris, ut patet ex cap. 33. 7, ad quod religionis et orationis causâ accedebant.

10. *Respexerunt ad solitudinem*. Extra castra.

Gloria Domini apparuit. Splendor, et augustum radiansque jubar, quo se quasi spectandam per angelum exhibebat majestas divina.

11. *Locutus est autem Dominus ad Moysen*. Solum, nam Aarone populum alloquente, Moses ad columnam nubis oraturus accesserat.

12. *Comedetis carnes.* Coturnices.

Saturabimini panibus. Manna.

13. *Et ascendens coturnix.* Advolavit, agente illam vento, ut dicitur psalm. 77. 26 et 27. Manna datum per 40 annos, coturnices hoc tantùm vespere, quanquam licuit colligere, et asservare in proximos dies. Postea iterum datæ coturnices ad sepulcra Concupiscentiæ, Num. 11. 31.* Græci habent, ὀρτυγομήτρα, *ortygometra.* Rabbini Salomon et Kimchi dixerunt, *avem pinguem.*

Manè quoque ros jacuit. Tota planities strata fuit, et cooperta rore; ros hic erat manna, quia rori conglaciato in modum pruinæ, et crystallinæ guttæ in coriandri seminis formam conglobatæ, erat simile.

14. *Apparuit in solitudine.* Non videtur cecidisse manna in castris, quia sordida, nec ex illis commodè colligi potuisset.

Et quasi pilo tusum. Manna erat album, tritici instar, cui pili tunsione cortex detractus est.

15. *Dixerunt: Manhu?* Hinc mannæ nomen factum.

16. *Gomor.* Est mensura quæ ad hominis victum per unum diem satis est : respondet chænici Græcorum.

17. *Collegerunt, alius plùs, alius minùs.* Unusquisque prout illi promptum erat, vase aliquo sive majore, sive minore, colligebat manna, quod domum relatum mensuram unius gomor implebat, sive plùs, sive minùs collectum fuisset. Eadem mensura viro et puero, valido et infirmiori, qui minùs cibi desiderabat, sufficiebat; quæ omnia divino miraculo contingebant.

19. *Nullus relinquat ex eo in mane.* Ita præceptum ad incredulam et importunam eorum cohibendam providentiam, qui in diem sequentem sibi parare cibum voluissent.

20. *Scatere cœpit vermibus.* Quod miraculo non caruit: neque enim ea erat mannæ natura, ut servari non posset ultra unum diem : nam quod colligebant feriâ sextâ erat illis usui sabbato.

21. *Colligebant autem manè singuli.* Ita a Domino præceptum. Quid hoc significaretur docet liber Sapientiæ, cap 16. 28 : *Ut notum omnibus esset*, inquit, *quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam* (ad te benedicendum et adorandum), *et ad ortum lucis te adorare.*

Cùmque incaluisset sol, liquefiebat. Voluit Dominus liquescere manna in agro, ne cœlestis ille cibus manens in terra putresceret, aut calcaretur, atque ita dehonestaretur et vilipenderetur.

22. *Et narraverunt Moysi.* Ut ex eo cognoscerent quorsum hoc eis fuisset jussum : neque enim adhuc Dominus declaraverat se ob sabbati religionem id præscripsisse, quod statim Moses explicat.

31. *Quasi semen coriandri album.* Non est sensus fuisse manna album ut semen coriandri (nam semen hoc nigrum est), sed sententia est manna fuisse album, et figurâ et quantitate simile semini coriandri. In hoc enim tantùm valet similitudo.

Gustusque ejus quasi similæ cum melle. Hic sapor ipsi mannæ erat quasi congenitus et naturalis; et ita sapiebat, ut comedens nullum alium cibum desideraret; si enim ipse aliud quid desideraret, mox id manna sapiebat; quod disertè dicitur in libr. Sapientiæ cap. 16, num. 20. Idque non tantùm piis, ut quidam tradunt, sed etiam impiis accidebat; quæ verior est sententia.

33. *Coram Domino.* Coram tabernaculo et arca, cùm fuerint ædificata.

34. *Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum.* Hoc dicitur per prolepsim; nam post tabernaculum factum est, et in eo asservatum manna.

CAPUT XVII.

In siti murmurat populus, quare Moses petram percutiens in Raphidim ex ea aquas elicit. Amalecitæ invadunt Hebræos, sed cædit eos Josue orante Mose.

1. PER *mansiones suas.* Per stationes quas omnes enumerare Mosi animus non fuit.

In Raphidim. Undecima hæc mansio fuit juxta montem Sinai, in qua petra dedit aquas, et victus est Amalec. Hic locus dictus quoque est *Massa*, id est, tentatio, ex tentatione et murmure Hebræorum, num. 7.

2. *Cur tentatis Dominum?* Miraculo enim discere volebant an adesset illis Dominus, dicebant enim Mosi : *Estne Dominus in nobis, an non?* ut patet num. 7.

5. *Qua percussisti fluvium.* Nilum per manus Aaronis, c. 7. num. 20. Alii per fluvium intelligunt mare Rubrum. Sanè Homerus mare alicubi flumen vocat Odyss. in initio, αὐτὰρ ἐπέι ποταμοῖο λίπεν ῥόον ὠκεανοῖο, etc., * ut etiam Scriptura Jonæ c. 2. num. 4.

6. *Ego stabo.... supra petram Horeb.* Stabo in columna nubis, quam defigam supra petram Horeb, et ex ea aquam educam. Horeb est Sinai. Erat ergo petra in deserto Sinai, vicinior tamen Raphidim quàm monti Sinai.

7. *Vocavit nomen loci illius, Tentatio.* Hebr. *tentatio et contentio*, sive *jurgium*.

8. *Amalec.* Amalecitæ, qui ex Esau prognati, odium parentis fovebant contra Israelitas Jacobi filios.

11. *Cùmque levaret Moyses manus, vincebat Israel.* Hoc symbolo significabat Deus victoriam Domino adscribendam, non imbelli turbæ Hebræorum. Moses extensis brachiis typus fuit Christi crucifixi.* Probabile videtur in hoc prælio aliquot ex Hebræis desideratos fuisse, quamvis hoc negat Josephus, cùm dicatur in sacro textu, Mose manus remittente, Amalec Hebræos superasse.

12. *Manus autem Moysi erant graves.* Jam enim senescebat, et diuturna extensione in altum magis gravabantur.

13. *Fugavitque Josue Amalec.* Hebr. significat debilitavit, dejecit, prostravit, profligavit.

In ore gladii. In acie gladii : unde gladius biceps dicitur δίςομος, quasi habens duo ora quibus vulneratos absumat.

14. *Scribe hoc ob monimentum.* Scribe in chronicis, in annalibus.

Et trade auribus Josue. Indica Josue, ut ipse sequentibus se populi ducibus et judicibus, et illi aliis deinceps Dei decretum quasi per manus tradant de peragenda vindicta et delendo Amalec.

Delebo enim memoriam Amalec sub cœlo. Tulit Deus tam severam sententiam in Amalecitas, eò quòd tam immani bello apetiissent innoxios et vacillantes Hebræos, et a Dei ductu in Chanaan, quantùm in ipsis erat, absterruissent, quòdque, ut dicitur Deut. 25. 18, extremos agminis lassos, et fame laboreque confectos cecidissent.

15. *Vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.* Ex hebræo etiam verti potest, *Dominus vexillum meum ;* quasi diceret, Dominus dux meus, et vexillum meum, ipsum secutus victoriam reportavi. Verti etiam potest, *Dominus miraculum meum*, quia in meî et populi hujus gratiam tot miracula patravit.

16. *Quia manus solii Domini.* Chaldæus hujus loci sensum clarè exprêssit sua paraphrasi : *Cum juramento dictum est hoc a facie terribilis, cujus majestas est super solium gloriæ, ut committatur prœlium a facie Domini contra viros domûs Amalec, ut consumat eos a generationibus seculi.* In hebræo est, *quia manus super solium Domini est*, manus scilicet Domini jurantis per solium suum bellum fore perpetuum contra Amalecitas.

CAPUT XVIII.

Jethro socer Mosis uxorem Sephoram cum filiis ad eum reducit, ejusque monitu Moses cum aliis partitur populi regimen, creatque magistratus et judices qui minoris momenti causas dijudicent.

1. JETHRO, *sacerdos Madian.* Vide dicta cap. 2. n. 16.

Cognatus Moysi. Socer Mosis.

2. *Uxorem Moysi quam remiserat.* Moses cum Pharaone decertaturus, tantam, tamque periculosam negotiorum molem susceperat, ut uxori et liberis vacare non posset; itaque eam sibi a Pharaone timentem, libentem et volentem, cum filiis remisit in Madian.

5. *Juxta montem Dei.* Horeb, sive Sinai, ut patet c. 3. 1.

7. *Adoravit.* Reverentiam more gentis exhibuit.

Salutaveruntque se mutuò verbis pacificis. Hebr. *rogarunt de pace*, vel *an pax*, hoc est, an salva et prospera essent omnia; hoc enim significat Hebræorum salutatio, *Pax tecum.*

9. *Lætatusque est.* LXX, ἐξέστη, *obstupuit*, quasi in ecstasim raptus est.

11. *Nunc cognovi.* Clariùs scilicet quàm antea. Ideoque gentium diis neglectis vero Deo adhæreo. Hanc fidem et pietatem Jethro in posteros propagavit; ab eo enim orti sunt Rechabitæ, ut patet. 1. Paral. 2. 55, quos ab abstinentia et obedientia laudat Jeremias cap. 35.

Eò quòd superbè egerint contra illos. Est ellipsis, hoc est, ratio imperfecta. Sensus est Deum malis mulctasse Ægyptios, quòd superbè Hebræos tractassent, et injustè vexassent.

12. *Obtulit.* Vero Deo, non, ut ante, idolis.

Ut comederent panem cum eo coram Deo. Hostiæ Deo dicatæ, et in gratiarum actionem oblatæ (quales hic obtulit Jethro) magna ex parte in solemne epulum cedebant, quod proinde coram Domino fieri dicebatur, quasi ille hostiis sibi oblatis, illarumque epulo præsens adesset, maximè si epulum fieret juxta altare in quo immolatæ erant hostiæ Deo. Si tabernaculo jam facto et erecto in fine anni venit Jethro ad Mosen, ut vult Abulens. tunc, *coram Domino*, id est, coram taberna-

culo, quod erat quasi domus Dei, factum est hoc epulum.

13. *Judicaret.* Jus diceret.

15. *Quærens sententiam Dei.* Hebr. *quærens Deum.* Chald. *quærens doctrinam a Deo.* LXX, *quærens judicium a Deo.* Postulans scilicet controversias, quæ exoriebantur, disceptari et finiri juxta voluntatem Dei, quam mihi cum Deo familiariter versanti exploratam esse sibi persuadent.

17. *Non bonam, inquit, rem facis.* Facis quod minùs aptum et conveniens est.

18. *Stulto labore consumeris.* LXX, *intolerabili.* Latini etiam insanum appellant quod valde magnum est: sic dicitur insana moles, etc.

19. *Erit Deus tecum.* Consilium meum sequendo, bene tibi succedet, Deo juvante.

In his quæ ad Deum pertinent. Hebr. *esto tu populo coram Deo*, vel, *ante Deum;* esto advocatus populi, ejusque internuntius apud Deum.

Ut referas quæ dicuntur ad eum. Ut populi vota, postulata ac necessitates ad Deum referas.

20. *Ostendasque populo cæremonias.* Sis populi advocatus apud Deum, et vicissim Dei interpres apud populum, ut quæ Deus præscribit ad religionem pertinentia, et ad formandos mores, a te populus discat.

21. *Viros potentes.* Hebr. *virtutis.* Italicè diceremus, *uomini di valore.*

In quibus sit veritas. Qui rectè sentiant, et justè judicent.

23. *Si hoc feceris, implebis imperium Dei.* Hebr. sic habent, *si verbum hoc feceris, et præcipiet tibi Deus, et poteris stare, et etiam omnis populus hic ad locum suum ibunt in pace.* Tria erant priùs præpostera. Populus tota die manebat prope Mosen responsum ejus exspectans; deinde ipse labore consumebatur; tertiò tempus non supererat ad consulendum Deum: quæ tria incommoda converso ordine amoventur. Deus præcipiet, hoc est, respondebit consultationi tuæ; tu poteris laborem sustinere; populus tempestivè domum revertetur. Idem nostri textûs verba significant.

24. *Fecit omnia.* Elegit inferiores magistratus, eosque officii sui admonuit. Vide Deut. c. 1 a n. 9 usque ad 19. ubi hæc fusiùs enarrantur.

25. *Principes.* Qui statim recensentur.

Tribunos. Chiliarchas, qui mille viris præessent.

CAPUT XIX.

Veniunt Hebræi in Sina, et Moses in montem ascendit. Jubet Deus populum sanctificari, et præparari ad legem reverenter accipiendam. Deus montem igne, fumo, tonitruis, fulgoribus, terræ motu et buccinæ clangore replet; Hebræos verò suî metu et religione percellit.

1. IN *die hac.* In die eadem, sive ejusdem numeri, tertia nimirum, nam præcesserat, *mense tertio, etc.* Alii putant significari eodem die quo de Raphidim profecti sunt ad solitudinem Sinai, quæ parùm distabat, pervenisse.

In solitudinem Sinai. Ubì fuit duodecima mansio.

3. *Ascendit ad Deum.* In montem Sina.

4. *Quo modo portaverim vos super alas aquilarum.* Aquilæ pullos suos non transferunt unguibus et pedibus, sed eos super alas imponunt, et adeo altè volant, ut extra omnis teli jactum sint.

5. *Eritis mihi in peculium.* Peculium est peculiaris et propria hæreditas; hoc autem est quod dicitur Deut. 32. 6. *Pars... Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Vox Hebræa סגלה *segulla*, significat portionem electam et dilectam, qualis est thesaurus.

Mea est enim omnis terra. Cùm totus orbis, et omnes gentes meæ sint, possum et volo vos in peculium meum adsciscere.

6. *Eritis mihi in regnum sacerdotale.* Hebr. *in regnum sacerdotum.* Chald. *eritis mihi reges, sacerdotes.* Vos eritis regnum meum non laicum et profanum, sed sacrum, meoque cultui et sacrificiis addictum. Vel, quilibet vestrûm erit quasi rex et sacerdos. Rex, quia (ut hebraicæ reip. pars et membrum) Chananæis aliisque gentibus dominabitur. Sacerdos, quia vos soli inter omnes gentes meo cultui et religiosis cæremoniis eritis addicti. * Vel quia in Paschate patresfamilias paschalem agnum occidebant: unde Philo de Mose: *In Paschate*, inquit, *totus populus sacrificat*, ἐν τῷ πάσχα σύμπαν ἔθνος ἱερᾶται. Vel etiam sensus est, ex vobis erunt reges, et ex vobis etiam sacerdotes.

Gens sancta. Separata ab aliis gentibus profanis et idololatris, et mihi quodammodo consecrata.

9. *Veniam ad te in caligine.* Ut te legislatorem Hebræorum constituam, qui eis des legem non humanam, sed ore divino dictatam.

11. *In diem tertium.* Dies hic tertius fuit quinquagesimus a Paschate et ab egressu ab Ægypto, fuitque Pentecoste, qua legem a Deo acceperunt in Sina.

12. *Ne ascendatis in montem.* Quasi curiosi scrutatores præsentiæ et majestatis divinæ, sed potiùs eam reverentes, vos castris, et jumenta vestra continete.

13. *Lapidibus opprimetur.* Lapidabitur ut sacrilegus.

Cùm cœperit clangere buccina. Sonum buccinæ imitabatur angelus qui in monte steterat : eo clangore populus evocabatur e castris a monte dissitis, ut veniret ad radicem montis, ibique angelo, quasi Dei præcone, proclamante legem audiret.

Ascendant in montem. Versùs montem usque ad terminos a Mose Dei jussu præfixos, et in ipsa montis radice. Vide num. 17.

14. *Sanctificavit eum.* Jubendo lavare vestimenta, abstinere ab uxoribus, et comparare se per munditiem, et reverentem exspectationem Dei ejusque legis.

18. *Descendisset Dominus super eum in igne.* Ignis Deum præit, vel in eo apparet ipse Deus non infrequenter in Scriptura. Psal. 49. 3 : *Deus manifestè veniet, etc. Ignis in conspectu ejus exardescet.*

Eratque omnis mons terribilis. Imò mons ipse concussus est terræ motu. Ps. 67. 9 : *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* Quòd dicitur distillaverunt, ostendit non solùm ignem, fumum, terræ motum, fulgetra, etc., sed etiam pluviam tunc fuisse.

19. *Deus respondebat ei.* Hebr. additur, *per vocem*, ita ut Hebræi Deum cum Mose loquentem audirent.

20. *Descenditque Dominus.* Jam descenderat, sed adhuc ulteriùs descendit ad ipsum verticem, eòque Mosen evocat. Moses autem infra verticem consistebat.

21. *Terminos.* A me statutos.

22. *Sacerdotes.* Nondum erat institutum sacerdotium aaronicum. Sacerdotes ergo hìc intelligit eos qui ex lege naturæ erant sacerdotes, primogeniti nimirum, ex multorum sententia.

Qui accedunt ad Dominum. Quorum munus est ad Deum accedere. Jubet ergo sacerdotes cum cæteris, imò præ cæteris, sanctificari.

23. *Non poterit.* Non præsumat; vetitum enim mortis pœnâ.

Testificatus es. Protestatus es.

* *Sanctifica.* Terminos separa ab accessu populi, ut ita quasi soli Deo dicatus videatur, et nemo illum tanquam rem profanam contingat.

24. *Vade, descende.* Ut sacerdotibus etiam denunties ne transeant terminos montis, et ut Aaronem ad me adducas, et etiam ut tu ex inferiore loco legem, quam cum cæteris pati debes, accipias.

* *Nec ascendant.* Græcè, μὴ βιαζέσθωσαν ἀναβῆναι, *nec vim faciant, ut ascendant.* Matth. 11. 12. *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Itaque nunc licet in cœlum tendere, quod olim in montem non licuit.

CAPUT XX.

Angelus ex Sina toti populo Hebræorum proclamat et promulgat legem Decalogi. Moses ascendit ad Deum in caligine verticis Sina latentem, jubeturque ab eo facere altare ex terra, vel lapide non secto.

1. LOCUTUSQUE *est Dominus.* Hactenus buccinæ sonus auditus : jam articulatis vocibus lex ab angelo Dei personam referente promulgatur.

2. *Ego sum Dominus.* Hic incipit decalogus, cujus explicatio dabitur infra, Deut. 5. num. 6; ibi enim totus repetitur meliori ordine.

* 5. *Visitans.* Si nempe filii sequantur et imitentur peccata parentum.

18. *Videbat voces.* Audiebat. Hebræi sæpe unius sensûs functionem alteri tribuunt, præsertim visûs, ut notat S. August. q. 72. Ita Joan. 20. 29, dicitur, *quia vidisti me, Thoma, credidisti;* hoc est, quia tetigisti me.

20. *Ut enim probaret.* Ut experiretur vestrum timorem, reverentiam et obedientiam.

21. *Stetitque populus de longè.* Moses verò et Aaron progressi fuerant ultra radices montis Sina, ut habemus c. 19. n. 24, ad quos populus vociferatus est.

23. *Non facietis deos argenteos.* In hebræo additur, *mecum*, quos scilicet mecum colas. Refricat memoriam primi præcepti decalogi, quod sæpius inculcandum fuit genti ad idololatriam propensæ.

24. *Altare de terra facietis mihi.* Non vult fieri ex lapide dolato, aut ex pretiosa materia, ut Hebræis ad idololatriam pronis omnem occasionem figuras aut idola sculpendi, quæ postea superstitiosè colerent, subtraheret. Alias plures causas vide apud Cornelium hic, et apud Serar. in Josue cap. 8. q. 16. * Ferrum a sacris amoveri vetus lex est, quam sequitur in suis legibus Cicero.

Holocausta et pacifica. Pacifica sunt hostiæ oblatæ

pro pace et incolumitate domûs, aut reipublicæ, de quibus Levit. 3.

In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei. Hebr. *in quo memorari fecero nomen meum.* In loco quem sibi Dominus delegerat, ut ibi coleretur sacrificiis: nimirum ubi erat arca, vel tabernaculum, quanquam ex Dei dispensatione et instinctu, vel ob gravem causam alibi sacrificatum scimus. Sic Samuel sacrificavit in Maspha, Reg. 7. 9, et in Ramatha, ibid. num. 17, et alibi.

Veniam ad te et benedicam tibi. Chaldæus clarè ita interpretatur, *in omni loco, in quo habitare fecero gloriam meam* (puta in tabernaculo sive templo, arcâ et altari), *inde mittam benedictionem meam, et benedicam tibi*, preces scilicet tuas exaudiens, etc.

25. *Si enim levaveris cultrum.* Per cultrum intelligit quodlibet instrumentum aptum ad poliendos lapides.

26. *Ne reveletur turpitudo tua.* Ne in ascensu nudentur verenda tua, aut etiam ipsa subligacula linea, quæ gestabant sacerdotes usque ad genua protensa, conspiciantur. Præceptum hoc de gradibus ad altare non faciendis temporale fuit; nam in templo Salomonis altare erat altitudinis decem cubitorum, 2. Par. 4. 1, et ad illud per gradus ascendebatur. Vide Ezec. 43. 17, et ad eum locum interpretes. * Simile aliquid habemus in jure pontificio romano vetere; ex quo Servius hoc affert ad quartum Æneidos : Apud veteres scalas plùs tribus gradibus, nisi græcas, scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, qui scandebat, crurumve subter conspiceretur. Eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem, aut nudari crura. Nam ideo et græcæ scalæ dicuntur, quæ ita fabricantur ut omni ex parte compagine tabularum clausæ sint, ne adspectum ad corporis aliquam partem admittant.

CAPUT XXI.

Præcepta judicialia quoad emptitios servos, et ancillas, furta, homicidia, parricidia, parentum maledicta, rixas, et talionis pœnas, et bovem cornupetam.

1. *HÆC sunt judicia.* Præcepta judicialia quæ ad populum justè et pacificè gubernandum Dominus præscripsit. Sicut cæremonialia præcepta vocantur ea quæ ad Deum per sacras cæremonias rite colendum traduntur.

2. *Servum.* Non famulum, sed mancipium.

In

In septimo. Qui omnibus idem erat. Itaque aliqui citiùs, aliqui tardiùs a servitute liberabantur, prout longiùs, aut propiùs ab anno illo septimo distabant.

3. *Cum quali veste*. Vestis illi exeunti tam honesta detur qùàm habuit cùm intraret; hoc enim decens est et congruum.

4. *Mulier et liberi ejus erunt domini*. Uxor manebit serva hero a quo servo illi data fuerat in conjugium; ipsi etiam hero manebunt proles quæ ventrem sequuntur, et sic servo libertatem adepto videtur solutum matrimonium cum femina quæ adhuc hæret in servitute, ut docent Abulensis, Caietanus, Lipomanus et alii : fuisset enim nimis grave, si facta separatione, et viro libertati reddito, matrimonium constitisset.

6. *Diis*. Judicibus qui judiciariam et gubernatoriam Dei potestatem participant. Sic dicitur Exod. 22. 28 : *Diis* (hoc est judicibus) *non detrahes, et principi populi tui non maledices*. * Volebat Deus in re tanti momenti, quanti est perpetua servitus, nihil temerè aut inconsultò fieri, sed rem per judices cognosci, et constitui.

Ad ostium et postes. Domûs heri. Subulâ perforabatur auris, et posti configebatur, ut significaretur eum perpetuæ servituti in domo illa addici. Videtur enim statuta cæremonia in pœnam et ignominiam neglectæ libertatis. Alii volunt designari perpetuam sub domino obedientiam, ut ne extra limen quidem pedem proferre posse intelligeret, invito domino.

In seculum. Seculum non tantùm æternitatem significat, sed etiam spatium longissimum; quod Hebræis erat 50 annorum. Cùm ergo dicitur futurum servum in seculum, intellige usque ad annum 50 jubilæi; tunc enim servi omnes hebræi manu mittebantur. Lev. 25. 40.

7. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam*. Scilicet cum promissione desponsationis, qua herus filiam hebræam emens in famulam promisit se eam ducturum in uxorem, saltem secundariam.

Non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt. Sicut ancillæ quæ hebrææ non sunt, sed alienigenæ. Itaque nec infidelibus vendet, et manentem domi benignè ut filiam habebit et tractabit, et egredientem, postquam thori fuerit particeps, curabit ut commodè nubat, pretio aut vestibus, et hujusmodi datis, ut habetur. num. 10.

9. *Juxta morem filiarum*. Despondebit eam filio suo ea ætate qua patres filiabus de nuptiis prospicere solent, ut scilicet nec sit immatura viro, nec superadulta.

10. *Quòd si alteram ei acceperit.* Filio scilicet suo, servâ abire jussâ.

11. *Si tria ista non fecerit.* Hoc est, si non providerit ei nuptias, vestimenta, et pudicitiæ pretium non dederit, liberum erit ancillæ recedere nullo dato pretio quo se ipsam redimat.

12. *Qui percusserit hominem.* Ita scilicet ut moriatur; nam *percutere* passim in libris Regum, aliisque historicis, accipitur in actu consummato.

Morte moriatur. Statuitur hìc pœna talionis et mortis in homicidam voluntarium.

13. *Qui autem non est insidiatus.* Sed tamen occisor in culpa fuit vel imprudentiæ, vel negligentiæ, vel vindictæ.

Deus illum tradidit in manus. Dei vindicis providentiâ factum est ut illi occurreret, et a Deo cædes illa in pœnam sontis ordinata est.

14. *Ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Nullum pro hujusmodi homicida erit asylum, quantumvis locus sit sacer. Sic Salomon Joab occidi jussit ad ipsum altare, 3. Reg. 2. 31.

15. *Qui percusserit patrem.* Etiamsi percussio lethalis non fuerit, moriatur tamen ob atrocem impietatem.

16. *Qui furatus fuerit hominem.* Sive liber sit, sive servus; quemadmodum enim homicida morte punitur, sive occidat ingenuum, sive servum; ita plagiarius sive mancipium furetur, sive hominem liberum.

18. *Lapide vel pugno.* Vel quocumque telo, vel modo: dixit *lapide vel pugno*, quia ferè rixantes lapide, quem obvium habent, vel pugno feriunt.

19. *Innocens erit.* A pœna immunis, quia eo indicio præsumitur mors illi non ex percussione, sed aliunde obvenisse.

Operas ejus. Hebr. *sedere ejus*; id est, cessationem ab opere.

20. *Criminis reus erit.* Homicidii, ac proinde pœnæ mortis.

21. *Quia pecunia illius est.* Quia illius mancipium est, pecuniâ emptum, quod jure moderatè castigare poterat; itaque etiamsi excesserit, propter dictam rationem, et vilem servorum conditionem, non statuitur pœna mortis.

22. *Mulierem prægnantem.* Quæ inter rixantes intercedere, vel maritum suum adjuvare voluit.

23. *Sin autem mors ejus fuerit subsecuta.* In Hebr. est, *et si mors fuerit*, ubì pro *mors*, est אָסוֹן *ason*, quod aliter videntur legisse LXX; hoc est, אִישׁוֹן *ischon*, diminutivum אִישׁ *isch*, *vir*; nam verterunt, ἐξεικονισμένον ἦ,

scilicet τὸ παιδίον. Si formatus fuerit fœtus, *si virparvulus, si virunculus excussus fuerit* (ita enim verti potest ex hebræo, legendo ut LXX legerunt) morti subjaceat, animam pro anima reddendo.

Reddet animam pro anima. Vitam pro vita mulieris quam occidit.

26. *Luscos eos fecerit*. Scilicet eruto oculo coclites, vel unoculos.

28. *Lapidibus obruetur*. Non ob bovis culpam, quæ in bruto esse non potest; sed ad terrorem et exemplum hominum, ut scilicet ab homicidio absterreantur.

29. *Ab heri et nudius tertius*. A præcedenti tempore. *Contestati sunt*. Dominum bovis periculi admonuerunt. *Nec recluserit*. Hebr. *nec custodierit*.

30. *Quòd si pretium fuerit ei impositum*. A judice, qui causâ cognitâ, ob levem ejus culpam pecuniâ mulctare satis habuerit.

35. *Si bos alienus*. Lex loquitur tantùm eo casu quo bos bovem, non autem eo quo bos ovem, aut vitulum occidisset : tunc enim non erat æquum bovem dividi pro ove, aut vitulo, qui minoris est pretii quàm bos. Itaque tunc judices mulctam decernebant pro rata damni illati. Quod hìc de bove dicitur, idem a pari de ariete, equo, etc., intellige.

CAPUT XXII.

Leges judiciales de furto, deposito, commodato, fornicatione, maleficiis, charitate erga peregrinos, viduas et pupillos, de usura et pignore, de decimis et primitiis.

1. Q*uinque boves*. Fur bovis quintuplum reddit, ovis tantùm quadruplum; præter legislatoris voluntatem difficile est rationem hujus rei assignare. Fortasse majorem pronitatem ad furandos boves voluit coercere, vel etiam dic majus damnum, cæteris paribus, afferri ab eo qui furatur boves, quòd hi etiam arationi serviant, non autem oves.

3. *Quòd si orto sole*. Nocturnum furem licebat occidere, non diurnum : 1. quia illius incerta est vis et intentio; nescitur enim an ad furandum tantùm, an etiam ad occidendum veniat; 2. quia nocturnus non agnoscitur, atque ideo non potest res ablata judicio repeti; 3. quia fur nocturnus non potest tam securè ap-

prehendi, aut repelli, quàm diurnus; de die enim paterfamilias a vicinis et familiaribus adjuvari faciliùs potest quàm noctu.

4. *Si inventum fuerit apud eum.* Ita statuitur, quia faciliùs dominus quod suum est recipit, nec fur rem distrahendo aut occidendo eò se redegit, ut restituere non possit. Itaque mitior pœna decernitur quàm si occidisset aut vendidisset; tunc enim quintuplum reddendum.

5. *Et dimiserit.* Dimittendo.

6. *Egressus ignis.* Proserpendo usque ad spinas aut segetes : * debuit enim vel ignem exstinguere, vel providere ne in proximam materiam transiliret.

8. *Dominus domûs.* In qua depositum fuit furto sublatum, et qui depositarius est.

Applicabitur ad deos. Adducetur ad judices.

Jurabit quòd non extenderit manum. Depositarius juramento purgabit se, probabitque suam innocentiam.

9. *Ad perpetrandam fraudem.* Ut scilicet fraudulenter noceret.

Et quidquid damnum inferre potest. Si ablatum sit. In hebræo est, *super omni re perdita, quam dixerit, quia ipsa est.* Sententia est si quis rem apud alium depositam perdiderit, et inventa sit, sed dubitetur an sit illa eadem.

Ad deos. Ad judices.

Duplum restituet. Depositarius qui fuerit furti vel collusionis cum fure condemnatus.

10. *Nullusque hoc viderit.* Periisse nimirum animal sinè ejus culpa, qui illud acceperat custodiendum.

11. *Suscipietque Dominus juramentum.* Dominus animalis quod periit.

12. *Si furto ablatum fuerit.* In hebræo additur מעמו *mehimmo, de cum eo*, ipsò nimirum vidente, aut sciente, aut alioqui culpæ aliquo modo participe.

13. *Quod occisum est.* Ipsum animal occisum, aut ejus reliquias.

15. *Quòd si impræsentiarum dominus fuerit.* Præsente enim domino potest commodatarius remittere de cura rei custodiendæ.

Maximè si conductum. Præsertim si non tam commodatum fuerit quàm locatio, dato pretio domino animalis.

17. *Juxta modum dotis.* Si pater filiam dotare noluerit, dotabit eam, qui vitium intulit, tantùmque dotis dabit, quantùm ipsa a patre juxta suam conditio-

nem accepisset. * Differt hæc facti species ab illa quæ est Deut. 22, 28 et 29; ibi enim matrimonium cum mulcta imponitur; hic patri virginis optio datur mulctæ, aut matrimonii.

18. *Maleficos*. In Hebr. est, *maleficas*, nam sexus femineus magis maleficiis, sive veneficiis obnoxius est, quàm virilis. * Viri tamen, si idem peccent, non minùs puniendi.

* 25. *Pauperi*. Vox hæc non restringit legem, sed exempli causâ posita est, quia plerumque ita accidit ut illi magis egeant opis alienæ.

Exactor. Usurarius.

Nec usuris opprimes. Hebr. *et non pones super eum morsum*. Hebræi usuram *morsum* vocant, quia mordet et rodit pauperes.

26. *Vestimentum*. Hebr. *operimentum*, quod videtur intelligendum de operimento quo in lecto cubantes operiuntur.

28. *Diis non detrahes*. Judicibus, magistratui.

29. *Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere*. In hebr. est, *plenitudinem tuam*, *et lacrymam tuam;* hoc est, spicas plenas, et liquorem vini, et olei, etc., qui quasi lacryma ex uvis aut baccis distillat.

30. *Die octava*. Quia ante hunc diem nimis tener, et quasi immaturus, et imperfectus, nec satis plenè formatus.

31. *Viri sancti eritis mihi*. Sanctè quæ præcipio servantes, et cavendo ab omni inquinamento, etiam a carne a bestiis devorata, de qua subditur.

Carnem quæ a bestiis. 1. Si caro priùs fuerit occisa, et postea superveniens bestia aliquid ex ea comederit; 2. si caro a bestia occisa sit, sive de ea aliquid comederit bestia, sive non; 3. si a bestia captum sit, et vulneratum, et postea ex illo vulnere animal mortuum fuerit. Bestiæ nomine intelligitur *fera ;* nam LXX habent, θηριάλωτον ; θῆρες autem et θηρία sunt feræ; jubet autem hoc, ut decentiam et sanctitatem quamdam externam et corporalem doceat, et vitam ex ratione degere, quæ nihil feritatis, aut barbariei præ se ferat, ait Theodor. ; tandem ut illos a cæde et furto longiùs arceat, Ita Cajet.

CAPUT XXIII.

Pergit sancire leges judiciales, præsertim de personarum et munerum acceptione. Subdit cæremoniales de sabbato septimi anni, deque tribus præcipuis anni festis. Promittit eis angelum ducem et custodem, aliaque bona, si legibus suis obediant.

1. *Non suscipies vocem mendacii.* Audiendo calumniatorem conantem te transversum agere, et aut judicem injustum facere, aut testem falsum.

Nec junges manum tuam. Non confœderaberis, nec associabis te ei, ut sis testis iniquitatis et calumniæ.

2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum.* Etiamsi iniquus, aut causa injusta multos habeat suffragatores, non tamen propterea eorum auctoritate abducaris a vero et recto.

3. *Pauperis quoque non misereberis.* Præpostera misericordia in causa injusta. Bona est misericordia, ita tamen ut judicium non evertat. De Christo dicitur, Ps. 71. 2: *Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.*

6. *Non declinabis in judicium pauperis.* Eum scilicet condemnando, aut quòd pauper sit, favendo.

7. *Insontem et justum non occides.* Chald. *eum qui fuerit justificatus, et exierit justus a judicio, non occides.*

8. *Excæcant prudentes.* Hebr. *videntes*, qui alioqui apertos habent oculos mentis.

9. *Scitis enim advenarum animas.* Scitis quid sit esse advenas, qui scilicet a suis destituti, dejecto sunt animo, quibus proinde afflictio non addenda. * Scitum est Didonis dictum apud Virgilium.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Et ipsi perigrini fuistis. Malo vestro didicistis quid sit esse peregrinum in terra aliena.

11. *Requiescere facies.* A messe et a semente. Levit. 25. 4: *Septimo anno.... agrum non seres.* Id ita institutum ut terra illa interposita quiete feracior redderetur, et ut pauperes septimo illo anno fructibus sponte nascentibus gauderent.* Vocabatur annus hic sabbaticus, et non incipiebat a mense nisan, seu martio; sed mense tisri, seu septembri. Hoc anno omnes servi natione Hebræi libertati, si volebant, restituebantur, ut patet superiori

cap. 21. 2. Remittebatur etiam hoc anno iisdem Hebræis quidquid ex mutuo debebant, ut colligitur ex Deut. 15. Præterea sub initium ejusdem anni universo populo audiente Deuteronomii lex recitabatur, nimirum in festo Tabernaculorum.

13. *Non jurabitis.* Hebr. *non memorabitis.* Chald. *non recordabimini ;* hoc est, non nominabitis deos alienos.

Audietur. Eorum mentio.

15. *Tempore mensis novorum.* In mense nisan, quo egressus es de Ægypto, quando in terra promissionis et Ægypto novæ fruges hordeaceæ maturescunt.

Non apparebis in conspectu meo vacuus. Accedens scilicet ad tabernaculum, vel templum in festo Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, non aderis sinè oblatione tum ad cultum divinum, tum ad levitarum sustentationem. Hæc oblatio Deut. 16. 10, dicitur *oblatio spontanea*, quia licèt cuilibet esse præcepta, quantùm tamen quilibet offerre deberet, præscriptum non erat, sed cujuslibet pietati statuendum relinquebatur.

16. *Et solemnitatem messis.* Hoc est, celebrabis festum Pentecostes, illoque panes ex prima messe triticea factos mihi offeres, sicut in Paschate obtulisti spicas hordei maturescentes. In Pentecoste ergo exigit Deus primitias omnium frugum, id est, totius messis triticeæ.

Solemnitatem quoque in exitu anni. Solemnitas Tabernaculorum, quæ græco vocabulo dicitur scenopegia, qua tabernacula figebant, et in iis habitabant per septem dies. Dicitur, *in exitu anni ;* scilicet septembri, tunc enim desinit et incipit annus vulgaris Hebræis, licèt quoad festa in martio, seu nisan incipiat.

17. *Ter in anno.* Paschate, Pentecoste et festo Tabernaculorum ; * tenebantur autem hac lege omnes masculi, ut hìc habetur, nimirum ab anno 20 usque ad 60, ut colligitur ex Lev. cap. ultimo. 3.

Coram Domino. Coram arca, vel coram tabernaculo.

18. *Non immolabis super fermento.* Quasi dicat : Aufer de domo fermentatum, priusquam agnum paschalem immoles.

Solemnitatis meæ. Id est, victimarum, quæ mihi in solemnitatibus offeruntur.

Usque mane. In alterum diem.

19. *In lacte.* Id est, cum lacte ipso in olla, vel dum lactat, vel unà cum ipsa matre. Clemens Alex. 2. strom. *Ne fiat*, inquit, *interempti condimentum, quod est viventis nutrimentum.*

20. *Angelum meum.* Michaelem synagogæ præsidem et tutorem.

21. *Nec contemnendum putes.* Hebr. *nec eum ad amaritudinem provoces.* * In græco est, μὴ ἀπείθει αὐτῷ, *ne sis illi inobediens.*

Est nomen meum in illo. Nomen meum, personam, auctoritatem et voluntatem præfert. Chald. vertit, *quoniam in nomine meo est verbum illius.* * Habebit etiam in se non longè petendam vindictæ potestatem; nam *nomen* sæpe auctoritatem et potentiam significat.

24. *Opera eorum.* Idola colendo.

25. *Panibus tuis et aquis.* Cibo et potui.

26. *Numerum dierum tuorum implebo.* Longævus eris super terram.

28. *Emittens crabrones.* Quod factum est, Josue cap. ultim., num. 12, et dicitur lib. Sap. 12. 8: *Misisti antecessores exercitûs tui vespas, etc.*

29. *Ne terra in solitudinem redigatur.* Fertilis ergo et ampla Chananæa, cujus fruges tres milliones hominum ita absumere non poterant, quin magna adhuc restaret solitudo feris implenda, ni Chananæi in ea multis in locis remansissent.

31. *A deserto usque ad fluvium.* A deserto Arabiæ, usque ad fluvium Euphraten.

33. *In scandalum.* Hebr. *in laqueum.* Peccatum idololatriæ Chananæis familiare erit tibi in scandalum; vel ipsi Chananæi, nisi tuis finibus exigantur; mores enim illorum Israelitæ imitabuntur.

CAPUT XXIV.

Moses leges Domini refert ad populum, qui eas admittit. Sancitur fœdus inter Deum et populum, asperso in hunc sanguine victimarum. Moses cæteris ad radicem montis manentibus solus in montem ascendit, ibique cum Domino moratur dies quadraginta.

1. NADAB, *et Abiu.* Filii seniores Aaron.

Septuaginta senes. Ex primoribus populi; * illi nimirum, qui Num. 11. 25, prophetasse dicuntur.

Adorabitis procul. Deum in caligine in cacumine montis Sina, per angelum se ostendentem, et loquentem cum Mose.

2. *Ad Dominum.* Ad caliginem verticis Sina. Solus Moses comitatus ministro suo Josue. Septuaginta autem seniores cum Aarone jussi sunt remanere infernè cum populo ad eum gubernandum.

3. *Narravit plebi.* Ut illi assensum præstarent, et legem sic admissam firmiùs retinerent.

Judicia. Leges judiciales.

4. *Et duodecim titulos.* Vel duodecim lapides seorsim erecti, vel ex duodecim illis saxis unum altare constructum est. Primum videtur verius.

5. *Juvenes.* Chaldæus, *primogenitos filiorum Israel*, qui in lege naturæ sacerdotes erant; nondum enim sacerdotium aaronicum institutum erat.

6. *Dimidiam partem sanguinis.* Solebant enim olim fœdera victimis et sanguine sanciri.

8. *Sanguinem respersit in populum.* Effusio et aspersio sanguinis in fœdere significat fore illud stabile et firmum, etiam cum vitæ discrimine. Figura est sanguinis Christi, quo testamentum novum confirmatum est. Vide ad Hebræos 9. 19.

10. *Viderunt Deum Israel.* Non per essentiam, sed quasi per umbram in specie aliqua sensibili, puta humana, quod Cajet., Lyran., Prad., in Ezechielem existimant, quos Cornelius sequitur.

Quasi opus lapidis sapphirini. Sub pedibus Dei apparebat quasi pavimentum ex sapphiro constratum.

11. *Eos qui procul recesserant.* Seniores, qui a plebe recesserant, et cum Mose ascenderant in montem.

Nec.... misit manum suam. Non eos morte percussit, nec quidquam passi sunt; itaque chaldæus vertit, *principibus filiorum Israel nullum fuit incommodum.*

Comederunt ac biberunt. Postea, læti et exultantes augusta illa et delectabili visione Dei.

13. *In montem Dei.* In altiora montis Sina.

14. *Exspectate hìc.* Cum populo; et fortasse digito ostendebat Moses castra populi: redite ad populum, ut illum regatis, et in officio contineatis.

16. *Gloria Domini.* Majestas Domini patefaciens se per spectra admiranda, caliginem scilicet et ignem.

17. *Quasi ignis.* Particula *quasi*, non similitudinem, sed rei veritatem significat, ut cùm dicitur Joan. 1. 14: *Vidimus eum quasi unigenitum.*

18. *Ingressusque Moyses.* Relicto Josue in monte.

Fuit ibi quadraginta diebus. Deut. 9. 9, additur Mosen quadraginta illis diebus nec comedisse, nec bibisse. In his tamen quadraginta diebus numerantur sex illi, de quibus dixerat num. 16.

CAPUT XXV.

Jubetur primitiarum ac donorum oblatio ad Dei tabernaculum excitandum. Præscribitur arcæ forma, propitiatorii cum duobus cherubim, mensæ panum propositionis et candelabri.

2. PRIMITIAS. Hanc munerum oblationem primitias appellat, vel quia hæc fuit prima communis Hebræorum oblatio, quæ facta est pro fabrica tabernaculi; vel quia prima et præstantissima sibi volebat offerri; * vel quia more primitiarum fiebat, separando partem bonorum suorum Deo offerendam.

Qui offeret ultroneus. Hebr. *quem spontaneum et liberalem fecerit cor suum.*

4. *Hyacinthum.* Lanam hyacinthini, hoc est, cærulei, seu violacei coloris.

Purpuram. Lanam purpureo, hoc est, rubro colore infectam.

Coccumque bis tinctum. Lanam bis tinctam et rubricatam. Coccus græca vox granum significat, ac præcipuè illud in quo vermiculus latet, cujus sanguine lanæ inficiuntur, quæ ab hac tinctura coccus dicuntur. Dicitur autem bis tinctus coccus, quia solebat lana, ut magis ruberet, bis imbui; scilicet primò cùm tantùm esset lana, secundò cùm esset jam in fila deducta.

Byssum. Est genus quoddam tenuissimi lini, et candidissimi.

Pilos caprarum. Ad cilicinas telas contexendas, quibus arca tegenda erat.

5. *Pellesque ianthinas.* Violacei coloris.

Ligna setim. Setim, inquit S. Hier. in cap. 41 Isaiæ, *est genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem, ex quo omnia ligna arcæ, et tabernaculi facta sunt instrumenta.* Hoc lignum est incorruptibile, ut vertunt LXX, et levissimum, omniaque ligna fortitudine, soliditate, nitore et pulchritudine dicitur superare.

8. *Sanctuarium.* Tabernaculum in quo colar.

9. *Quod ostendam tibi.* Cujus ideam in monte Sina tibi ostendam.

10. *Longitudo habeat duos et semis cubitos.* Sermo est de cubito vulgari, cujus ea est longitudo, quæ a flexu brachii porrigitur usque ad extremum digiti, qui index dicitur; continetque 24 digitos, sive duas spithamas;

spithama autem est spatium quod, distenta manu, inter pollicem et indicem interjacet, continetque 12 digitos transversos.

11. *Deaurabis.* Laminis aureis conteges.

Coronam auream. Limbum prominentem quadratum; nam etiam quadrata erat arca.

12. *Quatuor circulos.* Ad quatuor angulos arcæ, quibus circulis inserebantur vectes, ut arca gestari posset a sacerdotibus.

16. *Testificationem.* Tabulas legis; lex enim sæpe dicitur testimonium, aut testificatio, quia attestationem continet divinæ voluntatis, eâque Dominus testatum reliquit quid ab hominibus fieri velit. Porro in arca nihil aliud continebatur, ut docet expressè Scriptura, 3. Reg. 8. 9 et 2. Paral. 5. 10. Urna cum manna et virga Aaron non in arca erant, sed tantùm in tabernaculo asservabantur.

17. *Propitiatorium.* Propitiatorium erat arcæ operculum, sive tabula tegens arcam, ut patet num. 20; unde paris erat cum arca longitudinis et latitudinis, eratque non ex ligno setim, sed ex auro tantùm. Dictum est propitiatorium, quasi locus placationis, quòd ibi quodammodo sedens Deus, et arcam pro pedum scabello habens, populo propitiaretur. Non tamen putandum propitiatorium supra arcam elevatum; nam illi immediatè adhæsisse tanquam illius operculum probabilius esse docent Cornelius et Bonfrerius ad hunc locum. Nec obstat quòd arca scabellum pedum, propitiatorium sedes dicatur, quasi hæc distare loco debeant; nam propitiatorium cherubinos (de quibus statim dicemus) includebat, in quorum alis sedebat Deus.

18. *Duos quoque cherubim.* Humana specie, quasi duos juvenes alatos, ut angeli pingi solent. Et verisimile est habuisse speciem quatuor animalium, hominis nimirum, aquilæ, leonis et vituli: partim alis, partim corpore suo totum propitiatorium tegebant. Alæ verò ita erant extensæ, ut quasi sedem formarent.

Productiles. Non arte fusoria factos, sed ex auro ductili.

21. *Pones testimonium.* Tabulas legis, ut dictum n. 16.

23. *Mensam.* In qua ponendi duodecim panes propositionis.

24. *Labium.* Hebr. *coronam.* Limbum circumcirca.

25. *Et ipsi labio.* Id est, in ipso labio, super ipsum labium.

Coronam interrasilem. Opus interrasile illud est in quo quædam plana sunt, quædam exsculpta, cavitatibus per artem incisis.

Alteram coronam. Tertius hic limbus secundo impositus, ut secundus impositus erat primo et imo, idque ad ornatum potiùs quàm ad necessitatem.

Aureolam. Non quasi non esset ex puro auro, sed quia parva erat, ideoque minùs auri continebat quàm cæteræ.

29. *Acetabula.* Hebr. *scutellas.* LXX, τρύβλια, id est, paropsides, patellas, vel catinos, ad excipiendam et continendam similam, quando illa offerri debebat, et ad excipienda sacrificia sartaginis et clibani, de quibus Levit. 2.

Phialas. Vasa parva et concava. LXX vertunt, θυΐσκας, *mortaria;* quare etiam S. Hier. sæpe vocat mortariola. Parabantur hæ fialæ ad vinum et alia libamina in sacrificiis fundenda: ad idem parati erant et cyathi.

Thuribula. Tum ad asservandum thymiama quod adolendum erat, tum thus quod panibus propositionis erat imponendum, ut dicitur Levit. 24. 7.

30. *Panes propositionis.* Hebr. *panes facierum*, qui scilicet ante faciem Domini coram arca et propitiatorio proponantur.

31. *Candelabrum ductile.* Ex auro scilicet non fuso, sed malleo ducto et efformato.

Hastile ejus, et calamos. Hastile medium erat, ex quo utrinque calami tres, sive rami in altum assurgebant.

Scyphos. Scyphos vocat partes candelabri prominentes nucum instar.

Sphærulas. Poma, globulos, vel sphærulas pomorum instar.

Lilia. In summitate calamorum, quibus liliis impositæ lucernæ.

34. *In ipso autem candelabro.* In ipso hastili candelabri.

37. *Ex adverso.* Versùs mensam panum propositionis.

* Porro septem illæ lucernæ tota nocte ardebant; manè verò quatuor ex illis exstinguebantur, tres reliquæ etiam per diem lucebant. Vide Bonfrer. Exod. 27.

38. *Ubì quæ emuncta sunt exstinguantur.* Vasa quæ partem ellychnii, quæ emuncta est, recipiant.

39. *Habebit talentum auri.* Talentum hebræum continens tria millia siclorum, duodecim aureorum millia appendebat, ex Cornelio hìc.

CAPUT XXVI.

Præscribitur fabrica tabernaculi, et ejus tegumentorum ordo, materia et forma. Velum etiam oppansum Sancto Sanctorum, et aliud oppansum Sancto.

1. De *bysso retorta*. Cujus scilicet fila torta sint, ac duplicata, ut fortior sit.

Variatas. Hebr. *cherubim*, quasi dicat sparsas imaginibus alatis. Chald. *figuras cherubim*.

Opere plumario. Hebr. *opere cogitantis*; opere scilicet ingenioso, quod multa cognitione, industria et cura indiget. Bysso quasi stamini supertexebantur fila varia, hyacinthina, purpurea, et cocco tincta, et ita fiebat *opus* hoc *cogitantis*, variè scilicet pictum, aut textum, quod emulabatur picturas ex plumis diversicoloribus avium factas. Vox hebræa רקם *requem*, respondet voci nostræ italicæ *ricamato*.

2. *Tentoria*. Id est, cortinæ ad modum tentorii extensæ.

3. *Sibi jungentur mutuò*. Hoc est, quinas et quinas vel assutura, vel alio modo conjunges; ut sint duarum magnarum cortinarum instar, quæ duæ rursus in unum quinquaginta ansulis copulabuntur.

6. *Facies et quinquaginta circulos*. Fibulas circulares, ut hæc duo cortinarum quinarum vela per eos conjungi, et rursum solvi ac disjungi possint, quando proficiscendum est.

7. *Saga cilicina undecim*. Hebr. *cortinas e pilis caprarum undecim*; vestes enim e pilis caprarum cilicinæ dicuntur. Hæc saga sive vela eodem modo jungebantur, ut aliæ cortinæ, de quibus dictum est n. 3.

Ad operiendum tectum. Ad hoc enim erant factæ cortinæ istæ omnes, et tabernaculum quatuor operimentis erat tectum: primò velo decem cortinarum ex bysso, purpura, etc.; secundò stragulo undecim sagorum e cilicio; tertiò pellibus arietum rubricatis; quartò pellibus ianthinis.

9. *Duplices*. Id est, extremitatem pendentem reducas in tectum, vertendo, ut solent quæ duplicantur.

12. *Ex medietate*. Cùm saga hæc essent undecim, excedebant cortinas, de quibus supra, latitudine itemque longitudine, quia saga erant 30 cubitorum longitudinis, cortinæ autem illæ 28. Ex quatuor ergo cubitis latitudinis, quibus excedebant, duo duplicati tegebant

pendentes anteriorem partem tabernaculi, et duo posteriorem. Item duorum cubitorum, quibus longitudo excedebat, alter pendebat ex uno latere tabernaculi, alter ex altero. Vide Torniellum, tom. 1, anno mundi 2544, n. 63, qui rem totam clarè et distinctè explicat.

14. *De pellibus arietum*. An duo hæc operimenta de pellibus scilicet arietum rubricatis et pellibus ianthinis tectum tabernaculi tantùm texerint, an verò etiam latera, ut saga cilicina, et primum illud ex bysso, etc., non constat. Probabilius videtur texisse, quia eadem militat ratio, ut scilicet cortinæ delicatiores ab imbribus protegerentur.

15. *Tabulas stantes tabernaculi*. Hæ tabulæ erant quasi parietes tabernaculi erecti a tribus ejus lateribus.

17. *Duæ incastraturæ fient*. Tabulæ ita erunt in lateribus elaboratæ, ut connecti possint et bene inter se cohærere.

22. *Facies sex tabulas*. Quasi dicat, tabernaculum ad occidentem habebit octo tabulas, ut dicitur n. 25, ita tamen ut sex integræ sint, scilicet sesquicubitales; duæ verò reliquæ sint tantùm semicubitales.

23. *In angulis*. Una enim latus meridianum, altera aquilonare tabernaculi tangebat.

Post tergum. In parte occidentali; nam pars orientalis, qua patebat ingressus, nullas habebat tabulas.

24. *Eruntque conjunctæ*. Sex scilicet tabulæ æquales; nam de duabus reliquis statim.

26. *Facies et vectes*. Hi vectes auro vestiti, aureisque annulis immissi totam continebant tabernaculi fabricam, ut moveri suo loco tabulæ non possent. Itaque quinque vectes erant triginta cubitorum a parte australi, totidemque a parte boreali; a parte vero occidentali cubitorum decem. In unoquoque latere erant quinque hujusmodi vectes.

28. *Per medias tabulas*. Non per spissitudinem ipsam tabularum, sed per earum dorsa transversim annulis inserti.

A summo usque ad summum. Ab extremo usque ad extremum.

35. *Velum*. Quod scilicet divideret Sanctum a Sancto Sanctorum, quod tertiam tantùm tabernaculi partem occupabat, et quadratum erat, decem habens cubitos in omni latere. Intra hoc velum erat arca, ut dicitur n. 33.

36. *Facies et tentorium*. Alterum velum quod oppansum erat primæ parti tabernaculi, quæ Sanctum dicebatur; sicut prius velum, de quo num. 31, erat oppansum Sancto Sanctorum.

CAPUT XXVII.

Describitur altare holocaustorum cum suis vasis, craticulis et vectibus. Describitur etiam atrium tabernaculi cum suis columnis, et velis quibus cingebatur, oleum etiam lucernarum, earumque accensio.

1. *Altare*. Sermo est non de altari thymiamatis, quod erat in Sancto, et in quo thymiama adolebatur manè et vespere; sed de altari holocaustorum, in quo holocausta et quævis sacrificia Deo immolabantur et cremabantur.

De lignis setim. Quoad tabulas ambientes; nam interius in imo altare hoc usque ad suî medium plenum erat lapidibus non sectis: superius verò per totum craticulâ æneâ tegebatur. Itaque hoc altare ex setim simile erat arcæ, seu capsæ quadratæ quæ fundo et operculo caret, et interiùs vacua est.

2. *Cornua... ex ipso erunt*. Anguli prominentes cornuum instar ad ornatum altaris, non aliunde, sed ex ipso altaris ære continuo opere ducentur.

Operies illud ære. Tabulæ de lignis setim æneis tabulis tectæ erant, ne ab igne læderentur.

3. *Lebetes*. Alii vertunt ollas. LXX habent, *et facies coronam altari*.

Forcipes. Hebr. יעים *jahim*, quod LXX vertunt, *cooperimenta*, alii, *scopas*. Videntur esse instrumenta quibus aliquid accipimus, aut removemus, utì sunt forcipes et batilla sive palæ. Italicè, *pale*, *e batili*.

Fuscinulas. Tridentes, uncinos, creagras ad extrahendas carnes.

Ignium receptacula. Vasa ad capiendas prunas, unde aliqui vertunt, *thuribula*. LXX, *focum*. Serviebant hæc vasa inter alia ad hoc, ut in illis ignis sanctus ex altari holocausti petitus ad altare thymiamatis vespere et manè, ad incensum in iis adolendum deferretur; nam incensum non in ipso altari immediatè, sed in hisce thuribulis altari impositis adolebatur.

4. *Craticulamque in modum retis æneam*. Quæ tegeret superiorem altaris partem, cui craticulæ sacrificia comburenda imponebantur.

Quatuor annuli ænei. Craticula hæc suos annulos et vectes habebat distinctos ab annulis et vectibus altaris; eximebatur enim et separabatur craticula ab altari, ut seorsim portari posset.

5. *Arulam altaris*. Ex craticula per catenulas aut laminas appensa pendebat arula ænea, sive foculus in medio altaris super lapidum impolitorum structuram, in qua arula ponebantur ligna et ignis ad cremandas carnes quæ in superiori craticula ponebantur.

Usque ad altaris medium. Craticula non sola, sed cum arula appensa ad medium usque altaris perveniebat: inter craticulam enim et arulam ferè spatium erat cubiti unius cum dimidio, quod est medium altaris quod trium cubitorum altitudinem habebat.

6. *Vectes altaris*. Ut craticula, sic altare suos habebat vectes, ut seorsim portari posset.

7. *Per circulos*. Per annulos.

8. *Non solidum*. Num. 1. diximus altare vacuum fuisse.

9. *Atrium*. Atrium hoc factum est ut undequaque ambiret tabernaculum et altare holocaustorum, tum ornatûs, tum reverentiæ causâ.

Tentoria. Atrium a lateribus per circuitum ambiebatur tentoriis, id est, velis vel aulæis, hæcque vela erant parietum instar ipsi atrio.

10. *Et columnas*. De quibus vela sive tentoria suspenderentur.

Capita cum cælaturis. Hebr. et chald. *argentea erunt capita columnarum*, *cum cincturis*, vel *circulis*, quæ scilicet circa columnas filis argenteis ducentur; neque enim cælaturæ erant incisiones aut sculpturæ, sed laminæ tenues ambientes, vel fila ambientia capita columnarum.

14. *Quindecim cubitorum tentoria*. Facies orientalis atrii in medio habebat spatium viginti cubitorum, quod portæ instar habebat. Hinc et inde relinquebatur spatium quindecim cubitorum, quod suas habebat columnas et tentoria, sive vela.

16. *Tentorium cubitorum viginti*. Quod portæ atrii oppansum, quasi januæ vicem impleret.

17. *Argenteis laminis*. Circulis, sive filis, ut explicatum est n. 10.

19. *Et cæremonias*. Hebr. *in omnem cultum cæremonialem ad colendum Deum*.

Paxillos. Columnis infixos ad vela seu cortinas sustinendas. Alii putant paxillis terræ infixis cortinas funibus alligatas ne agitarentur.

20. *Piloque contusum*. Oleum vel sit sponte fluens ex olivis, vel pilo contusum, non prælo aut molâ expressum, quod amurca et fæcibus plenum est.

21.

21. *Tabernaculo testimonii.* Quia scilicet tabernaculum continebat legem quæ erat testimonium voluntatis et fœderis divini.

Testimonio. Arcæ continenti testimonium.

Usque mane. * Vide dicta cap. 25. 37.

Successiones. Hebr. *generationes.*

CAPUT XXVIII.

Describuntur vestes pontificis et minorum sacerdotum.

1. APPLICA. Accedere fac, ut est in hebræo.

Aaron fratrem tuum. Ut eos sacerdotes consecres, et vestibus sacerdotalibus induas.

2. *Vestem sanctam.* Enallage; pro vestes sanctas, vestes sacerdotales.

In gloriam et decorem. Sacerdotum, et sacerdotalium munerum.

3. *Sapientibus corde.* Artificibus peritis.

Spiritu prudentiæ. Latè sumitur prudentia, ut etiam artem et peritiam mechanicam significet. Hi artifices erant Beseleel et Ooliab, de quibus c. 35, n. 30 et 34. Vocatur spiritus prudentiæ, quia erat prudentia a Deo aspirata.

6. *Superhumerale.* Quod hebraicè dicitur אפוד *ephod*, id est, pallium sive extima vestis, quæ aliis superinduitur. LXX ἐπωμίδα appellant, quod idem significat quod superhumerale.

Purpurâ coccoque. Hæc c. 25 explicata sunt.

Opere polymito. Id est, opere variorum colorum et liciorum. LXX vocant opus textile variis distinctum coloribus; erat enim ephod pontificis textum ex stamine byssino et subtegmine tricolori, videlicet hyacinthino, coccineo et purpureo intermixtis filis aureis. Aliud erat ephod lineum purum, quo utebantur inferiores sacerdotes, taleque fuit ephod Samuelis, 1. Reg. 2. 18, et sacerdotum a Saule occisorum, 22. 18, et tali etiam usus David saltans ante arcam, 2. Reg. 6. 14.

7. *Duas oras.* Super utramque humeri partem, ut per eas commodiùs pontifex posset caput inserere et ephod induere, quo cùm erat indutus, tunc oræ illæ fibulâ nectebantur.

Summitatum. Quia non sub axillis, sed in summo ephod super humeros erant.

9. *Lapides onychinos.* Ita vertunt passim; LXX tamen habent, *smaragdos;* Josephus, *sardonycas;* Arias

Montanus putat esse *beryllos*. Vide dicta Gen. 2. 12; est enim hic eadem vox hebræa שהם *scoam*.

10. *Sex nomina in lapide uno*. Onychi dextero insculpta erant hæc nomina Ruben, Simeon, Judas, Dan, Nephthali et Gad; sinistro, Aser, Issachar, Zabulon, Ephraim, Manasses et Benjamin. Nomen Levi inter duodecim tribus non numerabatur, sed ipse sacerdos, ut pote levita, per se suam tribum repræsentabat.

11. *Cælatura gemmarii*. Hebr. *apertionibus sigilli*; hoc est, ad eum modum quo in gemmis, quibus utimur pro sigillo, symbola et characteres describuntur.

12. *Memoriale filiis Israel*. 1. Ut meminisset pontifex ac populus fidei probæque vitæ duodecim patriarcharum, eamque imitarentur; 2. ut recordaretur in orationibus duodecim tribuum quæ ex illis patriarchis prognatæ; 3. ut meminisset pontifex et pectore et humeris portandum populum: pectore, per amorem et charitatem; humeris, per tolerantiam earum molestiarum quæ pontificalem curam comitantur.

13. *Uncinos ex auro*. Ut per eos et catenulas rationale alligaretur superhumerali, ipsi nimirum ephod.

14. *Sibi invicem cohærentes*. Cujus scilicet circuli, sive annuli, ex quibus catenula conflatur, invicem innexi cohæreant.

15. *Rationale quoque*. Hæc est secunda vestis pontificis. Dicebatur ab Hebræis חשן *chosen*, a Græcis, λόγιον, a Latinis, *rationale*. Sic autem appellabatur, quia pontificem et populum admonebat eorum quæ summa prudentia et ratione ipsis in suo officio, sacrificiis et sacerdotio consideranda erant, quæque significabantur per nomina filiorum Israel, perque *urim et tummim*, id est, per *doctrinam et veritatem*, quæ rationali inscripta erant. Secundò sic appellabatur, quia rationale hoc dabat oracula quasi mente aut ratione provida et prophetica præditum foret.

Judicii. Judicii nimirum partim humani, partim divini. Humani, hoc est, debiti et officii sacerdotis, et populi Israel, cujus, ut dixi, eos admonebat. Divini, quo scilicet Deus per pontificem consultus, oraculum per rationale edebat, quod oraculum sententia et judicium Dei erat.

16. *Quadrangulum erit*. Omni ex parte æquilaterum.

Et duplex. Ex duplici tela constans, ad hoc, ut sustinere possit gemmas in eo collocandas.

17. *In primo versu erit lapis sardius*. LXX etiam ipsi sardium vocant. Plinius appellat *sardam*. Sic dicta

est gemma a Sardibus Lydiæ urbe, ubì primùm inventa est rubei coloris. Arias Montanus putat sardium esse eam gemmam quam nos appellamus *rubino*.

Topazius. Gemma virens, de qua vide Plin. lib. 27, cap. 8. Non semel hæc gemma laudatur in Scripturis.

Smaragdus. Et hæc est virens gemma. Vide Plin. 27, cap. 5.

18. *Carbunculus*. Ita dictus quòd igniti carbonis speciem referat. Vide Plin. lib. 27. c. 7.

Sapphirus. Gemma cærulei ac cœlestis coloris; subinde tamen hæc gemma aureis punctis collucet, vel etiam purpurascit. Vide Plin. lib. 27. c. 9.

Jaspis. Hujus multæ recensentur species; primaria tamen species, quæ *grammatias* vel *polygrammas* dicitur, virens est, affinisque smaragdo. Vide Plin. lib. 27. c. 9.

19. *Ligurius*. Ita etiam LXX. D. Hier. Epist. ad Fabiolam, *lyncurium* appellat. Non satis constat quænam sit hæc gemma; qui veriùs loquuntur, succini speciem esse dicunt.

Achates. Ab Achate Siciliæ fluvio sic dictus hic lapis, in quo primò inventus: gemma est satis vulgaris, et mira in coloribus varietas. Vide Plin. 27. c. 10. Italicè appellamus *agata*.

Amethystus. Purpurea vel violacea gemma, vel potiùs mixtam habens violam purpuræ. Ita apellata, quòd ebrietatem prohibere credatur. Vide Plin. 27. c. 9, qui aliam etymologiam affert.

20. *Chrysolithus*. Lapis aurei coloris, ut nomen indicat. Vide Plinium ibid.

Onychinus. Gemma humani unguis coloris et candoris. Vide dicta Genes. 2. n. 12.

Beryllus. Gemma viridis, sed cum pallore. Vide Plin. lib. 27. c. 5. Harum gemmarum mysteria difficile est assequi. Vide tamen multa apud Cornelium a Lapide.

21. *Habebuntque nomina*. Ipsa nomina characteribus descripta, non quod existimavit Prado in c. 1. Ezech. pag. 45. symbola, seu insignia cujusvis tribûs. Italicè dicimus *l'arme*.

22. *Catenas*. De quibus n. 13.

26. *Facies et duos annulos*. Hoc versu 26, et duobus sequentibus describitur ligamen rationalis cum ephod per quatuor annulos qui erant in extremitatibus rationalis, per quos trajecta vitta hyacinthina adstringebat rationale cum ephod, in quo pariter aptè respondentes annuli erant inserti.

13.

Et posteriora ejus aspiciunt. Posteriora, id est, interiora; pars enim anterior exterior erat, et visu patens; posterior verò interior, abscondita et tecta.

27. *Contra faciem juncturæ.* Hebr. *e regione juncturæ ejus super texturam ingeniosam ephod.*

29. *Super pectus suum.* Hebr. *super cor suum.*

30. *Doctrinam et veritatem*, Heb. אורים ותמים *urim, vetummim.* Juxta varias derivationes significant sive *doctrinam et veritatem*, ut noster habet interpres; vel *illuminationes et perfectiones.* Videntur hæ duæ voces scriptæ fuisse in rationali, et significasse doctrinæ splendorem, et integritatem vitæ quæ in pontifice, qui pastor, doctor et princeps erat, requirebantur.

Gestabit judicium. Id est, rationale judicii.

31. *Tunicam superhumeralis.* Hæc est tertia vestis pontificis.

32. *Capitium.* In hebr. est, *os capitis*, id est, apertura, sive foramen in summo, per quod caput transmittatur.

Ora per gyrum. Ora hæc erat fimbria, vel limbus aperturæ jam dictæ, sive capitii latera, ne rumperentur, tegens et firmans per circuitum.

Textilis. Non acu facta, sed opere textili.

33. *Mixtis in medio tintinnabulis.* Erant alternatim sita malum punicum et tintinnabulum; hæc erant ex auro, illa ex hyacintho, etc. Aliqui aiunt fuisse 72 tintinnabula, et totidem mala punica. Ita S. Hier. et Isidor.

35. *Et non moriatur.* Si secus fecerit, si non paruerit.

36. *Laminam.* Lamina hæc affixa erat tiaræ in fronte pontificis.

Sanctum Domino. Hebr. קדשל יהוה *codescle Jehova, sanctitas Jehova*, quasi dicat: Deus sanctissimus est, imò ipsa sanctitas. Colendus ergo ritè, sanctè et religiosè.

37. *Super tiaram.* Hyacinthinam secundum Josephum.

38. *Quæ obtulerunt.* Quasi dicat, commissas, dum non ritè offerunt seque non sanctificant ut debent. Vel eorum pro quibus ipsi Deo sacrificia obtulerunt. Portat autem pro iis supplicaturus, et satisfacturus in Christi figuram.

Ut placatus sit eis Dominus. Hac enim quasi protestatione laudis et sanctitatis Dei, hocque actu latriæ et obedientiæ, vel maximè exorabit Deum ut populo reconcilietur; et hoc modo portabit et auferet peccata populi.

39. *Stringesque tunicam byssa.* Est quarta vestis sacerdotalis, scilicet tunica linea et stricta. Hanc tuni-

cam jubet stringi bysso, id est, zonâ byssinâ, quam Josephus ait fuisse latam quatuor digitos, et ita contextam, ut serpentis exuvium videri posset, et floribus varii coloris picturatam.

Tunicam. Factam ex bysso, strictam, sinè rugis, aut sinibus, ad crura tantùm usque demissam secundum S. Hier. qui tamen eam poderem vocans, ad talos usque descendisse significare videtur.

Tiaram. Ea est quæ etiam cidaris dicitur et mitra. Tiara pontificis capitis erat integumentum aliquantulùm assurgens, et fasciâ seu vittâ circumdatum, ut olim mos regibus et sacerdotibus.

Et balteum. Zonam extimam, quæ superhumerale et omnes alias vestes cingat.

Opere plumarii. Vide supra, c. 26. 1.

40. *Porro filiis Aaron.* Hìc numerantur vestes minorum sacerdotum, quæ erant quatuor: feminalia, tunica linea, zona, tiara. Carebant ergo tunica hyacinthina, ephod, rationali, et lamina aurea cum nomine Domini, quam habebat pontifex.

41. *Consecrabis manus.* Hebr. *implebis*, scilicet dans in manus quod offerant. Id enim fiebat in sacerdotum consecratione : sensus ergo est, consecrabis eos in sacerdotes.

42. *Feminalia.* Linea ex bysso retorta, ut vult Josephus.

A renibus usque ad genua. Inclusivè. Ideo instituta feminalia, ne, si cadere sacerdotem contingeret, revelaretur turpitudo ejus, ut loquitur Scriptura.

43. *Legitimum sempiternum.* Lex perpetuò servanda Aaroni et posteris ejus.

CAPUT XXIX.

Ritus consecrationis pontificis et sacerdotum. Præscribitur juge sacrificium agni, tam mane quàm vespere quotidie immolandi.

1. *In sacerdotio.* Ad sacerdotis functiones.

Immaculatos. Integros, non claudos, non oculo uno carentes, etc.

2. *Crustulam.* Placentam.

Quæ conspersa sit oleo. Hebr. *quæ commista sit oleo*, cùm scilicet subigeretur.

Lagana quoque. Lagana sunt liba tenuia, aquâ commista cùm subiguntur, sed cùm offeruntur, in oleo frixa.

3. *Vitulum autem et duos arietes.* Offeres, id est, sistes et applicabis ad tabernaculum, ut postea immolentur, de quo n. 10.

5. *Vestimentis suis.* Feminalium hìc nulla fit mentio, quia jam ea induerant Aaron et ejus filii, ut honestè lavarentur, ait Beda.

7. *Oleum unctionis.* Hoc peculiare fuit summi sacerdotis, ut oleo unctionis in capite ungeretur; nam de minoribus sacerdotibus nihil tale legitur.

Super caput ejus. Depositâ tiara. * Unctio hæc peculiariter fiebat in fronte decussim formando sive χιασμὸν. Ita rabbini.

9. *Initiaveris manus eorum.* Oleo inungens. Caput tantùm pontificis; manus etiam minorum sacerdotum inunguntur.

10. *Imponentque... manus.* Ut hoc ritu contestentur se peccatores, et peccata sua vitulo imponere; illumque ut victimam pro suis peccatis offerre, ut sic emundati digni reddantur qui pro aliorum peccatis intercedant et sacrificent.

11. *Mactabis eum.* Tu Moses; nam etiam Moses sacerdos, licèt visibili initiatione consecratus non esset. Itaque legimus in Ps. 98. 6: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.*

13. *Et offeres incensum.* Hæc omnia thuris instar accendes et adolebis, ut evaporent in fumum, et incendantur in honorem Dei. Adeps ergo et renes vocantur *incensum*, id est, victima incensa.

14. *Extra castra.* Ratio cur hæc omnia extra castra comburenda sint redditur, quòd hostia sit pro peccato, non quòd omnis hostia pro peccato eo modo combureretur, sed quòd hostia pro peccato summi sacerdotis, aut pro multis, quorum unus ipse esset, hoc modo comburi debeat, ut patet Levit. 4.

16. *Fundes circa altare.* Hoc est, super ipsum altare per circuitum, ut habetur paulò post in hostia pacifica; nam eadem et hìc et ibi in hebræo sunt verba.

18. *Oblatio est Domino.* Hebr. *holocaustum est Domino.*

Odor suavissimus. Hebr. *odor quietis*, in quo scilicet suavissimè et jucundissimè odoratus conquiescit.

Victimæ Domini. In consecratione hac Aaronis, et filiorum in sacerdotes, oblatum fuit omne genus sacrificiorum, scilicet holocaustum, et pacificum, et pro peccato; ad illa enim offerenda ordinabantur et consecrabantur ipsi. Nam aries unus primario oblatus est in

holocaustum, licèt et comitanter pro peccatis offerretur; alter aries oblatus est in hostiam pacificam : vitulus denique oblatus est pro peccato.

19. *Arietem alterum*. Hic est aries qui offertur in victimam pacificam, ut scilicet prospere sacerdotium novi sacerdotes susciperent; utque illud eis et populo pacificum, id est, faustum et fortunatum foret.

20. *Quem cùm immolaveris*. Cùm jugulando sacrificaveris Deo. Nam postea aries hìc ad plenam sacrificii consummationem comburendus erat.

Et pones. Sanguinem scilicet arietis.

Et super pollices manus eorum. Pollex tantùm manus dextræ singulis sanguine aspergebatur, quod clariùs habetur in textu hebræo, in quo legimus : *Et super pollicem manus eorum dexteræ, et super pollicem pedis eorum dexteri*.

21. *De oleo unctionis*. De cujus compositione cap. 30. n. 23.

Asperges. Oleo scilicet et sanguine, vel seorsum acceptis, vel, quod probabilius videtur, simul mixtis.

22. *Et caudam*. Siquidem cùm sacrificium pacificum esset ex ovina specie reliquis addebatur et cauda in altari cremanda, cùm in cæteris victimis cauda non cremaretur in altari.

Eò quòd sit aries consecrationis. Redditur ratio cur armus dexter hìc comburi jubeatur, cùm alioqui in aliis pacificis non combureretur, sed in partem ipsius sacerdotis cederet cum pectusculo, qua de re vide Levit. 7. 10; sed nimirum hìc indicatur id peculiare fuisse huic victimæ consecrationis, ut armus ipsius dexter absumeretur.

23. *In conspectu Domini*. Coram altari holocaustorum.

24. *Sanctificabis eos elevans*. Hæc sacerdotum sanctificatio non erat aliud quàm elevatio manuum eorum cum muneribus facta per Mosen, qua elevatione significabatur munera illa ad Deum pertinere, ac deinceps similia Deo sanctificanda esse, et offerenda per manus sacerdotum.

26. *Quo initiatus est Aaron*. Qui scilicet aries immolatus est pro felici consecratione Aaron.

27. *Sanctificabisque et pectusculum*. Id est, offeres pectusculum Deo.

Et armum. Statuitur lex generalis de sacrificio pacifico, non eo quod hìc offertur pro consecratione sacerdotum, sed de omni eo quod in posterum oblaturi erant filii Israel, ut scilicet ex eo pectusculum, et armum dent sacerdotibus, sicut ipsi sacerdotes in suo hoc sacrificio utrumque dederunt Deo.

28. *Quia primitiva sunt et initia.* Quia hæc sunt partes primæ quæ initio e victima pacifica separantur Deo, Deique nomine offeruntur sacerdoti.

29. *Vestem autem sanctam.* Vestes pontificis sanctis usibus deputatas mortuo patre pontifice accipiet filius senior qui patri in pontificatu succedet, ut iis indutus ungatur et consecretur pontifex. Unctio et consecratio novi pontificis fiebat ab aliquo e minoribus sacerdotibus; neque enim erat major aliquis, qui illum consecraret.

30. *Septem diebus.* Septem continuis diebus quibus durabit ritus consecrationis, nec poterat septem illis diebus consecrandus a tabernaculo recedere. Lev. 8. 33.

31. *In loco sancto.* In atrio ante tabernaculum, igne ex altari sumpto.

32. *Qui sunt in canistro.* Id est, qui reliqui sunt; neque enim omnes impositi fuerunt manibus sacerdotum.

33. *Ut sit placabile sacrificium.* Sensus est secundum Hebr. quòd sit sacrificium per quod expiatio facta sit, et manuum sacerdotum consecratio; seu, ut Deus ostendat se hoc sacrificio placatum, quandoquidem eos tam benignè ad mensam suam, hoc est, ad suas victimas invitatos admittat.

Sanctificentur offerentium manus. Et contactu hujus sancti cibi, et ex hac cæremonia, sanctoque convivio, magis quodammodo consecrentur et sanctificentur manus eorum.

Alienigena. Qui non est de stirpe Aaron, etiamsi sit de stirpe Levi.

Quia sancti sunt. Quia scilicet hi panes Deo oblati sunt pro consecratione, non levitarum, sed sacerdotum.

34. *Quia sanctificata sunt.* Eodem die absumi volo, ne aliqua circa illa irreverentia contingat, ne, si in posterum reservata, ad profanorum manus fortè veniant, aut cùm incipiant putrescere et male olere, projiciantur.

35. *Septem diebus.* Præcipitur ut in consecratione sacerdotum per septem dies hæc quatuor quotidie fiant : 1. ungantur manus sacerdotum; 2. immoletur vitulus; 3. mundetur altare; 4. ungatur altare.

36. *Mundabisque.* Expiabis oblato vitulo.

Unges illud in sanctificationem. Ut sit consecratum.

37. *Sanctum sanctorum.* Sanctissimum.

Sanctificabitur. Sanctificetur, sanctificari debet, vel, nemo debet accedere sacra facturus, qui ritè et statutâ cæremoniâ consecratus non sit.

38. *Hoc est quod facies.* Quasi dicat : In hunc maximè

usum volo altare erigi, ut in eo juge sacrificium duorum agnorum in holocaustum offeratur.

* 39. *Vespere.* Id est, horâ nonâ, ut explicat Josephus lib. 14., c. 8. Antiquitatum judaicarum. Matutino et vespertino sacrificio agnoscitur Deus noctis et diei creator.

40. *Decimam partem.* Scilicet ephi, nempe gomor.

Tuso. Tundendo expresso, non torculari.

Hin. Continet hin 12 login. Login verò quantùm sex ova Palæstinæ, quæ majora sunt nostris, diciturque a Hieronymo sextarius; est autem hin mensura ægyptiaca. Uno verbo hin continet 72 ova.

41. *Ad vesperam.* Hebr. *inter duas vesperas.* Vide supra, c. 12. n. 6.

42. *Ad ostium tabernaculi.* Supra altare holocaustorum.

Coram Domino. Coram tabernaculo.

Ubì constituam ut loquar ad te. Ex quo patet Dominum etiam respondisse ad ostium tabernaculi, non tantùm de propitiatorio in Sancto Sanctorum.

43. *Præcipiam filiis Israel.* Per te internuntium meum.

Sanctificabitur altare in gloria mea. Sanctum declarabitur altare, cùm gloria mea circa illud apparuerit; ac præsertim cùm ignem de cœlo mittam ad absumenda sacrificia. Levit. 9. 24.

44. *Sanctificabo et tabernaculum.* Sanctum declarabo, et ut sanctum a profanis tuebor.

45. *Habitabo in medio.* In tabernaculo meo, quod est inter filios Israel.

CAPUT XXX.

Describitur altare thymiamatis; in censu populi jubetur quisque solvere sicli dimidium : jubetur fieri labrum æneum ad lotiones sacerdotum : describitur compositio unguenti quo ungendi sunt sacerdotes, et vasa sacra, compositio etiam thymiamatis quod adolendum erat in altari thymiamatis.

2. QUADRANGULUM. Quadratum, æquis lateribus.

Cornua ex ipso procedent. Ex tigillis quatuor angularibus officio pedum fungentibus surgebant in obelisci, aut, ut alii volunt, in pomi modum, affabrè elaborata.

3. *Craticulam.* Hebr. *tectum*, vel *operimentum ejus.* Craticula hæc erat reticulata, ut per ejus foramina thymiamatis, sive aromatum incensorum cinis decidens in

humum sub altare delaberetur. Non tamen immediatè superponebatur craticulæ thymiama incendendum; alioquin auream craticulam vis ignis solvisset, sed in æreo thuribulo, quod craticulæ ipsi imponebatur. Levit. 10. 1.

Faciesque ei coronam. Limbum, vel circulum: italicè dicimus *cornice*. Vide dicta c. 25. 25.

Aureolam. Auream.

6. *Contra velum.* Quod dirimit Sanctum a Sancto Sanctorum.

Arcam...testimonii. Testamenti: dicitur testimonii, quia in ea erant tabulæ legis, quæ est quædam voluntatis Dei testificatio.

Tegitur testimonium. Tegitur ipsa arca.

8. *Thymiana sempiternum.* Quod singulis diebus manè semel, et semel vespere adolendum sit jugiter.

9. *Compositionis alterius.* Alterius scilicet quam præscribam vobis num. 34.

10. *Deprecabitur.* Hebr. *expiabit;* agitur enim jam de anniversaria altaris expiatione.

In sanguine. Cum sanguine.

Quod oblatum. Qui oblatus est.

Placabit. Expiabit, vel placabit Aaron pontifex Deum.

Super eo. Scilicet altari.

In generationibus vestris. Id est, qui ritus expiationis servabitur futuris deinceps semper generationibus.

Sanctum sanctorum. Sanctissimum altare, sanctissimus ritus expiationis.

12. *Tuleris summam.* Populum numerabis, censum inibis.

Pretium pro animabus suis. Quo scilicet animam suam, id est, vitam suam a Domino quodammodo redimant, ne scilicet interficiantur, si tributum hoc pendere negligant, quod accidit, 2. Reg. ult. in censu quem imperavit David, in quo cùm servata non esset lex hæc tributi, ut notat Josephus 7 Antiq. c. 10, septuaginta hominum millia peste ceciderunt.

Non erit plaga. Ut tempore Davidis accidit.

13. *Omnis qui transit ad numerum.* Hebr. *omnis qui transit ad numeratos*, cujus scilicet nomen recensetur.

Dimidium sicli. Siclus moneta usitatissima Hebræis, quæ et stater dicebatur. Pondus sicli erat quatuor drachmarum atticarum, et æquivalebat quatuor regalibus hispanicis, quod intellige de argenteo. Nam erant etiam siclus aureus et æreus paris omnes ponderis, sed pro materia inæqualis pretii.

Juxta mensuram templi. Quod dicitur, quia in sanc-

tuario quasi in loco sacro et tuto servabatur siclus justissimi ponderis, ad cujus normam reliqui omnes examinarentur, si opus esset, ne fraus aliqua irreperet.

Viginti obolos habet. Judaicos scilicet; nam atticos habebat 24; tot enim obolos efficiunt drachmæ quatuor atticæ, quas valet siclus.

15. *Dives non addet.* Pretium æquale in censu solvent dives et pauper, vel ut ex siclis constet populi numerus, vel ne dives præ se pauperem, quòd minùs dederit, despiciat, vel etiam quia æquè pretiosa apud Deum pauperis vita quàm divitis, et pro illius acceptæ beneficio pares gratias omnes referre debemus.

16. *In usus tabernaculi.* Cujus sumptus magni erant, majores etiam templi, in fabrica tam ampla, in alendis et vestiendis sacerdotibus, etc.

Ut sit monumentum eorum coram Domino. Ut per hoc Deus vestrî recordetur, sitque vobis propitius.

18. *Labrum.* Hebr. *concham.* Erat hoc vas factum ad aquam continendam, qua lavarentur primò sacerdotes, antequam ad sacra accederent; secundò partes victimarum quæ immolabantur. Positum erat inter Sanctum et altare holocaustorum.

19. *Lavabunt in ea.* Aqua nimirum per fistulam effluente.

Manus suas ac pedes. Sacerdotes nudis pedibus in tabernaculo ministrasse docet Ribera, * de Templo lib. 2. c. 16, cum aliis.

21. *Ne fortè moriantur.* Si hanc lotionis cæremoniam negligant.

Legitimum. Lex erit æterna semper servanda.

23. *Primæ myrrhæ et electæ.* Myrrha prima, hoc est, præstantissima, aut quæ prima defluit e cortice, quæ appellatur stacte ἀπὸ τῦ στάζειν, a distillando. In hebræo est, *myrrha libertatis*, seu, *myrrha libera*, quæ scilicet libere, sponte erumpit et defluit: est quasi quidam myrrhæ flos.

Calami. Odorati, sive aromatici, de quo Theophrastus l. 9 Hist. plant. c. 7; Plin. l. 12. c. 22; Galen. lib. 8. medicam. Simpl. Dioscorid. lib. 1. cap. 17.

24. *Casiæ.* D. Hier. ad Principiam censet casiam esse illam quæ σύριγξ, hoc est, fistula casiæ nominatur, quòd fistularum, vel cannarum speciem referat; italicè *canella.* Vide Dioscorid. l. 1. c. 12, qui ejus plures species recenset.

Mensuram hin. De qua dictum cap. 29. n. 40.

25. *Opere unguentarii.* Juxta artem myropolarum, pigmentariorum, seplasiariorum.

29. *Erunt sancta sanctorum.* Erunt sanctissima ex hac consecratione.

Sanctificabitur. Sanctificetur : fortasse etiam hìc *sanctificabitur* significat culpam contrahet, hoc sensu : si quis non initiatus ea contrectare ausus fuerit, noxam contrahet; nam sanctificari aliquando in Scriptura idem est ac pollui : culpâ polluetur. Vide Deut. 22. 9, et Aggæi 2. 13.

31. *Sanctum erit mihi.* In usus solùm sanctos ad meî cultum assumetur. Chald. *sanctum erit coram me.* LXX, *sanctum erit vobis.* In lingua hebræa sæpe abundat *mihi ;* dicunt enim, *ito mihi*, pro *ito* : sic Isaiæ 6. 7, *quis ibit nobis ?* pro *quis ibit ?* Ita hìc, *sanctum mihi erit*, pro *sanctum erit*, vobis scilicet et apud vos.

32. *Caro hominis.* Nullus hominum, vel nulla pars hominis : quidam reges excipiunt, qui oleo ungebantur ; sed hi oleo communi, non oleo unctionis, ut loquitur Scriptura, aut sancto quo pontifices.

33. *Alieno.* Alicui qui non sit sacerdos, vel generis sacerdotalis.

Exterminabitur. Interficietur.

34. *Stacten.* Vide supra, hoc cap. n. 23.

Onycha. Unguentum odoratum, de quo Dioscor. lib. 2. c. 8.

Galbanum. Succus est (ait Dioscor. l. 3. c. 8) ferulæ nascentis in Syria, quem nonnulli metopium vocant.

Boni odoris. Aromaticum, selectum, odoratum.

35. *Thymiama.* Aromaticum suffimentum.

Sanctificatione dignissimum. Tam diligenter exactèque compositum, ut dignum sit quod Deo sanctificetur, id est, adoleatur, offeratur, incendatur.

36. *Coram tabernaculo testimonii.* Coram Sancto Sanctorum in altari thymiamatis.

In quo loco. Tabernaculo jam dicto, Sancto scilicet Sanctorum.

Sanctum sanctorum. Hoc est, sanctissimum.

38. *Fecerit simile.* Thymiama.

Peribit de populis suis. Hebr. *exscindetur de populis suis*, interficietur, perdet illum Deus.

CAPUT XXXI.

Beseleel et Ooliab designantur a Deo architecti tabernaculi. Deus iterat et inculcat præceptum cultûs sabbati, datque Mosi duas tabulas legis lapideas.

2. *Vocavi ex nomine Beseleel.* Ego Deus nominatim præ cæteris omnibus delegi Beseleel.

Filii Hur. Hur iste avus Beseleel videtur fuisse ille de quo c. 17. 12, et 24. 14; ideoque non processit Moses in genealogia Beseleel, et nullum ultra Hur nominavit, quòd Hur ex supra dictis satis esset cognitus.

3. *Spiritu Dei.* Spiritu meo, vel spiritu excellenti. Porro spiritus Dei est qui sequitur, videlicet sapientia, intelligentia et scientia in omni opere fabrili.

6. *In corde omnis eruditi.* Peritis artificibus minoribus et inferioribus dedi etiam industriam suam et peritiam, ut juvent Beseleel et Ooliab in fabrica tabernaculi.

13. *Sabbatum.* Hebr. *sabbata*, quasi dicat : Nolo tamen illa quæ præcepi fieri diebus festis.

In generationibus vestris. Ætatibus, quamdiu vixeritis.

Qui sanctifico vos. Qui scilicet ad cultum meum applico, mihique quasi dico et consecro per hanc festivitatem meam sabbati, ut in ea sanctè me colatis.

14. *Sanctum est enim.* Sanctè colendum.

Peribit. Judicis sententiâ, aut alioqui Deo vindicante.

15. *Requies sancta Domino.* Ad colendum Dominum.

16. *Pactum est sempiternum.* Lex perpetuò duratura, dum status veteris legis durabit.

17. *Ab opere cessavit.* Hebr. *respiravit a labore.* Loquitur more humano.

18. *Duas tabulas testimonii.* Decalogi, sive legis, quæ testimonium est divinæ voluntatis.

Digito Dei. Opera Dei aut angeli Deum referentis, non hominis.

CAPUT XXXII.

Ob vitulum adoratum Moses Deum precatur, tabulas frangit, vitulum comburit, et Aarone objurgato idololatras occidi jubet, cæterisque veniam impetrat.

1. *Fac nobis deos.* Deos, id est, deum; unum enim tantùm petierunt, et Aaron unum dando, eorum satisfecit postulato.

Qui nos præcedant. Habebant columnam, sed quia Mose in monte moras trahente, et ipsa steterat, cupido illos incessit novi alicujus dei, quem ducem sequerentur.

Moysi enim huic viro. De Mose contemptim loquuntur quasi de quopiam e vulgo, et non cognito.

2. *Tollite inaures aureas de uxorum.* Postulat inaures quas viros a mulieribus ægre, ac ne ægre quidem impetraturos sperabat, ut sic a malesano proposito avertat.

4. *Vitulum.* Aliqui patres putant tantùm vituli caput effictum: ita D. Cypr. lib. de Bono patientiæ, sub finem; Ambr. ep. 62; Lactant. lib. 4. 10; August. in psalm. 73; Hier. in Amos 5, et alibi sæpe. Fuit verò hic vitulus Apis ægyptius bos, alio nomine Serapis dictus.

5. *Ædificavit altare coram eo.* Idolo vituli.

Solemnitas Domini est. Pro *Domini* in hebræo est nomen tetragrammaton, quod nomen etsi soli Deo debitum, tamen Aaron, jam peccato lapsus, idolo tribuit. Sic Judic. 17 et 18, idem nomen ab idololatris sculptilibus tribuitur, et Sap. 14. 21, legimus: *Incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.*

6. *Manducare.* Ex hostiis pacificis vitulo immolatis, ita ut festum communi et sacro convivio celebrarent.

Surrexerunt ludere. Saltando, canendo, choros agendo; hos enim descendens e monte vidit Moses, num. 19.

7. *Populus tuus.* Non jam meus, qui me tam graviter offendit.

10. *Dimitte me.* Quasi dicat: Desine diligere; dilectio enim tua impedit ne deleam; dicit verò id non præcipiendo, sed monendo, et exprimendo quid illum a supplicio revocet. Aug. in Exod. q. 149. Chald. vertit, *Intermitte deprecationem*, qua scilicet prohibeor, et quæ mihi quodammodo manus ligat. Vel etiam cùm ita Dominus Mosen affatur, rogandi occasionem præbet. *Quid est aliud*, ait S. Greg. *dimitte me*, *quàm deprecandi ansam præbere?*

Faciamque te in gentem magnam. Non tam ex te nascituram quàm tibi subjiciendam, et te duce gubernandam. Id patet Num. 14. 12, ubi similis promissio iteratur Mosi his verbis: *Te autem faciam principem super gentem magnam.*

12. *Callidè.* Hebr. *cum malitia*, vel, *cum malignitate.*

Eduxit eos. Ut scilicet eis malefaceret, eosque perderet in deserto.

Esto placabilis. Hebr. *pœniteat te super malo.*

14. *Placatusque est Dominus.* Ne scilicet deleret populum, ut destinarat; sed ut aliâ plagâ castigaret, de qua n. ult.

15. *Scriptas ex utraque parte.* Ab utroque latere; neque enim erant ita magnæ, cùm eas Moses manu ferret et eas arca caperet; litteræ tamen magnæ ut eminus legi possent. Sunt qui putent utroque in latere totum decalogum descriptum, ut legi posset ab utraque parte consistentibus et Mosen circumdantibus Hebræis.

19. *Projecit..... et confregit.* Zelo adversus publicam impietatem incitatus, et absurdum ratus, si legem Dei populo ebrio, legemque tam nefariè per idololatriam infringenti, afferre vellet.

20. *Combussit.* Vi ignis solvit, liquefecit.

Et contrivit. Hebr. *et moluit usque ad tenuitatem.*

Dedit ex eo potum. Fecit id Moses ex zelo, ut idolum suum vorarent apostatæ, et ut contemnere discerent quod ipsi suo ore hauriebant.

22. *Quòd pronus sit ad malum.* LXX, *tu nosti populi hujus* ὅρμημα, impetum, et quasi furentem impulsum, qui cùm in aliquam partem incubuerit, revocari facilè non potest. Itaque ego unus resistere non potui.

24. *Egressusque est hic vitulus.* Crimen verbis extenuat, ut leniat fratris iram, quasi non consilio et animi destinatione, sed casu quodammodo formatus fuisset vitulus.

25. *Nudatus.* * Inermis, spoliatus etiam inauribus, et quod majus est (nam inaurium facilis jactura), honore suo, opeque, et auxilio divino.

Spoliaverat enim eum Aaron. Tum armis, tum inauribus, tum divina ope, ut dictum est.

Propter ignominiam sordis. Propter idolum quod Hebræi stercus appellant, quia ut sordes et stercora abominanda sunt, ut dicitur Deut. 7. num. ult.

Inter hostes nudum. Hostibus expositum, et divino præsidio nudatum.

26. *Stans in porta castrorum.* In ingressu castrorum.

Si quis est Domini. Qui a partibus Domini stat, et honoris illius zelo fervet.

Omnes filii Levi. Plerique peccato non consenserant; aliqui tamen ex levitis Aaronem levitam peccantem secuti sunt. Nec parcitum levitis sontibus, nam dicitur n. 29: *Consecrastis manus vestras, etc., unusquisque in filio et in fratre suo, etc.;* eos nimirum cædendo. Cùm ergo dicitur *omnes*, intellige plerosque. Vel significatur omnes congregatos levitas fuisse.

27. *Occidat unusquisque*. Moses, dux populi, habebat jus gladii, et Domini accesserat jussio et voluntas.

29. *Consecrastis manus vestras*. Hinc enim levitæ meruerunt benedictionem et sacerdotium. Vide Deut. 33. 9.

30. *Si quo modo quivero eum deprecari*. Ut scilicet hac una cæde contentus, alias plagas non immittat.

32. *Dele me*. Quasi dicat: Non me delebis, dimitte ergo. Quidam hyperbolem esse volunt, expressionem scilicet affectûs maximi ad populum, non autem deliberati animi; sic Rachel, Genes. 30. 1: *Da mihi liberos, alioquin moriar*.

Libro. Scilicet prædestinatorum, vel de numero tuorum quos amas, quibus faves. S. Hier. ad Algas., et S. Greg. 10. Moral. c. 7, accipiunt de libro viventium non in cœlo, sed in præsenti vita, quasi dicat: Aut dimitte, aut occide.

34. *In die ultionis*. Tempore punitionis peccati, de qua statim num. seq.

35. *Percussit ergo Dominus*. Vel peste, vel aliâ plagâ quam Scriptura non expressit.

CAPUT XXXIII.

Minis Dei ad populum sedatis a Mose, populus peccatum suum deflet. Impetrat a Deo Moses ut non angelus, sed Deus ipse sit dux viæ. Optat etiam et postulat videre faciem et gloriam Domini.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen*. Qui jam ascenderat secundò in montem.

2. *Præcursorem tuî angelum*. Qui te in columna nubis præcedit. Alloquitur Mosen tanquam populi internuntium; quare oratio ad populum dirigitur.

3. *Non enim ascendam tecum*. Angelus qui te comitatur, jam non Dei, ut hactenus fecit, sed suam personam repræsentabit, nec ampliùs illustria illa patrabit miracula quæ Dei virtute et potestate patravit, tanquam Dei nomen et personam sustinens et repræsentans. Vel etiam sensus est: Volo a vobis separari et divertere, et tabernaculum illud meum quale sit, quod habeo apud vos, aliò transferre, quod factum hoc c. num. 7.

Populus duræ cervicis es. Cervicosus, inobediens, refractarius.

Ne fortè disperdam te in via. Loquitur humano more. Nolo coram intueri mores tuos; alius te ducat, ne fortè commotus

commotus aliquo tuo scelere, gravi aliquo malo a me mulcteris.

4. *Sermonem hunc pessimum*. Quo scilicet summa quædam calamitas prænuntiabatur.

Nullus ex more indutus est cultu suo. Vestis mutatio et squalor luctûs, pœnitentiæ et calamitatis argumentum est. Cultum verò vestium, ornamentorum, ac monilium, partim secum ex Ægypto detulerant, partim ex superiore pugna cum Amalecitis collegerant.

5. *Semel ascendam in medio tuî, et delebo te*. Vel conditionatè, vel comminatoriè dictum est; hoc est, si pergas impius et rebellis esse: vel dicitur propheticè, quòd prævideret Deus eos non semel delicturos et a se puniendos esse. Vel sensus est: si semel in te irruam, omnino delebo te.

Depone ornatum tuum. Quasi dicat: pergite ut cœpistis, eo cultu utimini qui pœnitentiam præ se ferat; vel quod dictum est num. 4. *nullus ex more, etc.*, dictum est per anticipationem.

Ut sciam quid faciam tibi, ut statuam an vobis parcere debeam. Ut decernam gravemne an levem pœnam infligere debeam.

6. *Deposuerunt ergo filii Israel*. Tum ex spontaneo suo luctu, tum præcepto Domini incitati.

A monte Horeb. Pro, ad montem Horeb, consistentes juxta montem Horeb.

7. *Tollens tabernaculum*. Non illud quod jussit Dominus fieri c. 26, et quod erectum narratur c. 40, in quo arca, etc.; hoc enim nondum fuerat excitatum; sed parvum quoddam tabernaculum, quò et Moses, et cæteri orationis causâ conveniebant. Hoc ergo tabernaculum Moses transtulit extra castra.

Tabernaculum fœderis. Quo postea nomine etiam appellatum est majus tabernaculum postea excitatum. Vocatur tabernaculum fœderis, quia in eo depositæ tabulæ legis.

8. *Surgebat universa plebs*. Reverentiam exhibens Mosi vices Dei gerenti, suoque capiti et rectori.

10. *Adorabant per fores tabernaculorum suorum*. Adorabat quisque Deum stans, vel potiùs procumbens in genua in ostio tabernaculi sui, convertendo se ad tabernaculum quod extra castra Moses extulerat, in quo angelus vice Dei cum Mose per columnam nubis loquebatur.

11. *Facie ad faciem*. Apparente angelo specie corporea et humana. Alloquebatur familiarissimè.

Puer. Non ætate, jam enim præfuerat bello contra Amalec. Phrasis est Scripturæ, quæ discipulos et famulos pueros vocat, quia minores et inferiores sunt magistro, vel hero. Vel puer dicitur, quia juvenis; sunt enim qui opinentur annum egisse 46, quæ ætas illo ævo intra juventutis fines erat. Adde diutius nomen pueri illis adhæsisse qui uxorem non duxissent, qualis Josue.

Non recedebat de tabernaculo. Ut sacrum locum quasi custodiret absente Mose, ut servaret legis tabulas; simul interim vacabat orationi et contemplationi.

12. *Non indicas mihi quem missurus es.* Dixerat Dominus : *Angelus meus præcedet te*, sed certum aliquem non designaverat. Petit ergo Moses sibi significari quisnam ille sit qui populum ducet, paulatimque eò progreditur ut omnes alios duces abnuat, solumque ipsum Deum ductorem velit, quod significant verba num. sequentis : *Ostende mihi faciem tuam*, quasi dicat : faciem tuam requirimus ; hæc nos ducat, et itinere præcedat.

Novi te ex nomine. LXX, *novi te præter omnes*, præ omnibus te elegi, et diligo, mihique places. Quos amat Deus phrasi Scripturæ nosse dicitur, ignorare quos rejicit.

13. *Ostende mihi faciem tuam.* Hebr. *ostende mihi viam tuam*, ut scilicet tu te ipso et facie tua viam nobis præeas et ostendas.

Ut sciam te. Ut cognoscam te mihi et populo placatum, propitium et præsentem.

14. *Facies mea præcedet te.* Ego ipse præcedam.

Et requiem dabo tibi. Ut inter medios hostes mea nixus præsentia et ope, securus quiescas.

15. *Si non tu ipse præcedas.* Ejus quod jam Dominus concesserat Moses confirmationem petit pluribus verbis, pro affectu erga populum.

17. *Et verbum istud, quod locutus es, faciam.* Expressiùs confirmo quod expressiùs petendo et repetendo postulasti.

18. *Ostende mihi gloriam tuam.* Loquebatur Dominus cum Mose voce corporea, sed ab eo ob caliginem non videbatur. Petit ergo ut, discussâ caligine, gloriam faciei suæ ostendat.

19. *Ostendam omne bonum tibi.* Hebr. habent, *transire faciam omne bonum meum ante faciem tuam ;* ostendam tibi meipsum, qui sum omne bonum; vel, ut alii explicant, ostendam tibi excellentissimum, pulcherrimum, perfectissimum quiddam. * An Moses divinam

essentiam viderit disputant scholastici theologi cum S. Thoma 1. p. q. 12, art. 11. Vide Vasquez in p. p. disp. 55. c. 2. Alii putant sensum esse : Ostendam tibi bona omnia quæ populo Israelis facturus sum.

Vocabo in nomine Domini. Cùm transibo ante te in petra absconditum et tectum, inclamabo, ut scias Dominum transire, meque respicias. LXX habent, *vocabo Dominus coram te.* Vel sensus est : transiens ego Dominus coram te, *vocabo in nomine Domini ;* hoc est inclamabo epitheta nominis Dei, dicendo ut dicitur cap. 34. 6 : *Dominator, Domine Deus, misericors et clemens, patiens et verax, etc.*, idque ut doceam te modum invocandi me, illisque epithetis compellandi.

Miserebor cui voluero. Ego transiens ante te, vocabo et inclamabo nomen Domini, dicendo. *Dominator, Domine*, aliaque Dei epitheta, sed maximè hoc : *miserebor cui voluero ;* hoc est, misericors, clemens, etc.

20. *Non poteris videre faciem meam.* Loquitur de facie corporea assumpta, qua se aliquatenus majestas et gloria Dei repræsentat, et videndam exhibet.

Non enim videbit me homo, et vivet. Fulgor majestatis faciei meæ tantus est, ut mortalis oculus illum ferre non possit.

22. *Protegam dexterâ meâ.* Dexterâ meâ nubem vel aliud corpus opacum opponam cavernæ in qua latebis, ne videas faciem meam, et vibrantibus faciei meæ radiis exanimeris.

23. *Videbis posteriora mea.* Cùm facies mea transierit, amovebo nubem quæ tegit te in cavernâ, ut tergum meum intuearis, in quo nimirum temperata erit lux.

CAPUT XXXIV.

Moses reparatis tabulis redit in montem : Deus coram eo transit. Renovat Deus fœdus cum Hebræis, legesque suas iterat. Tabulis a Mose allatis Deus decalogum inscribit. Redit Moses ad populum cornuta facie cum tabulis ; timet ac refugit populus, ideoque Moses verba facit velata facie.

3. *Boves quoque et oves non pascantur e contra.* E regione montis. Voluit hæc omnia Deus, ut duro et rudi populo suì timorem et reverentiam incuteret.

5. *Stetit Moyses cum eo.* Stetit Moses in caverna conditus et nube tectus, ut in fine superioris capitis jussus fuerat.

6. *Dominator*, *Domine*. Vel ita precabatur Moses, vel ita clamabat Dominus, Mosen admonens se transsire et ad orationem excitans. Vide dicta cap. superiori, n. 19.

Patiens. Hebr. *latis naribus;* qui enim sunt hujusmodi, faciliùs ferventem in præcordiis iræ spiritum efflant et placantur.

7. *Qui custodis misericordiam in millia*. Id est, qui benefacis sinè termino.

Nullusque apud te per se innocens est. Omnes enim egent Dei misericordia. Posset verti ex hebræo, *nullumque innoxium derelinques*, penes quem nullus vacat culpa, vel pœna, si fuerit meritus.

9. *Nosque possideas*. Nos simus populus tuus, et funiculus hæreditatis tuæ.

10. *Videntibus cunctis*. Hebr. *coram omni populo*.

11. *Quæ hodie mando tibi*. Tibi, o popule meus. Alloquitur enim hìc Deus Mosen tanquam internuntium populi, ejusque personam sustinentem.

14. *Zelotes*. Æmulator honoris sibi debiti, nec patitur suum populum ad idola quasi ad amasios deflectere.

* 15. *Ne ineas pactum*. Scilicet connubii. Potissimùm vetita connubia cum Chananæis, quòd majus ab illis periculum immineret propter vicinitatem. Alioqui cum aliis etiam alienigenis interdicta erant matrimonia Judæis; quare reprehenditur Salomon 3. Reg. 11. 1, quòd Moabitidas, Ammonitidas, et Idumæas duxisset. Vide Esdræ 9. 1 et 10. 2. 10.

Fornicati fuerint. Idola coluerint. Frequenter in Scriptura idololatria fornicatio dicitur. Vide c. 2 et 3. Jerem. et c. 16 Ezech.

Ut comedas de immolatis. Atque ita ad idololatriam alliciaris. Reliquæ leges hìc summatim iterantur ex cap. 23. Vide ibi notata.

21. *Die septimo cessabis arare et metere*. Etiamsi tempus arationis, aut messis sit, quod præ aliis maximè operosum esse solet; sabbato tamen cessabis, nec in eo metes, vel arabis.

22. *Solemnitatem hebdomadarum*. Celebrabis festum Pentecostes post hebdomadam hebdomadarum, id est, post septem hebdomadas; puta post 49 dies, quinquagesimo die a Paschate; in eoque offeres primitias panum Deo.

Solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Scilicet festum collectæ in mense septimo, festum tabernaculorum. Vide supra, cap. 23. num. 16.

24. *Dilatavero terminos tuos.* Cùm latos, quos promisi, terminos tibi dedero.

Nullus insidiabitur terræ tuæ. Ego enim conterminas gentes frenabo et continebo, ne tibi in meî obsequium occupato nocere possint aut audeant.

25. *Non immolabis super fermento.* Cum fermento. Vide supra 23. 18.

Neque residebit manè. Neque remanebit quidquam ex agno paschali in crastinum sive in mane sequens; sed eadem die totum absumetis.

27. *Scribe tibi verba hæc.* Cæremonialia hæc præcepta, ne memoria illorum intercidat. Factum a Mose, cùm Exodum scripsit.

28. *Quadraginta dies.* Secunda mansio, seu statio Mosis in monte Sina per 40 dies.

Panem non comedit. Omnino jejunus permansit.

Verba fœderis. Legem decalogi.

29. *Ignorabat quòd cornuta esset facies sua.* Quòd fulgor emicaret, et quasi radii hæc cornua de capite ejus erumperent.

Ex consortio sermonis Domini. Hi enim radii afflati sunt Mosi ex consortio Dei, maximè quandò transivit gloria Dei ante foramen petræ; communicata est lux hæc Mosis faciei, ut majorem haberet apud populum auctoritatem; et perpetuò illi mansisse docet D. Ambros. in psalm. 118. Abulens. et hanc sententiam innuit Bellarm. l. 2. de Reliq. sanctorum c. 4.

30. *Timuerunt prope accedere.* Quia non valebant figere aciem oculorum in tam splendidam faciem, et quia magis Mosen reverebantur.

32. *Venerunt ad eum.* Jam ex timore confirmati.

33. *Posuit velamen super faciem suam.* Primò locutus est facie non velata, ob majestatem, reverentiam, et testimonium legis; deinde velo injecto, ut quibuslibet liberioris sermonis facultas daretur.

CAPUT XXXV.

Refert Moses ad populum mandata Dei de sabbato, primitiis, et maximè de oblatione et structura tabernaculi, cujus materiam Israelitæ liberaliter offerunt. Designantur artifices tabernaculi Beseleel et Ooliab.

3. IN *omnibus.* In nullis. In Paschate et in aliis festis licebat ignem accendere ad coquendos cibos, ut patet c. 12. n. 16; non autem in sabbato.

5. *Primitias Domino*. Primam vestram oblationem, et dona pro fabrica tabernaculi. Dicuntur *primitiæ*, quia nullam adhuc publicam et communem fecerant.

8. *Ut conficiatur*. Materiam cap. 25 præscriptam, aromata scilicet, etc.; nam oleum ad lucernas tantùm, non autem ad thymiama adhibebatur.

10. *Quisquis... sapiens est*. Peritus et industrius artifex.

11. *Tectum.... atque operimentum*. Cortinas et pelles de quibus supra dictum est.

Tabulata. Latera tabernaculi ex lignis setim.

Paxillos. Columnas, ut est in heb. Vocantur paxilli, quia non ita magnæ, et quia in ima parte acuminatæ, ut defigi possent in terra. Vel de aliis paxillis sermo est in terra defixis ad continenda vela, ne flante vento agitarentur, ut supra diximus.

17. *Tentorium*. Id est, velum.

25. *Mulieres doctæ*. Nendi peritæ, et sapientes artifices.

Hyacinthum. Netum, seu filatum hyacinthi; hoc est, lanæ violaceæ. Sic de reliquis intellige, purpura, bysso, etc.

29. *Voluntaria*. Ultronea et spontanea dona.

33. *Opere carpentario*. Arte lignaria; sic paulò post mentio fit operis abietarii, quæ sunt opera fabrilia, quæ abiete, seu ligno quovis, tanquam materia constant.

34. *Dedit in corde ejus*. Artem et cognitionem fabricandi, exstruendi, etc.; et tam perfectè docuit eum, ut alios posset docere : itaque aliqui vertunt ex hebræo, *facilem et propensum eum fecit ad docendum alios*.

35. *Abietarii*. Vide n. 33.

Polymitarii, ac plumarii. Hic distinguit hæc duo, quæ superiùs indifferenter usurpavit, ut scilicet phrygio vel plumarius sit, qui acu pingit : polymitarius verò, qui texturâ ingeniosâ varia intexit et efformat, ut fit in tapetibus et aulæis atrebatensibus, vulgò, *panni d'Arras*, o *d'Arrazzi*.

CAPUT XXXVI.

Oblatis plusquam opus esset donariis, paratur tabernaculum juxta omnes partes suas, nempe cortinas, saga, opertoria, tabulas, vectes, velum ante Sancta Sanctorum, et ante Sanctum.

3. VOTA. Voluntaria munera.

6. *Præconis voce cantari.* Heb. *transire fecit Moses vocem per castra*, id est, præconis voce edixit.

14. *Ad operiendum tectum tabernaculi.* Velum ex pilis caprarum contextum, quod polymito injiciebatur, ut supradictum est, tectum vocabatur. Sic rursum appellatur hoc cap. num. 18.

(*Multa hic repetuntur ex capitibus superioribus quæ suis locis explicata sunt, nec est necesse hic repetere.*)

33. *Vectem alium.* Hujus vectis nulla mentio in superioribus capitibus, in quibus de tabernaculi structura agitur. Videtur fuisse actus per ipsam tabularum crassitiem ad eas simul continendas. Alii vectes extrinsecùs ipsum tabernaculum ambiebant.

34. *Tabulata.* Quatuor latera tabernaculi.

36. *Cum capitibus deauravit.* Ita ut columnæ tantùm obducerentur auro, sive laminis aureis; capita verò essent aurea, ut Deus jusserat Mosi c. 26. 32.

37. *Tentorium.* Velum.

38. *Operuit auro.* Modo explicato n. 36.

CAPUT XXXVII.

Formantur arca, propitiatorium, cherubim, mensa, candelabrum, lucernæ, altare thymiamatis, ipsumque thymiama.

1. DUOS *semis cubitos.* Hoc est, duos et semis.

6. *Oraculum.* Propitiatorium.

8. *In summitate.* Lateris extremitate.

14. *Contra coronam.* Hoc est, subter, ut habes supra, c. 25. 27.

17. *De cujus vecte.* Vectis hic est stipes medius, e quo procedebant calami, quem supra, c. 25, hastile nominavit.

19. *Æquum erat opus.* Hoc est simile, pariumque membrorum et artificii. Cætera hujus capitis sunt explicata supra, c. 25 et c. 30.

CAPUT XXXVIII.

Formatur altare holocausti, cum labro æneo et atrio, oblataque donaria recensentur.

8. *De speculis.* LXX, *ex speculis*, ἐκ κάτοπτρων; ita et chaldæus. Olim ex Plinio lib. 33. cap. 9, et lib. 34. cap. 17, fiebant ex ære et stanno diligentissimè terso.

Quæ excubabant. Hebr. *quæ militabant.* LXX, *quæ jejunabant.* Chald. *quæ orabant.* Mulieribus hisce piis, quæ frequenter veniebant ad templum Deum oraturæ, postea ædificato templo certa sedes juxta illud attributa fuit, et inter has vixisse videtur Anna prophetissa, Luc. 2. 37, et virgiues illæ, quæ conclusæ dicuntur 2. Machab. 3. 19; et in his educata B. Virgo.

9. *Tentoria.* Vela atrii.

17. *Bases columnarum.* Ex hebræo aliqui ita vertunt, *bases columnarum ex ære, uncini columnarum, et fila eas cingentia ex argento; tecta fuerunt capita earum argento.* Pro voce, *uncini*, in hebr. est ווים *vavim*, pro voce, *capita*, est ראשים *raschim*: quomodo distinguantur duæ hæ voces, inter auctores varietas est. Placet Bonfrerii nostri opinio, qui censet voce illa ראשים quæ propriè caput significat indicari supremam capitelli partem quam *abacum* dicunt: voce autem illa ווים *vavim*, quæ aliquid hamatum et inflexum significat, designari eam capitelli partem quam *volutam*, seu *limacem* appellant in artificio ionico, cujus ordinis fortasse hæ columnæ fuerunt; et Chald. verterunt *uncinos.* * Aliqui putant uncos designari, ad quos pecudibus cutis detrahebatur.

21. *In cæremoniis.* Id est, in ministerium levitarum, quorum erat dissolvere, transferre, et iterum componere tabernaculum. His præerat Ithamar, Aaron filius, cui proinde singulorum tabernaculi instrumentorum annumerandus erat computus.

24. *Omne aurum.* Aurum hoc, quod sponte oblatum fuit a populo, summam explevit 29 talentorum, et septingentorum triginta siclorum. Talentum aliud erat aureum, aliud argenteum, aliud æreum. Omnia hæc æqualis erant ponderis, sed disparis pretii. Talentum unum continebat tria millia siclorum auri, si talentum esset aureum; argenti, si argenteum; quia verò siclus est ponderis quatuor drachmarum, talentum unum aureum continebat duodecim millia drachmarum aurearum, quæ æquivalent duodecim millibus aureis nostratibus.

25. *Ab his qui transierunt ad numerum.* Qui censi sunt.

27. *Centum bases.* Erant enim 40 ad austrum, 40 ad aquilonem, 16 ad partem occidentalem, 4 sub quatuor columnis dividentibus Sanctum a Sancto Sanctorum, uti præceptum erat cap. 26. n. 19 et 33.

28. *De mille autem septingentis.* Quæ supra centum talenta argenti ex censu collecta supererant, non quòd hæc summa ad capita illa columnarum facienda et auro vestienda sufficeret, sed quòd in hoc opus fuerit contributa.

30. *Bases in introitu tabernaculi.* Columnarum scilicet, quæ in introitu erant, supra, c. 26. num. ult.

Altare æneum. Vide supra, cap. 29, initio.

31. *Bases atrii.* Columnarum atrii. Vide supra, cap. 27. n. 10 et 17.

De paxillis, ibid. num. 19.

(*Cætera, quæ hìc explicata non sunt, vide eodem cap.* 27.)

CAPUT XXXIX.

Vestes sacerdotales conficiuntur, completurque tota fabrica tabernaculi cum sua supellectili.

(*Pleraque hujus capitis habes supra, cap.* 28.)

1. *In Sanctis.* In sanctuario.

3. *Torqueri.* Subintellige et texi.

4. *Duasque oras.* Scilicet fecit. De his oris vide cap. 28. 7.

10. *In primo versu.* Primo ordine.

29. *Opere gemmario.* Ut gemmarii insculpere solent in sigillis. * In græco est, ἐκτετυπωμένα. Sed legendum videtur ἐντετυπωμένα, insculpta, non exsculpta.

31. *Tecti.* Tegumenti e saccis cilicinis.

43. *Benedixit.* Bene precatus est, vel laudavit.

CAPUT XL.

Moses erigit tabernaculum, illudque per omnes partes et membra aptè disponit. Nubes gloriæ Domini operit tabernaculum, illique deinceps incumbit.

2. *Mense primo*. Secundi anni egressûs ex Ægypto, ut patet n. 15.

4. *Candelabrum stabit*. Hebr. *accendere facies*. Chaldæus, *accendes*.

5. *Tentorium*. Velum ante Sanctum.

13. *In sacerdotium sempiternum proficiat*. Quasi dicat, ista unctio faciat illos sacerdotes quamdiu vixerint.

17. *Tectum*. Sive aulæum picturatum, sive aulæum caprinum.

18. *Testimonium*. Tabulas legis.

Oraculum. Propitiatorium.

24. *Sub tecto testimonii*. Sub tecto communi Sancto et Sancto Sanctorum.

Contra velum. E regione veli, quod distinguit Sanctum a Sancto Sanctorum, extra tamen Sancta Sanctorum.

32. *Gloria Domini*. Augusta nubes, lucida et coruscans.

33. *Nec poterat Moyses ingredi*. Tum ob reverentiam majestatis Domini, tum quia nubes ita omnia impleverat, ut Moses videre non posset.

34. *Si quando nubes*. Columna nubis præeunte, sequebantur ipsi.

Per turmas suas. Ordine dispositi.

LIBER LEVITICUS.

Vocatur liber hic Leviticus a levitis ; agit enim de levitarum et sacerdotum officio, et ministeriis, ritibus et cæremoniis.

CAPUT PRIMUM.

Præscribit Deus Mosi ritum holocausti triplicis, scilicet primò boum ; secundò ovium, vel caprarum ; tertiò avium, scilicet turturum et columbarum.

1. *De tabernaculo testimonii.* Vide Exod. 27. 20.

2. *Homo qui obtulerit.* Sponte scilicet ; erant enim aliæ oblationes præceptæ et necessariæ, qualis oblatio primogenitorum, de qua Exod. 22. 29, et aliæ.

Hostiam. Hebr. קָרְבָּן *corban*, quæ vox significat quodvis munus, vel oblationem factam Deo, sive de pecoribus, sive de terræ frugibus. Retinet hanc vocem S. Marc. in Evangelio, c. 7. 11.

Ovibus. Sub ovibus et capras intellige ; his enim communis est vox hebræa צֹאן *tzon*. Selegit sibi Dominus in sacrificium ex animalibus terrestribus, bovem et ovem et capram ; ex volucribus, columbam et turturem.

3. *Si holocaustum fuerit.* Holocaustum græca vox est, quasi dicas ὅλον καυστόν, id est, totum incensum, quòd in eo tota victima combureretur, præter pellem.

De armento. Bos scilicet, vel vitulus ; nam hi tantùm ex majoribus animalibus immolabantur.

Masculum. In holocaustum tantùm masculus offerri poterat. In sacrificio pacifico offerri poterat et femina.

Immaculatum. Non est sermo de maculis coloris, sed de deformitatibus, aut vitiis ; neque enim esse debebat animal cæcum, claudum, cicatricem habens, scabiem, aut impetiginem, etc. Vide Levit. 22. 22.

Ad ostium tabernaculi testimonii. Ad ostium tentorii seu atrii ; nec enim ad altare vel atrium sacerdotum laici ingredi poterant.

Ad placandum sibi Dominum. Finis holocausti erat colere et honorare Deum, non autem eum placare ; hoc autem ex illo sequebatur.

4. *Ponetque manum super caput hostiæ.* Sic signifi-

cans se victimam e sua manu et potestate in Dei jus transferre; vel se sponte offerre, et pœnam suis peccatis debitam quodammodo imponere ipsi victimæ.

Acceptabilis erit. Hebr. *accepta erit ei*, vel pro eo.

In expiationem ejus proficiens. Ad expiationem scilicet: 1. pœnæ temporalis, et ad punitionem hujus vitæ, quam Deus aliàs illi irrogasset; 2. quia tollebat immunditiam legalem; 3. quia auferebat culpam et pœnam æternam, ex opere tamen operantis, offerentis ex charitate et contritione peccatorum.

5. *Immolabitque.* Non per se, sed per sacerdotes qui soli poterant sacrificare, ut etiam thymiama adolere, ut patet c. 10. 1.

Vitulum. Num. 2 appellaverat bovem; juvenem scilicet, quia tenerior et delicatior est, et Deo optima sunt offerenda.

Coram Domino. Coram tabernaculo, juxta altare; nam. n. 11 dicitur: *Immolabitque ad latus altaris.*

Sanguinem ejus fundentes. Nam, ut ait Apostolus, Hebr. 9. 22, *sinè sanguinis effusione non fit remissio*: holocaustum autem secundariò ad remissionem peccatorum referebatur; offerebant ergo sanguinem victimæ, quasi petentes a Deo ut illum loco sanguinis ejus, qui offerebat, acciperet.

Detractaque pelle. Pellis detrahebatur, tum ob munditiam sacrificii, tum quia sacrificium erat quasi cibus Dei; pellis autem comedi non solet. * Ritus hic significare potest Deo omnia esse nuda. S. Paulus ad Hebr. 4. 13, dixit τέτραχηλισμένα, *nuda et aperta*. Vox græca a collo derivatur, quia ab hac corporis parte incipiebat pellis detractio.

Artus in frusta concident. LXX, *membratim*. Hebr. *juxta incisiones*, vel *partes suas*.

7. *Subjicient in altari ignem.* In primo sacrificio subjicient, eumque postea jugiter fovebunt, ut dicitur infra, cap. 6. num. 13.

8. *Caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori.* Recenset partes de quibus poterat esse dubitatio; nam de reliqua carne manifestum est eam omnem in holocausto comburi debuisse.

9. *Suavem odorem Domino.* Loquitur humano more, quasi Deus assatæ carnis odore delectaretur.

10. *De pecoribus .... ovibus.* Ovibus, aut capris. Vide supra, num. 2. Hæc est secunda species holocausti.

11. *Super altare.* Super latera altaris, vel super parietes altaris circumcirca.

12. *Ponent super ligna.* Vel immediatè, vel mediante craticula. Vide Exod. 27. 4.

14. *Si autem de avibus.* Hæc est tertia species holocausti, quod erat pauperum, ut patet Levit. 12. 8; quare Num. 7, ubi principum victimæ numerantur, nullæ memorantur aves.

15. *Retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco.* Non ferro, aut cultro, sed ungue rumpebatur, ut indicat textus hebræus ex quorumdam sententia.

Super crepidinem altaris. Id est, super summitatem parietum, ita ut inde ad terram decurrat. Unde hebræum est, *super parietem altaris.*

16. *Vesiculam verò gutturis.* Folliculum, qui primus cibum a gutture comestum excipit. LXX πρόλοβον appellant.

Ad orientalem plagam. Versùs atrium, non autem versùs tabernaculum, reverentiæ majoris et decentiæ gratiâ. Altare autem erat ad orientem ipsi tabernaculo, versùs scilicet portam quæ in plaga erat orientali. Vide Exod. 27. 13.

17. *Confringetque ascellas ejus.* Hebr. *et scindat*, vel *findat illam in alis suis, et non separabit*, quasi dicat: alas ejus ita findat seu confringat, ut tamen eas non resecet aut abrumpat. Id fiebat ad congruam victimæ compositionem; sic enim altilium alæ componuntur cùm assanda sunt.

Holocaustum est et oblatio. Hebr. *et ignitio*, ignita scilicet oblatio, quæ scilicet tota igni absumitur.

CAPUT II.

Describitur sacrificium farreum, illudque triplex, scilicet primò similæ, secundò panum; illudque rursum triplex, nimirum panum clibani, sartaginis, et craticulæ; tertiò spicarum.

1. *Anima.* Id est, homo: pars pro toto per synecdochen.

Oblationem sacrificii. Hebr. est oblationem מנחה *mincha*, quod est sacrificium rerum inanimatarum. Aquila vertit, *donum de frumento*; Vatablus, *sacrificium cibarium*: quia verò alia sacrificia sua peculiaria habent nomina, idcirco noster interpres sacrificium hoc ex simila, sive mincha, absolutè sacrificium appellat. Institutum est hoc sacrificium: 1. pro pauperibus, ne illis offerendi

facultas deficeret; 2. ut sacerdotibus de pane et annona provideretur; magna enim ejus pars sacerdotibus cedebat; 3. ut non solùm animalibus, sed etiam terræ frugibus Deus coleretur; 4. quia sacrificium erat quasi convivium Deo instructum; ergo præter carnes, panis, vel ejus materia, vinum, et sal adhiberi debuerunt. Jussit autem Deus in omni sacrificio animalis offerri similam et vinum, ut patet Num. 15. n. 4, 7 et 10. item sal, ut hoc cap. num. 13, ut scilicet plenum et perfectum esset convivium.

Simila erit ejus oblatio. Similam puram sinè furfuribus offeret qui sacrificium quod *mincha* dicitur offerre voluerit. Simila quid sit supra diximus, Genes. 18. 6.

Fundetque super eam oleum. Quasi quoddam condimentum; oleatus enim panis sapidior; sapidissimus et lectissimus cibus Deo offerendus est.

Et ponet thus. Ut non tantùm gratus sapor, sed etiam suavis odor adsit. Deinde quia ex communi sensu thus Deo, eique pene soli adoleri solet.

2. *Similæ et olei.* Similæ oleo conspersæ.

Et ponet memoriale. Hebr. *incendet*, ut scilicet sit memoriale quasi renovans Deo memoriam offerentis, impetretque quod petitur. Vel sensus est, partem illam similæ crematam memoriale fore, ut, perinde ac si totum fuisset crematum, Deus offerentis recordaretur, et placaretur.

3. *Sanctum sanctorum.* Sacrosanctum, nec ab aliis, quàm a sacerdotibus comedendum. Vide Levit. 22. numer. 10 et 11.

4. *Sacrificium coctum.* Nunc agit Moses de altera specie mincha, hoc est, de sacrificio ex simila cocta, quod tripliciter fiebat, vel coquendo illam clibano, vel sartagine, vel craticula.

Conspersos oleo. Oleo subactos.

Lagana. Sunt liba non crassa, sed tenuia et extensa. * Vide Exod. 29. 23.

Oleo lita. Non mixta oleo, sed desuper inuncta et delibuta.

6. *Divides eam minutatim.* Ut scilicet partes ita divisæ, oleum eis superinfusum imbibant, utque partes illius aliquæ Deo sacrificentur.

Cùm obtulerit eam. Hebr. *adducet eam ad altare*, ipse scilicet offerens, ut patet ex hebræo et ex LXX.

Tollet. Sacerdos scilicet.

Memoriale. Vide dicta n. 2.

11. *Absque fermento.* Azymus enim panis est purior:

adde quòd per azymos panes revocabatur in memoriam Hebræis liberatio ex Ægypto, quando ob festinationem azymis usi sunt, Exod. 12. 34.

Nec quidquam.... mellis. Eadem ratio prohibendi mellis, quæ fermenti, ut scilicet purior sit panis, et quia gentiles adhibebant mel in suis sacrificiis, quorum ritus Hebræos imitari noluit Dominus; vel quòd mel deliciarum symbolum sit, quòdque mellitis panibus pueri potiùs et mulieres delectentur, quàm graves viri; ideoque ordinariè mel illis non admiscebatur.

12. *Primitias tantùm.* Quasi dicat, licèt fermentum et mel altari inferri non debeant, nec in sacrificiis adhiberi, non tamen propterea eorum primitiæ sacerdotibus non debentur. Non solùm enim ex frugibus collectis, sed ex panibus etiam recenter coctis aliquid sacerdotibus in eorum usum conferebatur. Num. 15. 19.

13. *Sale condies.* Cùm sacrificium sit quoddam quasi convivium Deo exhibitum, sal, quo cibi sapidi redduntur, deesse non debuit.

Sal fœderis. Vocatur sal fœderis, id est, sal legis hujus quâ sal in omni sacrificio adhiberi præcepit Dominus; sæpe enim lex fœdus dicitur in Scripturis.

14. *De spicis adhuc virentibus.* Tertia species mincha sive sacrificii farrei.

Confringes in morem farris. Confringes scilicet grana ex spicis illis excussa; et contundes ad modum farris, pistillo, aut molâ grana illa comminuens.

16. *In memoriam muneris.* Ut pars Deo cremata memoriale sit, et signum totum hoc munus, id est, sacrificium oblatum esse Deo, uti dixi num. 2.

CAPUT III.

Describitur ritus offerendæ hostiæ pacificæ ex bobus, ovibus et capris.

1. *Hostia pacificorum.* Quæ scilicet offertur pro pace, id est, salute, incolumitate, et prosperitate (hoc enim est Hebræis pax), sive jam obtenta, sive obtinenda. LXX appellant, *hostiam salutarem.*

Immaculata. Integra, perfecta. Vide dicta cap. 1. n. 3.

Coram Domino. Coram altari.

2. *Super caput victimæ.* Vide supra, cap. 1. n. 4.

In introitu tabernaculi. Apud altare holocaustorum.

3. *Vitalia.* Cor et præcordia, quæ maximè faciunt ad vitam tuendam, et quibus læsis vitam amittimus.

4. *Reticulum jecoris.* Pinguedinem, quæ retis instar hepar circumdat, versu 15 vocatur *arvina jecoris.*

Cum renunculis. Cum renibus.

8. *In vestibulo.* In introitu tabernaculi, ut dictum est n. 2.

9. *Et caudam totam.* Hebr. sic habent, *caudam integram ad oppositum spinæ dorsi auferent;* id est, ita auferent caudam, et eo usque, ut simul renes oppositos spinæ dorsi auferant; nam spina dorsi ea parte, qua caudæ conjungitur, renes sustinet. In hostia ergo pacifica ovis, agni et arietis, ut patet Levit. 9. 19, peculiare erat, quòd cauda adolebatur Domino: hoc enim non fiebat si hostia pacifica esset bos, aut capra.

17. *In generationibus.* Ita scilicet ut nulla generatio, nullaque domus ab hac lege sese possit excipere.

Nec sanguinem. Judæis vetitus fuit omnis sanguis, non tantùm immolatitius victimarum, de quo propriè hìc agitur, sed etiam quivis alius. Vide dicta Genes. 9. 4.

Nec adipem. Non eum qui carni adhæret, et ei immixtus est, sed qui seorsim in intestinis confertus et condensatus est; idque tantùm servandum in carnibus immolatis; nam si domi ad esum mactabatur animal, nihil vetabat quominus ut carnes, ita adipem omnem, si voluissent, absumerent. * Cornelius tamen a Lapide et alii etiam sentiunt ne animalium quidem domi occisorum adipem comedi potuisse, si animalia ex iis essent, quæ sacrificari poterant, ovis, verbi gratiâ, aut bovis, etc. Vide Josephum, lib. 3. antiq. c. 10. Ratio legis esse videtur, quia adeps aptus admodum est ad concipiendum ignem, et ad comburendum in altari.

CAPUT IV.

Præscribitur modus offerendi hostias sacerdotis, principis, et multitudinis per ignorantiam peccantis.

2. PER *ignorantiam.* Sive legis et juris, sive facti, eamque crassam et culpabilem.

Universis mandatis. Naturalibus, cæremonialibus, judicialibus, affirmativis, negativis.

3. *Sacerdos.* Pontifex. Chald. habet, *sacerdos magnus.* LXX, ἀρχιερεύς, princeps sacerdotum.

Qui unctus est. Postquam consecratus est. Nam si designatus pontifex peccasset antequam consecraretur, tunc victimâ plebis aut principis expiabat se.

Delinquere

Delinquere faciens populum. Ut scilicet suo peccato scandalizet, et peccare faciat populum. Verti etiam potest ex hebræis, *si peccet secundum peccatum populi*, id est, sicut populus peccare solet.

4. *Immolabit*. Ipsemet pontifex qui peccavit.

6. *Asperget*. Sanguine vituli a se et pro se immolati.

Velum sanctuarii. Velum dividens Sanctum Sanctorum a Sancto. Sermonem esse de hoc velo, non de eo quod erat in introitu tabernaculi, patet ex voce hebræa פרכת *parochet*, quo nomine passim ubique hoc velum appellatur, Exod. 26. 39. 40, Levit. 16, cùm aliud, quod erat in aditu tabernaculi מסוה *masveh* dicatur.

7. *In basim*. Juxta basim, ut patet ex versu 18.

8. *Quàm omnia quæ intrinsecùs sunt*. Auferet, et offeret adipem omnem, tam eum qui operit vitalia, cor scilicet et præcordia, quàm eum qui est intra ipsa vitalia et viscera.

12. *Efferet extra castra*. Hæc cæremonia tacita erat oratio qua pontifex rogabat Deum ut peccata pontificis, vel totius populi, id est, peccatis debitæ pœnæ ipsum populum non afficerent, sed cum ipsa victima extra castra efferrentur, cremarentur, et abolerentur.

In locum mundum. Quia reliquiæ erant sacrificii.

Ubì cineres effundi solent. Nam cineres victimarum primo in atrio juxta altare holocaustorum effundebanbantur, indeque ad locum aliquem mundum extra castra exportabantur.

13. *Si omnis turba Israel*. Si totus populus, aut maxima ejus pars. Nota eamdem præscriptam fuisse hostiam in peccato pontificis et in peccato populi, vitulum scilicet, eumdemque fuisse ritum utriusque immolandi, nisi quòd in peccato populi non pontifex, sed seniores populi pro toto populo manus hostiæ imponebant.

16. *Sacerdos, qui unctus est*. Summus sacerdos, pontifex.

18. *Altaris, quod est coram Domino*. Altare thymiamatis.

In ostio tabernaculi. Juxta ostium.

20. *Rogante pro eis sacerdote*. Pontifice.

Propitius erit eis Dominus. Dominus placatus hoc sacrificio non inferet populo pœnam in hac vita, quam alioquin inflixisset. Nam quoad culpam et pœnam alterius vitæ, hæc non tollebatur sacrificio, aut prece sacerdotis, sed contritione eorum qui peccaverant; cujus contritio-

nis signum et protestatio erat hoc sacrificium quod pro peccato suo offerebant.

22. *Si peccaverit princeps.* Princeps hìc vocatur, qui est dux, caput et primus in familia, aut tribu, aut exercitu; hunc enim significat hebr. נשיא *nasi*, id est, elevatus, qui dignitate inter suos eminet, ut patet Num. 2. versu 4, cap. 7. 2.

23. *Hircum de capris.* Hircum novellum adhuc matrem sequentem.

24. *Cùmque immolaverit.* Sacerdos nimirum.

27. *De populo terræ.* Homo plebeius, vulgaris, gregarius.

32. *De pecoribus.* De ovibus; nam de capris jam dictum est.

33. *Immolabit eam.* Per sacerdotem.

In loco ubì solent cædi holocaustorum hostiæ. Juxta altare, ubì immolari solent holocausta.

35. *Incensum Domini.* Ut scilicet sit incensa et cremata super altare Domini.

CAPUT V.

De hostiis pro peccato ex celata veritate, immunditia, errore, juramento, sacrorum abusu, atque ignorantia.

(*Hoc capite et initio sequentis agitur de quibusdam casibus circa peccata aliena, ne quis putet propria duntaxat sacrificio esse expianda.*)

1. *Si peccaverit anima.* Eo modo qui sequitur. Casus et leges hujus capitis et sequentis ad omnes etiam pontifices pertinere videntur; nulla enim hìc fit distinctio personarum.

Audierit vocem jurantis. Sensus hujus versiculi: si quis audiverit aliquem juramento aliquid confirmantem, aut promittentem, citatusque in judicio, ut dicat id quod vidit aut cognovit, si non aperuerit, portabit iniquitatem suam, hoc est, pœnam iniquitatis, quam illi Deus infliget. Poterit tamen hoc crimen expiari sacrificio quod præscribitur n. 6; sanctio enim quæ habetur illo n. 6 ad omnes casus præcedentes referenda est. Deo enim per hoc sacrificium satisfiebat; proximo tamen si is læsus esset, nihilominus damnum omne sarciendum erat. * Vel vox illa, *jurantis*, idem est, quod adjurantis, ut sententia sit: si quis vocatus a judice sub adjuratione jubeatur ferre testimonium, et amore,

vel odio ductus testari nolit, non erit immunis a crimine.

2. *Quodlibet aliud reptile.* Omnia enim reptilia ex lege Levit. 11. 42, erant immunda.

Et oblita fuerit immunditiæ suæ. Ac consequenter neglexerit eam tollere per sacrificium a lege statutum.

Rea est. Immunda et polluta, quia contra legem Levit. c. 11. 43, quæ vetat tangi immundum, fecit.

Et deliquit. Quia immunditiam per sacrificium, sive lustrationem lege præscriptam non expiavit.

3. *De immunditia hominis.* De omnibus illis, in quibus homines ex lege Mosis pollui solent.

Subjacebit delicto. Ut culpæ rea est, ita et pœnæ; ac proinde ad sacrificium n. 6 præscriptum tenebitur.

4. *Vel malè quid faceret.* Malum aliquod pœnæ irroget, ut parentes aliquando faciunt, qui se filios castigaturos jurant.

Oblitaque. Ita ut non impleverit juramentum.

5. *Agat pœnitentiam pro peccato.* Illud agnoscat, et conteratur; alioqui sacrificium parum illi proderit. Heb. et chaldæus, *confiteatur peccatum quod peccavit*, scilicet sacerdoti. Hoc autem in aliis sacrificiis pro peccato intelligendum est, etiamsi non exprimatur.

7. *Unum pro peccato.* Carnes turturis immolati pro peccato cedebant totæ sacerdoti, nihil Deo, utì fiebat in aliis sacrificiis pro peccato, ut Lev. 6. 26.

11. *Partem ephi decimam.* Unum gomor. Vide supra, Exod. 16. 16.

Non mittet in eam oleum. Ratio legis est Domini ita jubentis voluntas, et mysterium, ut scilicet significetur peccatorem expertem esse lætitiæ et lucis.

Nec thuris. Quia peccatum Deo pessimè olet, et est ei abominabile.

12. *In monimentum.* Vide dicta c. 2. n. 2.

13. *Rogans pro illo et expians.* Rogans ut remittatur ei.

Reliquam verò partem. Ex simila oblata pro peccato.

Ipse. Sacerdos offerens.

Habebit in munere. Habebit quasi munus, quo scilicet Deus vult eum remunerari pro labore et ministerio tabernaculi.

15. *Per errorem.* Nam si scienter, morte luet, ut patet Num. 15. 30.

In his quæ Domino sunt sanctificata. v. g., si laicus comedat de carnibus Deo immolatis, ut dicitur c. 22. 14.

Qui emi potest duobus siclis. Cujus pretium minimum sit duorum siclorum.

15.

Juxta pondus sanctuarii. Vide Exod. 30. 13.

16. *Et quintam partem ponet supra.* Ut hæc quinta pars superaddita sit in compensationem injuriæ, quam præter damnum irrogavit Domino ejusque sacris. Hæc autem restitutio fiebat in pecunia, et sacerdotibus cedebat.

17. *Feceritque unum ex his.* Omittendo in sacris cæremoniam aliquam nulli damnosam.

18. *Juxta mensuram æstimationemque peccati.* Pro majori peccato meliorem et pretiosiorem offeret arietem; pro minori verò, minorem, et vilioris pretii.

Orabit pro eo, quia nesciens fecerit. Orabit pro eo, dicens : Parce, Domine, huic qui deliquit in adhibendis cæremoniis a te præscriptis, quia nesciens id fecit.

CAPUT VI.

Describitur hostia pro peccato injuriæ in proximum. Quid ex singulis hostiis cremandum, quid comedendum. Lex et ritus holocausti, et ignis perpetui : ritus mincha, hoc est, sacrificii farrei : ritus hostiæ in consecratione sacerdotum, et ritus hostiæ pro peccato.

2. *QUÆ peccaverit et.... negaverit.* Sensus est, anima quæ peccaverit negans depositum.

Contempto Domino. Quem scilicet nihil latet, et qui peccatorum vindex est.

Calumniam fecerit. Per calumniam et fraudem aliquem læserit.

3. *Quodlibet aliud ex pluribus.* Aliquid aliud fecerit, quod alteri damnosum est et noxium : qualia sunt peccata hìc enumerata, et his similia.

4. *Convicta delicti.* Ubi judicio sacerdotis, cui detegit, constiterit fuisse delictum.

5. *Obtinere.* Id est, retinere.

Et quintam insuper partem. In damni compensationem, quod ex absentia rei suæ interim passus est dominus.

6. *Offeret arietem.* Pro peccato ex ignorantia offertur capra; pro peccato scienter admisso, quod est gravius, offertur aries, qui est majoris pretii.

9. *Lex holocausti.* Jugis scilicet; jussit enim Deus quotidie sibi duos agnos offerri in holocaustum, alterum manè, alterum vespere, ut patet Num. 28. 3 et 4.

Cremabitur... tota nocte. Atque ideo partes animalis

successivè aræ imponebantur a sacerdote, qui tota nocte in hoc ministerium intentus pervigil excubabat.

Ex eodem altari erit. Non erit ignis alienus, aliunde illatus.

11. *Spoliabitur prioribus vestimentis*. Quia elatio cinerum extra castra non est sacra functio ad quam comparata illa vestimenta erant.

Usque ad favillam consumi faciet. Lignorum partes mistas cineribus, necdum omnino in cinerem resolutas, et si quæ partes adipis, carnium, ossium, etc., igne non omnino consumptæ remanserunt.

12. *Et imposito holocausto*. Sententia est : manè compone struem lignorum in altari, et impone illi omnes carnes holocausti; et si quæ præterea sint hostiæ pacificæ offerendæ, accipe ex iis adipes earum, eosque pone super juge holocaustum, ut simul cum eo crementur. Nolo enim seorsum solum adipem cremari.

14. *Lex sacrificii*. Farrei, non carnium; nam in hebr. est *mincha*, de quo cap. 2.

Libamentorum. Libamenta hic vocantur non a libando, sed a libis et panibus qui ex libamentis, id est, ex simila et farre conficiuntur, vel confici possunt. Quare quæ hìc libamenta, versu sequenti similam vocat.

16. *Comedet Aaron cum filiis suis*. Intellige, nisi polluti essent et contaminati : hi enim arcebantur tam sacris epulis, quàm locis, ut patet cap. 22. 6.

In loco sancto. In atrio tabernaculi.

17. *Non fermentabitur, quia pars ejus*. Quasi dicat : Pars similæ Deo oblata fermentari non potest, Lev. 2. 11; ergo nec decet reliquam ejus partem, quæ sacerdotibus in cibum cedit, fermentari, quia hæc etiam pars est sacrificii Domino oblati, et censetur illi oblata per suî partem, seu pugillum, qui Domino incensus est.

Sanctum sanctorum erit. Sanctissimum erit, solisque cedet sacerdotibus.

Sicut pro peccato atque delicto. Sanctissimum erit, sicut sanctissimum est sacrificium pro peccato et pro delicto.

18. *Mares tantùm*. Quælibet simila Deo oblata habebatur admodum sancta, perinde ac sacrificium pro peccato et delicto ; ideoque non poterat comedi nisi a sacerdotibus, eorumque filiis masculis.

Legitimum ac sempiternum. Perpetua sanctio tamdiu duratura, quamdiu durabit lex vestra.

Sanctificabitur. Sanctificetur.

20. *Oblatio Aaron et filiorum ejus.* Id est, pontificis et minorum sacerdotum. Sic sæpe inferiùs Aaron accipitur appellativè pro pontifice quolibet.

Decimam partem ephi. Gomor unum.

In sacrificio sempiterno. Quod semper in consecratione sacerdotum offerri debet.

22. *Sacerdos qui jure patri successerit.* Scilicet sacerdotis filius primogenitus, nisi ille, deformitate aliqua impediente munus pontificium, ab eo arceatur, de qua c. 21. 18; tunc enim in ejus locum succedebat secundò genitus, et sic deinceps.

23. *Igne consumetur.* Sacrificium scilicet similæ, vel farreum; nam de victimis suis pacificis potuisse sacerdotes comedere patet Exod. 29. 28.

25. *Sanctum sanctorum est.* Valde sancta est.

26. *Sacerdos qui offert, comedet eam.* Ad solum enim sacerdotem offerentem pertinebat, ab eoque et ejus filiis masculis comedenda, quanquam poterat offerens alios sacerdotes, eorumque filios masculos ad ejus esum advocare, ut patet n. 29.

27. *Sanctificabitur.* Vide supra, Exod. 30. 29, et Aggæi 2. 13.

Lavabitur in loco sancto. In atrio tabernaculi; ut sic lota ad profanos usus redire, et a profanis hominibus indui possit.

28. *In quo cocta est.* Hostia scilicet pro peccato.

Confringetur. Quia vas fictile, cùm sit porosum, humorem aliquem carnium sanctificatarum imbibit, qui elui facilè non potest.

29. *Omnis masculus.* Hostia ergo pro peccato a solis masculis, iisque sacerdotibus, aut eorum filiis comedi poterat.

30. *Cujus sanguis infertur in tabernaculum.* Quod fiebat in hostia pro peccato pontificis, et totius populi, ut dictum est c. 4. n. 6 et 18.

Non comedetur. Talis enim tota cremanda erat extra castra, ut jussit Deus c. 4. n. 12 et 21.

CAPUT VII.

Describitur ritus oblationis hostiæ pro delicto, et hostiæ pacificorum, scilicet a quibus et quando utraque comedi debeat. Vetat Deus esum adipis victimarum, omnisque sanguinis.

1. LEX *hostiæ pro delicto.* Peccatum cùm a delicto distinguitur (nam hæc duo pro eodem accipiuntur, ut patet cap. 4. 5, 6), est illud quod prudenter et scienter committitur : delictum verò, quod ignoranter fit, v. g., per imprudentiam, oblivionem, ignorantiam maximè juris, ut fit cùm quis legem ignorat, vel ejus est oblitus.

Sancta sanctorum. Sanctissima.

6. *Vescetur his carnibus.* Vesci poterit. Propriè hostia pro delicto erat offerentis, ut et hostia pro peccato; eadem enim utriusque est ratio et lex, ut dicitur n. 7. Poterat tamen offerens partem hostiæ comedendam dare aliis sacerdotibus, eorumque filiis masculis, non autem feminis.

8. *Habebit pellem ejus.* Quia ex holocausto, quod totum Deo comburitur, nihil aliud est reliquum quod sacrificanti cedat, nisi pellis.

10. *Mensura æqua per singulos dividetur.* Ita scilicet ut cuique suus dies, suæ vices obtingant, quibus ministrans, et fungens sacerdotio, omnia quæ offeruntur sibi vindicet, perinde ut faciunt alii sacerdotes suis vicibus. Alii hunc versum accipiunt de simila non cocta, quasi illa fuerit omnibus sacerdotibus æqualiter dividenda : versum verò præcedentem accipiunt de simila cocta, sive libis et panibus, qui omnes cedebant offerenti. Ita Isychius, Em. Sa, et Bonfrerius.

12. *Similam, et collyridas.* Particula *et* sumitur pro *id est*; nam simila conspersa et subacta, cùm est cocta, hoc est, ut habent hebræa, *frixa in sartagine*, est collyrida, sive libum frixum. Noster interpres collyridam alibi *crustulam* vocat.

13. *Panes quoque fermentatos.* Non ut ex iis aliquid inferatur altari, hoc enim vetitum est cap. 2. n. 11; sed ut ii sacerdotibus offerantur tanquam donaria, quibus ipsi vescantur.

Cum hostia gratiarum. Cum hostia, quæ immolatur in gratiarum actionem pro pace, id est, salute et beneficiis a Deo acceptis.

14. *Ex quibus.* Panibus fermentatis.

Unus pro primitiis offeretur Domino. Ut scilicet cedat non Deo in sacrificium, sed sacerdoti, vicem Dei gerenti, in cibam. Cæteri panes per hunc primum etiam Domino oblati censebantur.

16. *Eadem... edetur die.* Ne quid sacri cibi corrumpatur et putrescat, et vilescat religio victimarum.

Si quid in crastinum remanserit. Victima ex voto oblata comedi poterat die sequenti, non autem quæ oblata erat in gratiarum actionem : cujus rei ratio potissimùm referenda in legislatoris voluntatem. Adde victimam gratiarum actionis digniorem fuisse, quia ex animo grato, liberali, pio, et in laudes Dei effuso prorumpebat; illa verò ex voti necessitate et spe impetrandi aliquid a Domino.

18. *Irrita fiet oblatio.* Per posteriorem hanc prævaricationem legis hujus, qua reservat carnes in tertiam diem, perdet gratiam quam priori sacrificio et hostia pacifica promeruit apud me.

19. *Caro quæ aliquid tetigerit immundum.* Caro scilicet Deo oblata, quæ post immolationem aliquo modo polluitur, non comedetur, sed comburetur : idque ob reverentiam sacrificiorum. Comburetur autem igne non sacro, sed profano, quia jam ampliùs non est caro victimæ et sacrificii, cùm ab eo ob immunditiam rejiciatur. Dico *caro Deo oblata;* nam aliàs carne non sacra, etiamsi quid immundi tetigisset, licebat vesci, ut patet Deut. 12. n. 15 et 22. Dico *post immolationem;* nam si ante eam, cùm deferretur ad altare, polluta fuisset, non licebat quidem eam offerre, poterat tamen ipsa in quosvis profanos usus converti.

Qui fuerit mundus vescetur ex ea. Hostiâ scilicet pacificâ, si polluta non sit.

20. *Anima polluta.* Homo pollutus.

Peribit. Deo ultore in mortem incurret, vel in hac vita præsentem, vel in futura æternam.

21. *Immunditiam hominis.* Puta fæces et stercora. Hic ergo homo tam pollutus in se, quàm si quid pollutum tetigerit, arcetur esu pacificorum.

23. *Adipem ovis, et bovis, et capræ non comedetis.* Quia hæc tria sunt, quæ Domino immolantur; unde eorum adipem sibi deposcebat Dominus, etiamsi illa domi mactarent ad esum, ut patet ex num. 25. Adipem verò aliorum animalium mundorum, sed ad sacrificia non deputatorum, comedere poterant.

24. *Morticini.* Sponte mortui.

A bestia captum. Occisum a fera.

Habebitis in varios usus. Comedere non licet, ad alios usus adhibere nihil vetat.

25. *In incensum.* Qui cremari debet in honorem Domini: loquitur de adipe ovis, et bovis, et capræ, quæ sola ex quadrupedibus offerri poterant.

29. *Libamenta ejus.* Libamen ex simila, ut ita Deo plenum, ex carne et simila, vel pane, exhibeat convivium.

30. *Domino consecraverit.* Non sacerdos, sed laicus offerens.

34. *Pectusculum enim elevationis.* Quod scilicet per elevationem in altum (de qua Exod. 29. 26) est Deo oblatum.

Armum separationis. Deo scilicet separatum, ut sacerdotibus Dei vice detur.

35. *Cæremoniis Domini.* Id est, juxta ritum et cæremonias præscriptas cap. 6. n. 26, et Exod. cap. 29.

36. *Religione perpetua.* Sanctione, lege perpetua.

38. *In monte Sinai.* In deserto montoso, juxta montem Sinai.

CAPUT VIII.

Aaron consecratur a Mose pontifex, et filii Aaronis, sacerdotes.

(Hoc caput ferè idem est cum cap. 29 Exodi.)

6. OBTULIT. Hebr. *accedere fecit.* Chald. *applicavit.* LXX, *adduxit.*

7. *Subucula linea.* Quæ Exod. 28. 4, vocatur tunica linea et stricta.

9. *Laminam auream consecratam in sanctificatione.* Laminam auream olei unctione consecratam ad usus sanctos.

11. *Cùmque sanctificans.* Sanctificatio hæc aliud non erat quàm unctio tabernaculi, et vasorum ejus, qua consecrabantur Deo.

14. *Obtulit et vitulum.* Vitulos; nam Exod. 29. 35 et 36, jubetur quotidie per septem dies offerri vitulus; ergo ita factum est, licèt hic non exprimatur; satis tamen innuitur num. 34.

15. *Quo expiato.* Altari scilicet.

30. *Unguentum.* Cujus compositio præcepta fuerat Exod. 30, a v. 23 usque ad v. 30. Unctio ergo, vel potiùs effusio unguenti in caput erat consecratio ponti-

ficis, ut patet hìc n. 12, et Exod. 29. 7. Unctio verò communis pontifici et minoribus sacerdotibus erat aspersio unguenti sanguine misti super eos, et super vestes eorum; ad hæc, unctio auris dexteræ et pollicum, ut patet Exod. 29. 20.

34. *Sicut et impræsentiarum factum est.* Scilicet fiet et in posterum quotiescumque facienda erit pontificis, aut sacerdotum consecratio.

36. *Per manum Moysi.* Per Mosen.

CAPUT IX.

Aaron celebrat primitias, populoque benedicit; ignis e cœlo descendit, ejusque omnes victimas devorat.

1. *FACTO autem octavo die.* A consecratione Aaronis et tabernaculi.

Vocavit Moyses Aaron et filios ejus. Ut scilicet hi novelli sacerdotes sua prima sacrificia offerrent.

Ac majores natu. Convocati etiam hi sunt ad honorandas sui pontificis primitias, et ut victimas suas per eum Deo sacrificarent.

2. *Vitulum pro peccato.* Ut sit hostia pro peccato.

3. *Ad filios Israel loqueris.* Scilicet tu, Aaron, novelle pontifex; nam tibi jam incumbit auctoritas pontificia, ut præcipias victimas populo.

Anniculos. Ita ut tam vitulus quàm agnus annum ætatis non excedant.

* 4. *Immolate eos.* Adducite ad me, ut ego immolem pro vobis.

Coram Domino. Coram altari holocaustorum, sive coram ostio tabernaculi.

In sacrificio. Farreo, quod ad omnem victimam adjungitur, ut patet num. 15, quia sinè pane, aut farre non prandetur.

Hodie enim Dominus apparebit. Mittens ignem de cœlo, qui sacrificia vestra comburet.

5. *Tulerunt ergo cuncta.* Postquam Aaron jussus a Mose id præcepit, utì dixi n. 3.

10. *Quæ sunt pro peccato.* Quæ sunt partes hostiæ, putà vituli pro peccato oblati.

Adolevit. Adolenda et cremanda imposuit altari; nam igne cœlesti hæc, et sequentes victimæ postea consumptæ sunt, num. 24.

11. *Combussit igni.* Juxta legem datam cap. 4. 12.

15. *Expiatoque altari*. Per hoc sacrificium pro peccato, cujus sanguine unctum et aspersum est altare.

17. *Addens in sacrificio*. Farreo, sive similæ.

Libamenta. Olei et vini, de quibus Num. 15. 5: quam legem jam fuisse latam ex hoc loco patet, licèt posterius Num. 15. referatur.

Absque cæremoniis holocausti matutini. Absque eo quòd omitteretur, vel impediretur, juge sacrificium matutinum, et vespertinum.

20. *Posuerunt super pectora*. Pecorum immolatorum, quæ postea Aaron separavit, ut dicitur num. 21 sequenti.

21. *Elevans coram Domino*. Pectusculum enim et armus dexter non cremabantur, sed elevata et oblata Domino, cedebant sacrificanti. Vide c. 7. n. 31 et 32.

22. *Benedixit ei*. Aaron novellus pontifex. Forma benedictionis fuit quæ habetur Num. 6. 24, scilicet: *Benedicat tibi Dominus, etc.*

Completis hostiis. Hostiarum jugulatione, concisione et impositione in altare.

Descendit. Aaron sacrificans; restabat enim hostiarum crematio, quæ postea facta est per ignem cœlitus missum: quare quæ n. 10, 13, 17, 20, de ea dicuntur, per anticipationem accipienda sunt, ut patet ex n. 24.

* 23. *Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum*. Nempe ut Aaron thymiama in altari incensi offerret Deo ante cremationem holocausti matutini. Id enim thymiama semper matutinum holocaustum anteibat.

Apparuitque gloria Domini. Ignis scilicet a Deo missus ad devorandum holocaustum; quod factum est ut intelligeret populus sacerdotes eos a Deo institutos, et illi gratos esse; utque majorem erga sacra reverentiam conciperet. Hic ignis postea a sacerdotibus addito lignorum fomento diligenter servatus est, ut præceptum fuerat Levitici 6. 12.

CAPUT X.

Nadab et Abiu igne alieno thus adolentes, a Deo igne afflantur et occiduntur. Plangi eos a sacerdotibus vetat Deus, qui etiam iisdem tabernaculum ingressuris usum vini prohibet, et siceræ; reliquias verò sacrificii a sacerdotibus comedi jubet.

1. *IGNEM alienum.* Id est, non e cœlo missum. Aliqui id eos fecisse putant ex temulentia; alii ex inconsideratione et perturbatione, ut pote in ministerio nondum exercitati; alii, quòd ad ignem illum de cœlo lapsum accedere non auderent.

Quod eis præceptum non erat. Id est, quod eis vetitum erat Levit. c. 6. n. 9.

2. *Egressusque ignis a Domino.* A tabernaculo ubi Dominus colebatur. Alii volunt egressum ab altari holocaustorum et ab altari thymiamatis.

Devoravit eos. Non omnino absumens, sed eos fulminis instar afflando et occidendo. Credibile Deum eos morte præsenti punivisse, ut æternam evaderent; et peccatum vel non fuisse lethale, vel contritione expiatum antequam animam exhalarent.

3. *Sanctificabor in iis.* Me sanctum ostendam et sanctitatis amantem, dum punio sanctitatem violantes.

Qui appropinquant mihi. Per sacrum ministerium.

Glorificabor. Apparebo gloriosus.

4. *Fratres.* Cognatos.

6. *Capita vestra nolite nudare.* LXX habent, *de capite vestro cidarin ne deponatis*, in argumentum scilicet luctûs et mœroris. Nolebat enim Dominus novos sacerdotes recentem eorum consecrationem luctu funestare.

* *Vestimenta nolite scindere.* Id summo sacerdoti in funeribus vetitum fuit, Levit. 21. 10, quia scissio illa impotentiam quamdam animi demonstrat, quæ pontificem minimè decet. Aliis sacerdotibus id nusquam prohibitum legimus. Hoc tamen loco et casu prohibentur lacerare vestes propter allatam rationem.

Ne fortè moriamini. Particula *fortè* non est dubitantis; et sententia est, quia certè moriemini.

Super omnem cœtum oriatur indignatio. Luente populo plagâ aliquâ peccatum pontificis et sacerdotum.

7. *Fores tabernaculi.* Fores atrii tabernaculi.

Oleum quippe sanctæ unctionis. Quia recens sancta unctione inaugurati estis.

9. *Omne quod inebriare potest.* Hebr. *omnem siceram.* Omne inebriativum sacerdoti sacris operaturo vinum prohibet et siceram, ne fortè fiat temulentus, utque oblivionem, somnum, pigritiam amoliatur, quæ ex illis facilè existunt

11. *Per manum Moysi.* Per Mosen.

12. *Tollite sacrificium.* Farreum; nam in hebræo est, *mincha.*

13. *De oblationibus.* Hebr. *de ignitionibus*, id est, de victimis igne crematis Domino.

14. *Edetis in loco mundissimo.* In atrio tabernaculi, juxta altare holocaustorum.

De hostiis salutaribus. Id est, pacificis, quæ pro salute, pace et prosperitate offeruntur.

15. *Elevaverunt coram Domino.* Vide dicta Exod. 29. 24.

16. *Hircum, qui oblatus fuerat pro peccato.* Pro peccato populi. Vide dicta, c. 9. n. 15.

Exustum reperit. Eò quòd Aaron et ejus filii recenti suorum clade perculsi et mœsti, hircum hunc pro peccato oblatum comedere non possent, utì debebant per legem latam cap. 6. n. 26; ideoque censuerunt hircum comburendum esse, utì et carnes alias Deo oblatas ipsis residuas Deus comburi jusserat, cap. 7. num. 17.

Iratusque contra Eleazar et Ithamar. Aaron parentem omittit, quia magìs eum quàm fratres tangebat mors filiorum, videbatque eum mœrore absorptum.

17. *Portetis iniquitatem.* Ut scilicet cum hostiis populi pro peccato oblatis, simul etiam populi peccata in vos quasi recipiatis, ut illa expietis, et pro eorum venia Deum deprecemini.

18. *Præsertim cùm de sanguine.* Particula *præsertim* non est exceptiva, sed expositiva et rationalis, et sensus est : oportuit comedere hircum pro peccato; neque enim est de eo genere hostiarum, quarum sanguis infunditur in sanctuarium et aspergitur altare thymiamatis; hæ enim non comedebantur, sed comburebantur extra castra, supra, cap. 6. 30.

19. *Quomodo potui.* Non potui tanta meorum clade perculsus. Hanc excusationem utidoneam admisit Moses.

CAPUT XI.

Sancit Deus legem de animalibus mundis, quibus vesci licet, et immundis quæ comedi vetat.

(*Agitur hoc capite de cibis mundis et immundis, quorum observantiam ideo præscripsit Dominus rudi illi populo, ut illius temperantiam, et obedientiam, et religionem exerceret. Deinde, ut corporali munditiei assueti, assurgerent ad spiritûs etiam munditiem, a peccatis abstinendo, ac nominatim ab idololatria. Tertiò, quia cibi, qui prohibentur, pravi succi plerumque sunt, et valetudini noxii. Tandem quia hæc immunda tropologicè symbola sunt vitiorum a quibus debemus abstinere.*)

2. *Comedere debetis.* Quæ comedere licet.

3. *Divisam ungulam, et ruminat.* Cujusmodi sunt oves, boves, etc.

In pecoribus. In quadrupedibus animalibus.

4. *Sicut camelus.* Camelus immundus est, quia ungulam habet, sed eam non dividit.

5. *Chærogrillus.* Hebr. est שָׁפָן *saphan*, quod est generale nomen, et commune multis animalibus fugacibus, et in latebris degentibus. Aliqui putant esse leporem, alii cuniculum, alii, herinacium. Vox græca χοιρογρύλλος, satis indicat porci genus significari; cùm tam χοῖρος, quàm χρύλος, ex quibus componitur, porcum significet. Videtur ergo chœrogrillus esse, aut herinacius, quem italicè appellamus, *porco spino*, vel, ut indicat S. Hieronymus, aliud animal in Palæstina frequens, herinacii magnitudine, habens similitudinem muris et ursi, quodque propterea in Palæstina a Græcis ἀρκτομῦς dicatur, semper in cavernis petrarum et terræ foveis habitans.

6. *Ungulam non dividit.* Lepus non habet ungulam, seu basim pedum osseam et continuam, quam dividit, sed loco ejus habet ungues varios et aculeatos. Sub lepore cuniculus intelligitur, in quo eadem militat ratio, et quia cuniculus parvus lepus est, ut ait Plin. in lib. 8. cap. 55.

8. *Nec cadavera contingetis.* Unde nec adipem eorum eximere, eove uti poterant.

9. *Pinnulas et squamas.* Ut pisces mundi sint, et iis vesci liceat, duo debent habere, primò pinnulas, secundò squamas, quæ totum pene corpus contegant: si

alterum absit, immundi censentur, ut anguillæ, v. g, quæ squamas non habent.

13. *Gryphem.* Vox hebr. פרס *peres*, aquilam significare videtur. Aldrovandus, lib. 10. cap. 1, docet gryphem esse aquilæ genus maximum, qui maximè aduncum habet rostrum, et ungues, estque fortissimus et rapacissimus.

Haliæetum. Græcè, ἁλιαίετος, aquila marina, quam Plin. lib. 10. cap. 3, clarissima oculorum acie præditam docet, librareque se ex alto, visoque in mari pisce, præcipitem in eum ruere, et, discussis pectore aquis, rapere.

14. *Juxta genus suum.* Juxta species suas: multæ enim sunt vulturum et milvorum species. LXX vertunt, *et similia illis.*

15. *In similitudinem suam.* Id est, secundum similitudinem suam, quasi dicat: omnes aves similes corvo, vel corvinas, quasi immundas habeo et censeo, edique veto.

16. *Struthionem.* Ita ferè omnes interpretes verterunt hebraicum יענה *jahana*; etsi non desint qui *ululam* significari velint. LXX aliquando *sirenes* reddiderunt. Struthio est avium maxima, sed alis se ad cursum, quem pernicissimum habet, juvat, non autem ad volatum attollit.

Noctuam. Hebr. תחמס *thachamas*, alii *nycticoracem*, alii *accipitrem nocturnum*, qui a Plin. lib. 10. cap. 8. *cymindis* dicitur, reddunt. Alii *harpyiam* dixerunt; cùm tamen harpyiæ nullibi sint, nisi in fabulis.

Larum. Larus, sive gravia, ut eam vocat Arist. natat in aquis, et in aere volat, pisciumque est prædo : est e milvorum genere.

Accipitrem. Hebr. נץ *netz*, quod Arias Montanus ad astures, hoc est, accipitres majores restrinxit; alii ad minores, qui nisi dicuntur. Alii generale nomen esse volunt avium ad prædam evolantium.

17. *Bubonem.* Heb. כוס *chos*, alii vertunt *nycticoracem*, alii, *falconem*, alii, *herodium.*

Mergulum. Hebr. שלך *scalach*. aliqui vertunt *ardeam*, Mergulus a mergendo nomen accepit, quòd se in aquas ad pisciculos capiendos immergat. LXX habent, καταῤῥάκτην, quòd cum impetu se dejiciat ad prædam.

Ibin. Est Ægypti avis, serpentibus infesta. Rabbini vocem ינשוף *janscuph*, putant significare avem, quæ nocte vagetur et volet.

18. *Cygnum.* Hebr. תנשמת *thinschemeth.* Arias

Montanus putat esse eam, quam Itali vocant *la civetta*

Onocrotalum. Dicitur ab ὄνος et κρόταλον, eò quòd absona voce crepitando rudentem asinum referat. LXX vertunt, *pelicanum*. Hebr. est vox קאת *chath*. Visitur hæc avis in Helvetia, et ad lacum Lemanum, et alibi.

Porphyrionem. Hebr. רחם *racham*. Pagninus putat esse *pelicanum*, in quam sententiam it etiam Arias, qui *philostorgon*, amantem liberorum, vocat. Porphyrio a purpura nomen habet; quare Plin. lib. 10. cap. 46: *Rostra*, inquit, *iis et prælonga crura rubent.*

19. *Herodionem* Quænam sit avis herodius parum constat: aliqui *fulicam*, alii *Diomedis aves*, alii *ciconiam*, alii *ardeam*, alii *hierofalconem*, alii *milvum*, alii *upupam*, esse volunt. In hebr. est חסידה *chasida*.

Charadrion. Charadrii meminit Arist. l. 8. de Hist. animal. c. 3. ubì Gaza *rupicem* vertit, quasi qui in rupibus niduletur; solet enim circa fluminum alveos, et rivorum charadras, seu hiatus riparum versari.

Upupam. Ita et LXX et alii. Sunt tamen qui vertunt *gallum silvestrem*.

Vespertilionem. Ita omnes vertunt.

20. *Omne de volucribus*. Hic non tam de avibus, quàm de insectis volatilibus agit, quod sequentia indicant.

22. *Bruchus*. Bruchum, seu ארבה *arbe*, e locustarum esse genere indicat noster interpres, et LXX, qui eam vocem sæpius *locustam* vertunt identidem, sed rariùs *bruchum*. Hieronymus, Nahum. 3, docet bruchum esse locustam, sed quæ non volet, et sinè alis sit.

Attacus. Hebr. סלעם *solham*. Vox hæc in Scriptura reperitur tantùm hoc loco; nec satìs constat quid significet, LXX verterunt, ἀττάκην, vel,ut alii legunt ἀττακον, quem auctor Thesauri linguæ græcæ putat esse ἀττέκαβον, quæ est species locustæ.

Ophiomachus. Genus locustæ, ex eo habens nomen, quòd cum serpentibus pugnet, vide Plin. l. 11. c. 29.

Locusta. Generale nomen significans eas quas propriè locustas dicimus.

23. *Quatuor tantùm habet pedes*. Pedes intellige æquales; nam si posteriores habet longiores, quibus saliat, mundum erit, ut dictum est n. 21.

25. *Ut portet quippiam horum mortuum*. v. g., ut illud efferat ex urbe, vel ut amoveat a via, ne aerem inficiat.

26. *Qui tetigerit illud*. Cadaver illius; nam hæc animalia

malia viva tangere poterant, ut equos, camelos, asinos, etc., quibus etiam inequitabant.

27. *Quod ambulat super manus.* Animal cujus pedes anteriores sunt quasi manus, ut simia et ursus.

29. *Mustella et mus.* In significatione horum vocabulorum interpretes consentiunt.

Crocodilus. Hebr. est צב *tzau*, quod alii vertunt, *bufonem*, vel *rubetam*, vel *ranam campestrem*; alii *testudinem*, alii *limacem*, sed omnes divinant. Major fides habenda nostro interpreti et LXX, qui *crocodilum* interpretantur.

30. *Mygale.* Ita etiam LXX. Hebraizantium alii verterunt ericium, alii sanguisugam, alii viveram. Mygale exiguum est animal muris magnitudine, oblongo rostro, cujus morsus venenatus est. Dicitur μυγάλη, quòd colore mustelam γάλην, magnitudine murem, μῦν, referat.

Chamæleon. Ita LXX. Alii vertunt, *rubetam*, alii *lacertam*, alii *limacem*, alii *pantheram*, alii *stellionem*. De chamæleonte, quod est animal lacertæ simile, vide Arist. 2. Hist. animal. cap. 11; et Plin. lib. 6. cap 33.

Stellio. LXX habent, ἀσκαλαβώτην, quæ vox stellio vertitur a Gaza lib. 9. cap. 1. hist. animal. Arist. Stellio animal est non dissimile lacertæ, multò tamen minus, tergum habens lucentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum; hinc illi factum nomen.

Lacerta. LXX, σαῦρα, quam lacertam esse constat. Alii *limacem*, alii *testudinem* interpretantur.

Talpa. Ita fere omnes habent, ut etiam LXX, ἀσπάλαξ enim a Græcis dicitur talpa.

31. *Immunda sunt.* Non tantùm quoad esum, sed etiam quoad tactum, ita ut tangere non liceat, ut patet num. 41. et 43, et cap. 5. 2, ubì reptile æquatur morticino.

32. *Cilicia.* Hebr. est שק *sach*, id est, saccus, per quem Hebræi significant vestes e pilis duras, quales sunt rusticorum, mendicorum, pœnitentium.

In quocumque fit opus. Vas quodcumque, quo ad opus aliquod utimur.

Et sic postea mundabuntur. Erunt munda, nec erit opus alia lotione, aut mundatione, sed adveniente vespera expirabat hæc legalis immunditia.

33. *Vas autem fictile.* Simile est de vase fictili, in quo coquitur caro sacrificii pro peccato, cap. 6. 28.

34. *Si fusa fuerit super eum aqua.* Aqua scilicet immunda, aut fluens ex immundo vase.

De universo vase. Scilicet immundo.

35. *Ciciderit super illud.* Vas scilicet.

Immundum erit. Illud vas, in quod aliquid de morticinis cecidit.

Sive clibani. In quibus panes coquuntur.

Chytropodes. Ollarum sustentacula fictilia, quæ quia fictilia, ut etiam clibani, destruenda erant: vide num. 33.

36. *Fontes verò et cisternæ.* Etiamsi in hæc aliquid immundum ceciderit, non contrahent immunditiam, quod ita Deus statuit propter aquarum necessitatem, quibus carere homines non possunt.

37. *Si ceciderit super sementem.* Non polluitur nisi semen sit aquâ perfusum; tunc enim, quia humidum faciliùs sordes contrahit, ideoque censetur immundum, dandumque est bestiis.

40. *Qui comederit ex eo.* Qui comederit ex eo morticino quidpiam, sive illud portaverit, nesciens tamen, erit immundus usque ad vesperam; nam si sciens comedisset quis, graviter peccasset, et supplicio dignus fuisset.

41. *Abominabile erit.* Quia terrestre, fœdum, et venenosum est.

42. *Quidquid super pectus quadrupes graditur.* Quia pedes habet breves, unde necesse est ut in motu innitatur ventri et terræ, ut serpentes.

Et multos habet pedes. Ut vermes.

Sive per humum trahitur. Ut reptilia.

43. *Animas vestras.* Vos ipsos.

Nec tangatis quidquam eorum. Quæ scilicet præcesserunt. Itaque reptilia ne tangere quidem poterant.

44. *Sancti.* Id est, mundi.

Ego sanctus sum. Mundus sum, et detestor immunditias gentilium in sacrificiis et epulis (de quibus August. lib. 6. et 7 de Civit.), quique volo vos sanctitatem meam spiritualem hac corporali vestra imitari et repræsentare.

45. *Ego enim sum Dominus.* Qui ita mando, et cui vos dicto audientes esse convenit.

CAPUT XII.

Præscribitur purificatio, et oblatio puerperarum.

2. *Si suscepto semine.* LXX ἐὰν σπερματισθῇ, si fuerit semine in concubitu perfusa; si conceperit semine viri recepto. Hinc Beata Virgo concipiens Christum in Spiritu sancto, hac lege obligata non fuit.

Immunda erit septem diebus. Ita ut nemini, ne marito quidem, cum ea versari liceat per septem dies; reliquis verò triginta tribus qui supersunt usque ad quadragesimum arceatur quidem sanctuario, sed tamen cum ea loqui, vesci et versari (non tamen copulam habere, erat enim menstruatæ instar) liceat: idcirco hisce septem diebus dicebatur separata, erantque hi dies separationis; reliqui verò triginta tres erant dies purificationis.

Juxta dies separationis menstruæ. Hisce septem diebus tam immunda erit, quàm mulier menstruata; et eodem modo se separatam, et ut immundam gerere debebit, ac menstruata, de qua cap. 15. 19.

4. *In sanguine*. Ob fluxum sanguinis, quo assiduè purgatur.

5. *Duabus hebdomadibus*. Diebus scilicet quatuordecim, quod erat duplum dierum separationis si peperisset masculum, ut dictum est num. 2.

Sexaginta sex diebus. Ita ut additis illis 14 essent octoginta; diuturnius verò tempus feminis assignatur, quàm proli masculæ, quia mulieres, quæ femellas pariunt, diuturnius purgantur a partu, adeo ut illa purgatio aliquando usque ad octogesimum diem perveniat, cùm post partum masculi ultra quadragesimum non extendatur, ut docet Valesius de sacra Philosophia, c. 18.

6. *Deferet agnum*. Non pro prolis editæ, sed pro suî ipsius purificatione.

Anniculum. Ut gratias agat Deo, quòd periculum partûs evaserit.

Pro peccato. Pro immunditia quæ est quoddam legale peccatum, quod eo sacrificio tollebatur. Vel etiam intellige de peccato propriè accepto, si quod in puerperio, vel aliàs admisit.

7. *Mundabitur a profluvio sanguinis sui*. Ab immunditia legali quam contraxit ob fluxum sanguinis puerperii, ut deinceps sanctuarium adire, sacra tangere, offerre victimas alias, iisque vesci possit.

8. *Si non invenerit manus ejus*. Hebr. *si non invenerit manus ejus sufficientiam agni*. Si adeo fuerit pauper ut pretium ad agnum emendum sufficiens habere non possit, etc. Ita fecit B. Virgo spiritu et censu pauper.

CAPUT XIII.

Describuntur signa, et species lepræ, et quædam leprosis servanda præcipiuntur.

(Agitur hoc capite de lepra, et describuntur signa quibus agnosci possit. Dubitatio est an lepra, de qua hìc est sermo, sit ejusdem rationis, cum lepra nostrarum regionum, quam quæstionem fusè tractat Vales. de sacra Philosophia, cap. 19, *docens esse diversam, censetque lepram de quâ hìc Moses præcepit non esse unum morbum, sed varia vitia cutis, et turpitudines, hoc est, vitiliginem, scabiem, sive impetiginem, elephantiam, achorem, alopeciam, vel ophiasin, ut suis locis dicetur.)*

2. *QUASI lucens quippiam.* Quasi fulgentes furfures aut squamæ; nam hæc sunt initia vitii abeuntis in malignum et in aliquod lepræ genus, ut docet Vales. loco cit.

Adducetur ad Aaron sacerdotem. Quia sacerdotis est judicare an quis aptus sit, id est, ita mundus, ut ingredi possit sanctuarium, an non.

3. *Et pilos in album mutatos.* Albor enim pilorum carnis ex qua nascuntur corruptionem et vitium indicat. Hæc est prima species lepræ, quæ vocatur lichen, vel impetigo, vel lepra volatilis. Ejus duo hìc dantur signa; primùm pilos, qui ex leprosa cute nascuntur, in album colorem mutari: secundùm, ipsam lepram humiliorem esse reliqua cute.

Ipsamque speciem lepræ. Id est, apparentem speciem lepræ.

Ad arbitrium. Judicium, de consilio tamen medicorum, ut quidam aiunt.

Separabitur. Ut immundus.

6. *Mundabit eum.* Mundum esse pronuntiabit: * et ratio redditur, *quia*, inquit, *scabies est.* Theodotion vertit, ἔκβρασμα, ebullitio, de qua D. Hieronymus ad cap. 2. Nahum: ebullitio, quæ significantiùs in græco dicitur ἐκβρασμὸς: si quidem, ἐκβρασμος, in istiusmodi rebus ponitur, cùm quod latebat intrinsecus, erumpit in faciem: unde papulæ quoque, quæ post ægrotationem nascuntur in labiis, vocantur ἐκβράσματα. Hæc Hieronymus. Hæ autem papulæ tales sunt, ut alios non inficiant, quod facit lepra.

8. *Immunditiæ condemnabitur.* Quia apparuerunt in eo signa permanentis et radicatæ lepræ.

10. *Ipsa quoque caro viva apparuerit.* Hæc est tertia species lepræ, scilicet lepra inolita, quæ in viva est carne, cùm prior fuerit in cute et capillis.

11. *Contaminabit itaque eum sacerdos.* Contaminatum pronuntiabit.

13. *Teneri lepra mundissima.* Hæc est quarta species lepræ quæ dicitur mundissima, id est, minimè contagiosa scabies : itaque hic scabiosus, non leprosus judicabitur.

14. *Caro vivens.* Leprâ aspersa.

In eo apparuerit. Cute consumpta.

15. *Polluetur.* Pollutus judicabitur.

16. *Rursum versa fuerit in alborem.* Mundus erit, quia hoc signum est carnem sanari, et cute rursum undequaque obduci.

19. *Et in loco ulceris.* Nihil hìc aliud dicitur, quàm lepram de qua dictum num. 3 et 4, posse innasci ulceribus sanatis ; quod si contingat, idem judicium erit quod supra.

Subrufa. In ruborem vergens.

23. *Sin autem steterit in loco suo.* Quia si lepra esset, non sisteret, sed serperet : ergo quod videtur in tali cicatrice album, vel subrufum, est ex ulcere præcedente, non autem est lepra.

24. *Albam sive rufam.* Quia si esset ex combustione, nigra esset; ergò cùm sit alba, vel subrufa, suspicio est esse lepram.

28. *Plaga combustionis est.* Combustione inflicta et relicta.

29. *In cujus capite vel barba.* Hæc est quinta species, non formalis, sed materialis lepræ, scilicet barbæ et capitis, quæ est ejusdem formæ et rationis cum lepra aliarum partium : itaque et eadem ejus signa sunt : illud interest, quòd in reliquis partibus lepra pilos in albos commutat, in barba verò et capite mutat eos in flavos, eosque extenuat.

33. *Radetur.* Ut clariùs appareat post septem dies an serpserit lepra.

38. *In cujus cute candor apparuerit.* Describitur hìc vitiligo, id est, macula simplex coloris candidi lucentis in cute, quæ non est lepra.

42. *Albus vel rufus color.* Sexta species lepræ, quæ est in calvitio : maculæ albæ vel rufæ significant malignos succos qui corrumpunt radices capillorum, et tales sunt in maligna alopecia, sive ophiasi, id est,

defluvio capillorum. Unde maligna hæc alopecia inter species lepræ numeratur.

45. *Vestimenta dissuta.* Quod leprosis salubre erat, ut corrupti corporis humores faciliùs evaporarent; integris verò utile, ut lepra infectos a sanis possent internoscere.

Caput nudum. Propter eamdem rationem.

Os veste contectum. Non semper, sed cùm ad alios propiùs accedit, ne corruptio oris halitu morbum communicet.

Sordidum se clamabit. Ne quis cum periculo prope accedat.

46. *Solus habitabit extra castra.* In deserto, in quo tunc erant. Postquam verò habitarunt in Judææ urbibus, adhuc extra mœnia degebant leprosi, nisi fortè vir aliquis primarius intra urbem degere permitteretur, qui separatas ædes extra aliorum periculum haberet, ut Ozias rex, 4. Reg. 15. 5, et 2. Paral. 26. 21.

47. *Vestis lanea sive linea.* Est hæc septima lepræ species, sed analoga, scilicet lepra vestis, vel domûs; cùm enim lepra morbus contagiosus sit, vestibus etiam, et domorum parietibus adhæret, et inde inhabitantium, aut vestibus illis utentium corpora transilit.

55. *Faciem quidem pristinam non reversam.* Pristinam, quam scilicet habebat vestis, antequam esset infecta leprâ; permanens enim in ea nota, indicat esse lepram: aliàs aliquo modo mutasset colorem.

In superficie. Hebr. *in calvitio, vel recalvatione*, quasi dicat, parte posteriori vel anteriori.

56. *Abrumpet eum.* Eam partem panni, vel pellis, in qua hæ maculæ apparent, resecabit a relicto corpore vestis, et in ignem pars illa abjicietur.

57. *Lepra volatilis et vaga.* Similis illi in homine, de qua num. 12.

59. *Mundari debeat, vel contaminari.* Censeri munda, vel contaminata, ut supra dictum est: sic enim hæc duo verba toto capite accipiuntur.

CAPUT XIV.

Describitur ritus expiandæ lepræ hominum, domorum et vestimentorum.

1. RITUS *leprosi.* Cæremonia quæ adhibetur, cùm leprosus expiandus est et restituendus commercio aliorum hominum.

4. *Passeres.* LXX, *aviculas.*

Quibus vesci licitum est. Passeres non sunt numerati cap. 11 inter aves immundas; erant ergo mundi, et illis vesci fas erat.

5. *Immolari.* Hebr. *jugulari.*

Jubebit. Non a sacerdote, sed sacerdotis jussu fiebat hæc occisio, neque erat propriè sacrificium, quod Deo offerretur, cùm fieret extra castra, longè ab altari: sed tantùm occisio passeris fiebat ad excipiendum ejus sanguinem, ut eo tingeretur leprosus expiandus.

Super aquas viventes. Fontanas scilicet, vel fluviales.

7. *Quo asperget illum.* Aspergillum hoc, quo mundabatur leprosus, erat tale: virgæ cedrinæ alligabatur in summo passer vivus, ita ut cauda emineret in extremo; caput verò ad manubrium aspergilli esset obversum; huic virgæ simul cum passere alligabatur coccus, id est, lana coccinea et hyssopus; ita summitas virgæ, id est, passeris cauda et alæ cum cocco et hyssopo mergebantur in aquam vivam sanguine passeris occisi infectam, eaque aspergebatur leprosus purificandus.

Septies. Passim in hisce lustrationibus septies fiebat aspersio, ut patet cap. 4. 6, et hoc cap. num. 7. 16, et cap. 16. num. 14 et 19, ut scilicet, numero perfectionem significante, plena purgatio et expiatio significaretur.

Jure pergetur. Ritè et legitimè.

8. *Cùmque laverit homo... radet.* Lotio, rasio, et exacta munditiæ cura ad lepram sanandam plurimùm juvat.

Extra tabernaculum. Extra domum suam, ne fortè si quid lepræ lateat, contactu in domesticos, et maximè in uxorem transmittat.

9. *Radet capillos.* Secunda rasio.

10. *Tres decimas similæ.* Unam decimam pro qualibet ove, in sacrificium farreum sive similæ.

Olei sextarium. Sextarius, hebr. לוג *log*, erat mensura liquidorum, duodecimam partem hin continens, sex ovorum capax.

12. *Offeret eum pro delicto.* Offeret, id est, elevabit eo ritu elevationis, de quo dictum est, Exod. 29. 24.

In loco sancto. In atrio tabernaculi juxta altare holocaustorum, ante Sanctum.

Ad sacerdotem pertinet. Ut dictum est cap. 6. 25, et 26.

Sancta sanctorum. Sanctissima. Totius versiculi sensus est: in loco sancto immolabit, quia sancta sanctorum

est, eamque uti hostiam pro peccato a sacerdotibus absumi volo.

16. *Coram Domino*. Coram ostio tabernaculi.

17. *Et super sanguinem*. Qui adhæret, seu quo tinctæ sunt aures et pollices ejus qui mundatur.

19. *Faciet sacrificium pro peccato*. Secundum agnum sacrificabit pro peccato, sicut primum sacrificavit pro delicto, num. 10 : quomodo distinguantur delictum et peccatum dixi cap. 7. num. 1.

Immolabit holocaustum. Ovem anniculam, num. 10; priùs enim per sacrificium pro peccato et delicto expiari debebat anima, ut deinde purum et gratum Deo offerret holocaustum.

20. *Cum libamentis suis*. Cum oblatione similæ, olei, et vini; hæc enim sunt libamenta : similia libamenta intellige in sacrificio prò peccato et pro delicto. Vide supra, cap. 7. 7, et Num. 15.

31. *Pro delicto*. Delictum hic noster interpres confundit, et sumit pro peccato; agnus enim propriè pro delicto, turtur verò non pro delicto, sed pro peccato offerebatur, ut patet ex num. 22, et ex hebr. chad. et LXX hìc.

34. *Plaga lepræ in ædibus*. Lepra hæc ædium erat qualitas vitiosa in domibus, eas arrodens et signa imprimens, ut lepra in homine; ortum habebat vel ex aëris infecti vitio, vel ex anhelitu et contagio leprosorum in iis habitantium : sic pestilentes qualitates domibus, vestibus et supellectili eorum adhærescunt, qui peste sunt afflati.

37. *Quasi valliculas*. Hæc signa lepræ in domibus eadem sunt quæ in homine, cap. 13. num. 3.

Valliculas. Fossas sive cavitates erosas a lepra.

53. *Jure mundabitur*. Ritè, legitimè.

54. *Percussuræ*. Quando scilicet in percussuram, vel ex percussura, aut convulsione lepra irrepserit. Chald. pro *percussuræ* habet, *lepra capitis*, alii, *maculæ nigræ*.

56. *Cicatricis*. Quando scilicet in cicatrice ulceris, aut vulneris innata fuerit lepra, ut dictum est cap. 13. 18.

CAPUT XV.

Describitur immunditia et purificatio seminiflui, concumbentis, menstruatæ et sanguinis fluxum patientis.

2. QUI *patitur fluxum seminis*. Scilicet perdurantem, per morbum gonorrhææ, ut vocant medici, qui oritur ex debilitate naturæ et potentiæ retentivæ.

8. *Lavabit vestimenta sua.* Is qui consputus est.

9. *Sagma.* Id est, sella vel stratum. Chald. *omnis equitatura super quam equitaverit, erit immunda.* LXX verterunt, *stragulum asini*, ἐπίσαγμα ὄνε.

15. *Faciet.* Immolabit.

Pro peccato. Legali scilicet, ad legalem immunditiam expiandam, et etiam pro peccato vero et propriè sumpto, si quod habeat nondum expiatum.

A fluxu seminis sui. Ab immunditia legali per seminis fluxum contracta.

16. *Semen coitûs.* Sive legitimo in matrimonio, sive illegitimo et illicito extra matrimonium. Semen coitûs dicitur, id est, quale solet in coitu.

Lavabit aquâ. Hæc expiatio post coitum statim postero mane fieri debebat.

Usque ad vesperum. Non propter peccatum, quod potuit non intervenisse, ut si cum uxore congressus esset, sed propter immunditiam legalem.

19. *Fluxum sanguinis.* Menstrui.

Separabitur. Non extra castra, sed a communione hominum per septem dies.

20. *Omnis qui tetigerit eam.* Si sit grandior, et compos rationis; nam infantes excusat ætas, necessitas et naturæ pietas.

23. *Omne vas.* Omne instrumentum.

24. *Immundus erit septem diebus.* Si res lateat; tunc enim occultè expiari poterit: si autem res prodatur, ipseque accusetur et convincatur, unà cum femina occidendus est, infra, cap. 20. 18.

25. *Fluxum sanguinis.* Hæmorrhoides.

27. *Tetigerit ea.* Stratum scilicet, et vas.

30. *Faciet.* Immolabit sacerdos turturem unum, vel pullum columbæ.

Pro peccato. Non quòd menstruorum fluxus sit peccatum, sed quòd sit legalis immunditia.

Et pro fluxu immunditiæ ejus. Ut scilicet liberetur ab immunditia legali quam ex hoc fluxu contraxit.

31. *Caveant immunditiam.* Caveant immundi ingredi tabernaculum meum.

Non moriantur in sordibus suis. Alioqui ego eos puniam propter sordes eorum, cum quibus nondum expiati ad sacra loca accesserint.

CAPUT XVI.

Ritus ejus festi, quod expiationis dicebatur.

1. *Post mortem duorum filiorum Aaron.* Quæ occasio fuit instituendi festi, quod Hebræi vocant כפורים *chippurim*, id est, *expiationis*, de quo hic agitur. Finis festi hujus fuit ut sanciretur reverentia sacrorum, et tabernaculi nominatim.

* 2. *Ne omni tempore ingrediatur.* Id est, ne unquam ingrediatur pontifex Sanctum Sanctorum, etiam cùm licebit illi ingredi, nisi cæremonias hasce præmiserit.

Sanctuarium, quod est intra velum. Sancta Sanctorum.

Super oraculum. Super propitiatorium.

3. *Nisi hæc ante fecerit, vitulum pro peccato offeret, et arietem in holocaustum.* Illud, *ante*, et illud, *offeret*, intellige partim immolando, ut vitulum pro peccato (hujus enim sanguinem inferre debet in Sanctum Sanctorum), partim Deo sistendo, ut arietem : hic enim aries non ante, sed post pontificis in Sanctum Sanctorum ingressum, et rursum egressum, immolabatur in holocaustum.

Vitulum pro peccato. Pro suis et familiæ suæ peccatis toto anno scienter, aut per ignorantiam admissis, ut patet num. 6. Nam pro peccatis populi non vitulum, sed hircum offerebat, ut patet num. 5 et 15.

4. *Tunica linea.* Non pontificalibus vestibus amictus, sed cultu tantùm minorum sacerdotum ; erat enim festum hoc non lætitiæ et exultationis, sed pœnitentiæ et mœroris.

5. *Duos hircos pro peccato.* Hæc est hostia pro peccatis totius populi, toto anno scienter, vel ignoranter admissis.

6. *Pro domo sua.* Pro tota familia sacerdotum omnium et levitarum ; nam non hi continentur nomine populi, sed ad pontificis domum pertinent.

9. *Cujus exierit sors.* Qui modus servaretur in his sortibus, incertum est.

10. *Caprum emissarium.* Pro, *emissarium*, in hebr. est עזאזל *azazel*, de qua voce multi multa. Breviter dico caprum azazel idem esse quod caprum *abeuntem*, vel *emissarium*, et ut vocant LXX, ἀποπομπαῖον χίμαρον nam עז *hez*, caprum significat, אזל *azal* verò *abiit*, seu *ablatus est*.

Ut fundat super eo preces. Ut scilicet confiteatur

peccata sua, et populi, Deumque roget ut illa transferat in hircum; erat enim hircus hic quasi piaculum populi, cui peccata populi imponerentur, ut ille iis onustus, ea secum extra castra efferret in desertum.

11. *Offeret vitulum*. Non erat hæc vitula rufa, de qua Num. 19. 2; illa enim extra castra pro peccato populi; hic verò in tabernaculo pro peccatis sacerdotum immolabatur.

12. *Compositum thymiama*. Cujus compositio describitur Exod. 30. 34 et 35.

Intrabit in Sancta. In Sanctum Sanctorum.

13. *Quod est supra testimonium*. Supra arcam in qua est testimonium, id est, tabulæ legis.

Et non moriatur. Ob neglectas sacras cæremonias.

14. *Contra propitiatorium*. Ita tamen ut sanguis illud non tangeret.

Ad orientem. Versùs anteriorem partem, quæ orientem respicit.

15. *Intra velum*. Intra Sanctum Sanctorum inferet sanguinem, simul cum sanguine vituli, de quo num. 11 et 14; alioqui bis eodem die debuisset pontifex ingredi Sancta Sanctorum; cùm tantùm semel in anno id ei liceret, ut patet hebr. 9. 7.

17. *In tabernaculo*. Id est, in priori tabernaculi parte, quæ Sanctum dicitur; nam in Sanctum Sanctorum nulli prorsus unquam aditus patebat præterquam pontifici.

18. *Exierit ad altare*. Thymiamatis.

20. *Postquam emundaverit sanctuarium*. Non quòd sanctuarium per se expiatione indigeret, sed quòd ipsum peccatis populi, in cujus medio erat, toto anno commissis, quasi pollutum et contaminatum videretur.

* *Offerat hircum viventem*. Alterum scilicet pro emissario reservatum, non immolando, sed coram Deo et tabernaculo vivum sistendo.

21. *Imprecans capiti ejus*. Ut scilicet peccatorum pœna in illum transiret.

In desertum. Ubi hic caper emissarius devoretur a feris, atque ita piaculum sit populi, et hoc modo peccatis debitas pœnas in ipsum translatas luat.

23. *Revertetur.... in tabernaculum*. Emittens enim hircum erat extra illud, ad ostium scilicet tabernaculi.

24. *Lavabit carnem suam*. Totum scilicet corpus, ut hæc lotio symbolum sit munditiei per expiationem jam peractam adeptæ.

In loco sancto. In atrio tabernaculi, ad labrum sive mare æneum.

Indueturque vestibus suis. Pontificiis; nam deinceps solemnitas hæc erat læta, et cum expiatione transierant signa luctûs.

26. *Lavabit.* Ad abluendam immunditiam legalem, quam contraxit ex contactu hirci tot peccatis et imprecationibus onusti.

27. *Asportabunt foràs castra.* Ob causam dictam cap. 4. 12.

28. *Quicumque combusserit ea.* Quicumque ex populo, cui hoc munus committebatur; neque enim hoc faciebant sacerdotes.

29. *Legitimum sempiternum.* Lex perpetua, semper observanda.

Mense septimo. Hinc et ex num. 32 patet hoc festum expiationis, ejusque cæremonias peractas fuisse decimo die mensis septimi; quando scilicet Judæi frugibus jam collectis otium habebant Deo vacandi, se expiandi, Deoque gratias agendi.

Affligetis animas vestras. Tum jejunando, tum aliis modis carnem macerando.

31. *Sabbatum enim requietionis est.* Hebr. est, *sabbatum sabbati*, sive *quies quietis*, id est, summa quies; quare nec licebat in hoc festo cibos apparare, cùm in aliis festis liceret, ut patebit cap. 23. 27.

32. *Sacerdos, qui unctus fuerit.* Pontifex.

34. *Ut oretis.* Vos, ô pontifices deinceps futuri. Soli enim pontifices poterant expiare, et solemniter orare hac die.

CAPUT XVII.

Præcipit Deus, ut sibi soli sacrificetur, idque non in agro, sed tantum in tabernaculo: vetat esum sanguinis et morticini.

3. OCCIDERIT *bovem.* Sensus est: quicumque immolaverit et sacrificaverit ovem, bovem, aut capram extra tabernaculum, reus est mortis; quia scilicet cùm sit laicus, sacerdotale munus occupat, et quia extra locum ad sacrificia destinatum hoc facit. Deo tamen inspirante aliqui extra tabernaculum immolarunt, sic Manue, Judic. 13. 19; Samuel. 1. Reg. 7. 9 et 1. Reg. 11. 15 et 1. Reg. 16. 2, et David 2. Reg. 24. 18, et Elias 3. Reg. 18. 36.

4. *Sanguinis reus erit.* Morte plectetur a judice, si res constet; si lateat, Deum vindicem habebit.

Quasi si sanguinem fuderit. Occidetur perinde ac homicida occiditur. Ob hanc legem Israelitæ bellum apparatunt contra Rubenitas, qui aliud altare erexerant, Josue 22. 12.

5. *Ideo.* Ne rei fiant sanguinis et mortis.

Quas occident in agro. Quas more aliarum gentium occidere et immolare solent in agro, idque non Deo, sed dæmonibus, ut dicitur num. 7. Vel quas aliàs in agro occiderent et immolarent, nisi lex vetaret.

Sanctificentur. Offerantur et consecrentur.

Hostias pacificas. Sub pacificis, et holocausta, et victimas pro peccato intellige. Meminit tamen pacificarum tantùm; nam tales ferè dæmonibus immolabant.

6. *Sanguinem super altare.* Per circuitum altaris, ut patet cap. 3. 2.

7. *Dæmonibus.* Hebr. *pilosis*, vel *satyris*, quibus more gentium sacrificabant.

Cum quibus fornicati sunt. Quibus adhæserunt. Fornicationis nomine frequentissimè in Scriptura idololatria significatur. Hinc patet Judæos ante hæc tempora, cùm adhuc in Ægypto degerent, coluisse idola, et dæmonibus sacrificasse. Idem patet ex Ezech. 16. 22, et sequentibus.

10. *Homo quilibet de domo Israel.* Homo judæus.

Et de advenis. De proselytis ad judaismum conversis.

Qui peregrinantur. Qui morantur, habitant.

Obfirmabo faciem meam. Vehementer irascar: * sic et infra, cap. 20. 3.

11. *Anima carnis in sanguine est.* Præcipuè e sanguine pendet; sinè ipso enim perit animal. Vide Gen. 9. 4.

13. *Operiat illum terrâ.* Ratio hujus rei est, ne bestiæ sanguinem lamberent.

15. *Morticinum.* Per se mortuum.

Captum a bestia. A fera aliqua discerptum et prægustatum.

Lavabit vestimenta sua. Si ignorans tale quid comederit (nam si sciens comedisset, graviùs mulctatus fuisset). Insuper offeret sacrificium præscriptum cap. 4. 27, et sequentibus.

Hoc ordine. Hisce cæremoniis.

16. *Portabit iniquitatem suam.* Pœnas luet iniquitatis et inobedientiæ.

CAPUT XVIII.

Præscribit gradus consanguinitatis, et affinitatis in quibus matrimonium contrahere non licet. Vetat adulterium, sodomiam, bestialitatem, et ne filios suos offerant Moloch, ut fecerunt Chananæi, quos proinde Deus terrâ suâ se expulsurum minatur.

1. *Nec in legitimis eorum ambulabitis.* Gentium ritus et cæremonias, quibus ipsi colunt sua idola et dæmones, aversabimini.

4. *Judicia mea.* Præcepta judicialia, quæ justitiam et honestum convictum inter te et proximum statuunt. *Et præcepta.* Cæremonialia, quibus ritè colatis me.

5. *Vivet in eis.* Servans has leges a me vita diuturna et prospera donabitur, ut diu per eas, et in earum observatione vivat.

6. *Ad proximam sanguinis sui.* Nimirum juxta ea, quæ hic statuentur.

Ut revelet turpitudinem. Turpitudo vocantur membra inhonesta, et revelare turpitudinem mulieris est cum ea congredi, sive in matrimonio, sive extra illud.

Ego Dominus. Qui hæc præcipio, et cui a vobis debetur obsequium.

7. *Turpitudinem patris tui.* Vetatur matrimonium et copula cum patre et matre; olim enim barbari aliqui, contra naturalem in hujusmodi personas reverentiam, patri, aut matri miscebantur.

8. *Uxoris patris tui.* Non habebis rem cum noverca tua.

Turpitudo enim patris tui est. Hebr. *nuditas enim patris tui est.* Quasi dicat, eam nudavit et cognovit pater tuus; itaque omnino indecens est ut tu eam cognoscas.

9. *Sororis tuæ ex patre.* Quæ eumdem tecum habet patrem, sed aliam matrem.

Sive ex matre. Quæ eamdem tecum habet matrem, sed alium patrem.

Quæ domi vel foris genita est. Qualis illa est, quam mater de primo marito suscepit, et cum qua in domum venerat, quando secundo huic marito nupsit, quasi dicat: uterinam sororem etiam foris, et extra domum natam, nemo ducet.

10. *Quia turpitudo tua est.* Quia scilicet a te rectâ lineâ descendit neptis, ideoque tecum quasi una cense-

tur, ut si ejus turpitudinem reveles, tam tuam quàm ejus turpitudinem reveles.

11. *Filiæ uxoris patris tui.* Filiam novercæ tuæ, quæ tibi quasi est soror agnata, non duces, nec cognosces.

12. *Sororis patris tui.* Amitæ tuæ.

Caro est patris tui. Quia est consanguinea patris tui, et ab uno parente, eademque carne cum patre tuo decisa.

14. *Turpitudinem patrui tui non revelabis.* Ut scilicet uxorem ejus ducas, aut cognoscas, ipso etiam mortuo; nam verba sequentia, *nec accedes ad uxorem ejus*, explicant quid sit patrui turpitudinem revelari. Ubì notandum in veteri lege matrimonium cum amita vetari, non autem cum patruo : causa est, quia cùm vir sit caput uxoris, si nepos duceret amitam, oporteret eam subesse nepoti; hoc autem indecens est : in altero autem casu patruo subest neptis, quod decentius est.

15. *Nurûs tuæ.* Uxoris filii tui, etiam eo mortuo.

16. *Uxoris fratris tui.* Excipe nisi frater moriatur sinè liberis; tunc enim non tantùm potest, sed etiam debet eam ducere, ut suscitet semen et liberos fratri suo, ut præcipitur Deut. 25. 5.

17. *Uxoris tuæ et filiæ ejus.* Ita ut vel simul vel successivè utramque habeas uxorem.

Quia caro illius sunt. Quia scilicet conjunctæ sunt, et sanguine proximæ uxori tuæ, ac proinde omnino indecens est ut earum turpitudinem reveles.

Incestus est. LXX, *impietas est.* Hebr. *nefas est.*

18. *Sororem uxoris tuæ.* Vetatur ne quis simul duas uxores habeat, cùm tamen priùs fuisset licitum, ut discimus ex facto Jacob qui Liam et Rachelem sorores duxit.

In pellicatum illius. Hebr. additur, *ad affligendam illam*, si videlicet videat sororem sibi superinduci velut pellicem : itaque oriatur inter eas simultas et æmulatio.

Adhuc illa vivente. Quia mortuâ illâ poterant accipere sororem in conjugem.

21. *Idolo Moloch.* Deo Ammonitarum, cui infantes comburebantur, aut saltem traducebantur per ignem in ejus honorem.

Nec pollues nomen Dei tui. Hoc enim mihi, meoque nomini esset dedecori, si, me relicto, coleres idola, ac præsertim Moloch, tam infami cultu.

23. *Cum omni pecore.* Cum pecore cujuscumque generis sit.

* *Quia scelus est.* Hebraicè, *confusio.* Non abomina-

tio tantùm, sed scelus pudendum et immane. Adde ex hujusmodi congressibus monstra procreari.

24. *Ne polluamini in omnibus his.* Id est, in nullo horum polluamini.

25. *Scelera visitabo.* Puniam,

26. *Tam indigena, quàm colonus.* Colonus vocatur hìc incola, qui in Hebræorum coloniam et legem transiit, et inter eos peregrinatur, id est, habitat.

28. *Et vos similiter evomat.* A se ejiciat.

Evomuit. Loquitur de futuro, quasi de præterito propheticè : sensus ergo est, certò et brevì evomet. Terra dicitur evomere tropicè, quasi corruptos mores et impietatem non ferens : sic Sap. 5. 23, dicitur : *Excandescet in illos aqua maris.*

CAPUT XIX.

Sanciuntur promiscuè præcepta quædam moralia, et cæremonialia.

2. *Sancti estote.* Mundi et puri ab omni immunditia carnis et spiritûs, ab omni peccato noxaque legali.

3. *Timeat.* Revereatur.

4. *Deos conflatiles.* Est synecdoche; nam conflatilium nomine omnia prohibet idola sive fusilia, sive ductilia, sive sculptilia.

5. *Ut sit placabilis.* Ut sit vobis placatus et propitius.

7. *Post biduum comederit ex ea.* Hostiâ pacificâ.

* *Profanus erit.* LXX vertunt, ἄθυτον ἐςι : irritum erit sacrificium, effectu carens, et nihil tibi proderit; imò erit profanum, et qui hoc patrarit impietatis reus erit, ut sequitur.

Impietatis reus. Quia hanc sacram cæremoniam a Deo sancitam violavit.

8. *Peribit.* Sententiâ judicis, si res constet; alioqui Deo vindicante.

9. *Non tondebis.* Hebr. *non consummabis metere angulum*, vel, *extremitatem agri tui*, quasi dicat, non secabis omnes fruges, sed relinques aliquid in extremitate, vel angulo agri tui, ut pauperes illud colligere possint.

10. *Neque in vinea tua racemos.* Post vindemiam remanentes.

Racemos... congregabis. Hebr. *ne facias racemationem vindemiæ tuæ.* LXX, *non revindemiabis vinetum tuum.*

11. *Non mentiemini*. Hebr. *non negabitis*, scilicet veritatem in deposito, credito, aliove quovis contractu, ac debito.

12. *In nomine meo*. Per nomen meum.

Nec pollues nomen Dei tui. Quantùm in te est; nam alioqui nomen Dei in se pollui nequit.

13. *Opus mercenarii*. Merces operis.

Usque mane. Sed eadem die ante noctem ei persolves, quia operarii ferè pauperes adeo sunt, ut in diem vivant.

14. *Non maledices surdo*. Quia hoc valde inhumanum est, ut ei, qui se defendere nequit, injuriam irroges.

* *Nec coram cæco*. Fortasse sermo est metaphoricus, vetans mala dari consilia, præsertim simplicioribus, quos facile est in fraudem inducere.

15. *Non consideres*. In judicio.

Personam pauperis. Ut iniqua ejus miseratione commotus, judicium pervertas.

16. *Criminator..... susurro*. In hebr. est una tantùm vox רכיל *rachil*, id est, detractor, susurro.

Non stabis. LXX, *non conspirabis*.

Contra sanguinem proximi tui. Ut injustè eum occidentes juves.

17. *Sed publicè argue eum*. Ne odium foveas occultum; sed si in aliquo læsus es, et jus tuum prosequi velis, palam per judices cura ut tibi satisfiat.

Ne habeas super illo peccatum. Ei perniciem aliquam occultè machinando.

18. *Non quæras ultionem*. Ne privata auctoritate injuriam ulciscaris; nec per judicem libidine ultionis.

Nec memor eris injuriæ. Chald. *non servabitis inimicitias*. Verbum נטר *natar*, quod hìc habetur, in eos competit qui beneficium dant, sed addita exprobratione ob acceptam olim injuriam.

Sicut teipsum. Vox *sicut* non æqualitatem, sed similitudinem significat.

Ego Dominus. Qui scilicet id ipsum, licèt arduum, jure meo exigo et præcipio.

19. *Jumentum tuum*. Accipienda lex ut sonat. Muli ergo, quos Hebræi habuerunt, vel casu geniti sunt, vel aliunde adducti. Ita præceptum est, 1. quia volebat Deus Hebræos sanctissimè juxta naturam institui; congressus autem animalium diversæ speciei est contra naturam; 2. quia nolebat Deus animalium species confundi ac permis-

ceri; 3. ne Hebræi talia curantes, et spectantes congressum illum animalium, similia discerent et imitarentur.

Non seres diverso semine. Videtur voluisse Deus hac, et sequenti lege, Hebræis commendare simplicitatem in victu et vestitu, omnique alia re. * Quod hic in arvo dicitur, idem in vinea locum habet. Deut. 22. 9.

Ex duobus texta. Lanâ, scilicet, et lino.

20. *Vapulabunt ambo.* Hebr. *vapulatio erit eis loris bubulis.*

22. *Repropitiabitur ei.* Ne eum puniat in hac vita; per gratiam etiam et infusionem charitatis, si verè contritus sacrificium obtulerit.

23. *Auferetis præputia eorum.* Præputia vocat primos trium annorum fructus. Voluit Deus hâc cæremoniâ coli perinde ac puerorum circumcisione; congruè tamen ad arborum naturam; nam earum fructus primi magis aquosi et indigesti, ideoque insalubriores sunt posterioribus.

Poma quæ germinant. Quæ producent, scilicet ipsæ arbores.

24. *Omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.* Quarto anno fructus consecrabitur Domino in laudem ejus, ut scilicet offeratur sacerdotibus sicut primitiæ et decimæ, et in eorumdem jus cedat: quarto ergo anno hosce fructus comedere poterant sacerdotes, non laici.

26. *Non augurabimini.* Non exercebitis magiam, aut magicam divinationem.

27. *Neque in rotundum attondebitis comam.* LXX habent, *non facietis σισόην (rotunditatem) ex coma vestra.* Etiam nunc aliquæ gentes totum caput tondent, aut radunt, particulâ duntaxat intonsâ relictâ, vel in vertice, vel in sincipite, ex qua cirrus capillorum existit. Illum aliqui vocant vernaculo vocabulo *la sisora.* Hic mos fuit vetustus, et a gentilibus ægyptiis præsertim usurpatus, ideoque a Domino Hebræis interdictus.

Nec radetis barbam. Hebr. *non destrues extremitatem barbæ tuæ.* Quasi dicat, tondere permitto, radere usque ad extremam cutem interdico. Ita præcepisse videtur Deus, ut barba appareret, quæ est virilitatis insigne.

28. *Non incidetis carnem vestram.* Mos hic erat gentilium in funeribus, qui lanceolis aut gladiolis brachia, aut alias corporis partes certis notis compungebant, et sanguinem eliciebant in mortuorum honorem, et in mœroris argumentum. Vide Deut. 14. 1, et 3. Reg. 18. 28.

* *Figuras... aut stigmata.* Fiebant ferro ignito, atramento, aut stibio, in honorem deorum. Has notas nulla

poterat ars abolere ; quare eas meritò vocat Horatius *Victura in cute puncta.*

30. *Sabbata mea custodite.* Sabbatum hìc quodlibet festum significat.

Sanctuarium meum metuite. Reveremini, nec accedentes immundi, nec curiosè scrutantes, nec illud ingredientes, cùm fas non est.

31. *Ad magos.* Hebr. *ad pythones*, qui dæmonem habent familiarem, maximè ventriloquum, ex ventre scilicet quasi ex utre confuso sono loquentem.

Nec ab ariolis. Arioli propriè vocantur, qui ex victimis immolatis divinant.

32. *Et time Dominum.* Præcipientem ut senes honore afficiantur.

33. *Advena.* Circumcisus, proselytus factus.

35. *In regula.* Qua scilicet mensuratis, qualis est ulna, quasi dicat, justa mensura utimini in mensurando.

36. *Æqua sint pondera.* Hebr. *æqui sint lapides.* His enim olim ponderibus utebantur; unde Prov. 16. 11, hæc pondera vocantur *lapides sacculi.*

CAPUT XX.

Decernitur pœna mortis, scilicet lapidationis, idololatris, consulentibus magos, maledicis in parentes, incestæ, et proposteræ libidinis.

2. *Et de advenis.* Proselytis.

Idolo Moloch. Vide supra, cap. 18. 21.

Populus terræ. Plebs.

3. *Succidamque eum.* Si videlicet judices eum plectere et lapidare neglexerint, quod clariùs explicatur num. 4 et sequentibus.

Contaminaverit sanctuarium meum. Quasi contaminatum judicaverit religiones meas negligendo, et idola eis præferendo.

Ac polluerit. Nomen meum ac leges meas, quantùm in ipso est, profanaverit.

5. *Ponam faciem meam.* Irascar.

6. *Ad magos et ariolos.* Vide cap. 19. num. 31.

Fornicata fuerit. Eis adhæserit.

8. *Ego Dominus qui sanctifico vos.* Qui jubeo et volo vos esse sanctos.

9. *Sanguis ejus.* Reatus et pœna sanguinis, hoc est, mortis, quam meruit; quasi dicat, suâ culpâ pereat, et morte puniatur per judicis sententiam.

10. *Morte moriantur*. Lapidibus obruantur, ut patet Deut. 22. 23 et 24. Pœna enim lapidationis quæ statuitur in dantes semen Moloch, ad sequentes casus referri videtur.

11. *Ignominiam patris sui*. Vide dicta cap. 18. 8.

Sanguis. Pœna sanguinis, id est, mortis.

14. *Vivus ardebit cum eis*. Si utraque consensit ut altera superinduceretur.

15. *Pecus quoque occidite*. Ne scilicet sceleris memoriam refricet.

17. *Sororem suam*. Etiam ex altera tantùm parente, quod sequentia statim declarant.

Viderit turpitudinem. Tetigerit et concubuerit.

Iniquitatem suam. Iniquitatis suæ pœnam.

18. *Aperuerit fontem sanguinis sui*. Id est, membrum genitale, per quod sanguis menstruus fluit, detexit.

Interficientur ambo. Causam legi dedit, quòd congressus hic sit inhonestus, et proli noxius. Ex lege positiva Dei Hebræis data peccatum lethale erat ad menstruatam accedere; alioqui non videtur esse plùs quàm culpa venialis. Vide Sanchez de Matrimonio, lib. 9. disput. 21.

19. *Carnis suæ*. Consanguineæ suæ, materteræ, vel amitæ, ut patet ex hebraico et chaldæo.

20. *Cognationis suæ*. Patrui scilicet, vel avunculi.

Absque liberis morientur. Hi incestuosi non sinentur in hoc scelere permanere, donec liberos habere possint, sed occidantur. S. Augustinus ita explicat: si qui eis nati fuerint filii, spurii reputentur, non filii, et nullo jure parenti succedant.

23. *In legitimis nationum*. Legibus et moribus gentilium.

24. *Fluentem lacte et melle*. Fertilissimam, uberrimam.

25. *Jumentum*. Animal vel pecus.

Mundum ab immundo. De quibus actum cap. 11.

Ne polluatis. Inobedientiæ crimine, aut legali noxa.

26. *Sancti*. Vide cap. 19. 2.

27. *Sit super illos*. Interficiantur.

CAPUT XXI.

Quibus funeribus interesse possint sacerdotes, et quales ducere uxores; quibus corporis vitiis iidem carere debeant, et de filia sacerdotis fornicante.

1. SACERDOTES *filios Aaron*. Minores sacerdotes.

In mortibus civium suorum. Tangendo cadaver, aut funus curando, aut illud sequendo, aut luctum faciendo, aut domum mortui ingrediendo.

In mortibus. Hebr. *super anima*, id est, super cadavere.

2. *Nisi tantùm in consanguineis*. Excipiuntur a lege lata pater, mater, filius, filia, frater et soror, si sit virgo innupta; hos ergo defunctos lugere poterat sacerdos; non autem uxorem, nepotem aut neptem, quia hìc illi non excipiuntur.

4. *Sed nec in principe*. Etiamsi vir primarius in populo, aut etiam qui toti reipublicæ præest, moriatur, ejus tamen funeri non intererit.

5. *Facient incisuras*. Hæc enim vetita sunt Judæis etiam laicis, ut vidimus supra, cap. 19. 27 et 28.

6. *Sancti erunt Deo suo*. Scilicet remoti ab omni contaminatione, immunditia, rituque gentilium.

Non polluent nomen ejus. Dignitatem sacerdotalem, ipsiusque Dei famam, cujus ministri sunt, et sacerdotes.

Incensum. Hebr. *ignitiones*. LXX, *sacrificia*: id quod igne incenditur et adoletur.

Panes. Propositionis.

Ideo sancti erunt. Hebr. *sanctitas*, id est, sanctissimi, sanctitas ipsa.

7. *Prostibulum*. Meretricem prostitutam. * Scortum et prostibulum ferè synonyma sunt Latinis. In hebræo sunt duæ voces quas significatione distinguit Josephus; nam זנה *zona*, est scortum passim, et omnibus prostitutum; at חללה *chalala*, quem Pagninus vertit *profanam*, ea quæ vix casta creditur, cujusmodi sunt captivæ, cauponæ.

8. *Qui sanctifico eos*. Qui sanctitatem meam vobis communico; vel qui vos sanctos esse jubeo.

9. *Violaverit nomen patris sui*. Quia fornicatione sua gravem inussit notam et ignominiam patri sacerdoti, ideo comburetur. Reliquas non sacerdotum filias fornicantes non fuisse punitas colligitur 1. Exod. 22. 16,

nisi se venditassent ut virgines, et sponsum decepissent; tunc enim, re comperta, lapidabantur sicut adulteræ, ut patet Deut. 22. 20.

10. *Non discooperiet.* LXX, ὀυκ ἀποκιδαρώσει, *non decidarabit*, id est, cidari sua non nudabit.

11. *Ad omnem mortuum.* Ad nullum mortuum. Non ingredietur domum in qua est cadaver.

Super patre quoque. Ne in obitu quidem parentum planget eos pontifex exteriori ritu et signo, nec funus eorum prosequetur.

12. *Nec egredietur de sanctis.* De sanctuario, si, quando ibi constitutus est, contingat mori patrem aut matrem ejus.

Ne polluat sanctuarium Domini. Ne injuriam inferat sanctuario, illud deserendo, et super mortuo indecenter plangendo. Vel, ne polluat, quia si ipse pollutus super mortuo rediret ad sanctuarium, pollueret illud.

13. *Virginem ducet.* Ob honestatem et dignitatem summi sacerdotii; non enim decuisset ab alio vitiatam et cognitam ducere. * Eadem lex etiam sacerdotes omnes obligabat, ut patet ex cap. 44 Ezechielis n. 22.

14. *Sordidam.* Vitiatam, pollutam.

Puellam de populo suo. Non tamen videtur necesse fuisse ut e tribu Levi sumeretur; nam ex historiis sacris constat solitos fuisse pontifices ducere filias principum et regum qui erant ex tribu Juda. Sic Joiadas duxit Josabeth, filiam Joram, regis Juda, ut testatur Josephus l. 9 Antiq. cap. 7, et habetur 2. Paral. 22. 11.

15. *Ne commisceat stirpem.* Non accipiat uxorem de vulgo, sed nobilem. LXX vertunt, *non profanabit semen suum in populo suo;* idque, 1. ob dignitatem sacerdotii; 2. ut pontifex reges et principes, quibuscum affinitate jungitur, tantò liberiùs et meliùs cultum Dei et veram religionem edoceat.

Qui sanctifico eum. Vide num. 8.

17. *Maculam.* Conspicuum corporis vitium.

Panes. Propositionis, quos minores etiam sacerdotes per singula sabbata offerunt recentes, ablatis prioribus.

18. *Parvo.* Alii, *depresso*, vel, *simo*. Hebr. est, חרום *charum*, cujus vocis radicem si spectes, propriè non casum nec simum, sed excisum significat.

20. *Lippus.* Hebr. דק *dach.* Qui tenuibus, vel tenerioribus oculis est.

Albuginem habens in oculo. Qui cum pupillæ nigredine mixtam maculam albam habet.

Jugem scabiem. LXX, *scabiem agrestem;* alii, *scabiem purulentam*.

Impetiginem. Impetigo genus est scabiei siccæ, per cutem cum pruritu proserpens.

Herniosus. Hebræa et chaldæa videntur sonare *contusum*, vel *compressum habens testiculum*. LXX habent, μόνορχις, *unius testiculi*. Herniosus ergo hic vel est is qui hernia laborat, vel is cui, ut ab hernia curaretur, detractus fuit unus testiculus.

21. *Omnis qui habuerit maculam*. Aliquam ex dictis.

22. *Vescetur tamen panibus*. Id est, comedet de carnibus et sacrificiis Deo oblatis.

23. *Intra velum*. Intra tabernaculum vel Sanctum.

Non ingrediatur. Ut adoleat thymiama, accendat lucernas, et ponat in mensa panes propositionis.

Nec accedat ad altare. Holocaustorum, ut offerat victimas.

CAPUT XXII.

Ut immundi, et alienigenæ ab esu victimarum abstineant; et quibus maculis, id est, vitiis victima carere debeat.

2. CAVEANT. Abstineant, cùm ipsi sunt immundi.

Quæ consecrata sunt. Quæ Deo quomodolibet oblata sunt. Non est sermo de iis quæ levitis tantùm et sacerdotibus offeruntur in alimoniam, cujusmodi, v. g., erant decimæ.

Nomen sanctificatorum mihi. Ne mihi oblatis et sanctificatis notam impuritatis aspergant. In hebr. habetur, *et non contaminent nomen sanctum meum, in iis quæ sanctificant mihi*.

3. *Qui accesserit*. Comedendi causâ.

In quo est immunditia. Quæ explicatur num. 4, si scilicet sit leprosus, semine pollutus, etc.

Peribit coram Domino. Hebr. *exscindetur anima illa a facie mea*, id est, a me, ut vertunt LXX.

4. *Qui tetigerit immundum super mortuo*. Propter mortuum, occasione alicujus funeris. LXX, *qui tetigerit immunditiam*.

5. *Et quodlibet immundum*. Hebr. *et hominem qui contaminare potest*, ubi est leprosus, menstruata, seminifluus.

Cujus tactus est sordidus. Quia eum quem tangit

immundum reddit, ita ut non liceat ei de carnibus sacris comedere.

7. *Quia cibus illius est.* Quia pertinet ad eum comedere de cibis Deo oblatis.

8. *Morticinum.* Quod per se ipsum mortuum est.

Captum a bestia. Laceratum a feris.

* 9. *Præcepta mea.* In hebræo est, *custodias meas*, id est functiones quas obire debent; eas inchoabant anno 17, ut ait Josephus Antiq. Jud. lib. 15.

Moriantur in sanctuario. Occidantur a me in sanctuario, ut occisi sunt Nadab et Abiu.

10. *Alienigena.* Qui non est de gente sacerdotali, nec de stirpe Aaron.

Inquilinus sacerdotis et mercenarius. Qui moratur cum sacerdote, sed non est de stirpe ejus; moratur autem tanquam hospes, mercenarius, aut peregrinus.

11. *Quem autem sacerdos emerit.* Servi et vernaculi; id est, servi domi nati, qui toti sunt sui domini et heri, poterant vesci sanctificatis, uti dominus ipse cum suis filiis.

12. *Filia sacerdotis.* Quia per nuptias jam in aliam familiam popularem commigravit. Uxor verò sacerdotis iis vesci poterat, quia una caro et una persona censetur cum marito sacerdote.

De primitiis. Primitiæ hìc vocantur prima et electa, quæ Deo offeruntur et sanctificantur, ut patet ex hebræo; sic etiam capitur hæc vox Exod. 25. 2.

14. *Addet quintam partem.* Pro injuria irrogata tabernaculo, vel sacerdoti: debebat etiam dare arietem Deo in sacrificium, ut dictum est cap. 6. 15.

Sacerdoti in sanctuarium. Ad usus vel sacerdotis, vel sanctuarii. Si sanctificata ab illo assumpta pertinebant ad sanctuarium, ut si caput, aut caudam comedisset, in sacrificio pro delicto, restitutio erat facienda sanctuario: si pertinebant ad sacerdotem, sacerdoti.

15. *Nec contaminabunt sanctificata.* Comedendo illa cùm non sint de genere sacerdotali.

18. *De advenis.* Proselytis.

Quidquid illud obtulerit in holocaustum. Holocausti victima ex masculis tantùm: pacifica, vel pro peccato, etiam ex femellis offerri poterat.

21. *Omnis macula.* Nulla macula.

22. *Si fractum.* Si fractos habeat pedes, vel lumbos, vel oculum.

* *Si cicatricem habens* LXX vertunt, γλωσσότμητον, *amputata*, vel *incisa lingua.* Etiam ab ethnicis cautum,

ne victimæ linguam fissam haberent, ut notavit Servius ad illud Æn. 6, *lectas de more bidentes.*

Si papulas. Verrucas, seu pustulas.

25. *Alienigenæ.* Gentilis manentis in sua superstitione.

Panes. Sacrificia quæ sunt quasi panis, id est, cibus Dei. LXX vertunt, *dona.*

Corrupta, et maculata sunt. Eò quòd ipsi offerentes corrupti sint, quia idololatræ.

27. *Die autem octavo.* Non priùs, quia primis septem diebus fœtus est nimis tener: vide dicta Exod. 22. 30.

28. *Una die cum fœtibus suis.* Quia hoc crudele videtur.

32. *Ne polluatis nomen meum.* Ne per inobedientiam et corruptos mores faciatis ut gentes blasphement nomen meum.

Qui sanctifico vos. Jubeo vos esse sanctos.

CAPUT XXIII.

Describit Deus festa Hebræis, scilicet, Sabbati, Paschæ, Azymorum, Pentecostes, Tubarum, expiationis, Tabernaculorum, Cœtûs sive Collectæ.

2. Q*UAS vocabitis sanctas.* LXX, *convocationes sanctas*: hisce enim festis convocabatur populus ad audiendam legem, et ad sacrificia ac preces.

3. *Sabbati requies est.* Hebr. *requies quietis;* id est, summa quies et cessatio ab opere erit die sabbati.

Vocabitur sanctus. Erit sanctus, et meo cultui dicatus. Sic sæpe sumitur *vocari* pro *esse*, in sacra Scriptura, ut Isa. 9. 6, *vocabitur admirabilis*, id est, erit.

Omne opus. Nullum opus. Itaque sabbato non licebat accendere ignem, cibos coquere, etc., uti nec in die expiationis. In aliis festis ista licebant.

Sabbatum Domini. Domino dicatum, vel in quo Dominus requievit, vel in quo quiescendum in honorem Domini.

In cunctis habitationibus vestris. Domibus vestris privatis; in tabernaculo enim sive templo sacerdotes sacrificiis erant intenti. Hinc illud Christi ad Judæos, Matth. 12. 5: *Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sinè crimine sunt?* Erat hæc materialis violatio, non formalis.

5. *Mense primo.* Mense nisan, qui partim martio, partim aprili nostro rêspondet.

Ad vesperum. Hebr. *Inter duas vesperas*, scilicet inter occasum solis et noctem. Vide dicta Exod. 12. 6.

Phase Domini. Festum Paschatis. Vide Exod. 12. 14.

6. *Solemnitas azymorum est.* Dies azymorum incipiebant cum Paschate, scilicet decima quarta die mensis primi ad vesperam secundam, id est, initio decimæ quintæ diei; et durabant per septem dies, qui proinde Paschales dicebantur, quibus panes azymos, hoc est, non fermentatos, comedebant.

7. *Dies primus erit vobis celeberrimus.* Ex septem diebus azymorum celebriores erant prima et septima.

8. *Sacrificium in igne.* Holocaustum, quod ab Hebr. dicitur *ignitio.*

Dies autem septimus erit celebrior et sanctior. Aliis intermediis; æquè verò sanctus ac primus.

Nullumque servile opus. Excluditur tantùm opus servile, quia, ut dictum est num. 3, tantùm in sabbato et festo expiationis ob omni prorsus opere cessandum erat, etiam a coquendis cibis : hoc autem licebat in aliis festis.

10. *Cum ingressi fueritis terram.* Chanaan. Hinc patet has leges cæremoniales et hæc festa non obligasse Judæos, nec ab eis servata fuisse in deserto.

Manipulos spicarum. Hordei, quod illo tempore, martio scilicet exeunte et aprili ineunte, maturescit in Palæstina.

11. *Elevabit.* Offerendo.

Altero die sabbati. Secundo die azymorum.

Et sanctificabit illum. Eo ritu qui præscriptus est cap. 2. num. 14.

13. *Et libamenta.* Sacrificium farreum, mincha, quod statim explicatur.

Liba. Libamina.

Quarta pars hin. Tres sextarii vini.

14. *Polentam.* Far sive hordeum tostum.

Pultes. Farinam in pultes deductam et coctam.

* *Cunctisque habitaculis vestris.* Videtur hoc intelligendum etiam de iis qui extra promissam terram domicilium haberent.

15. *Ab altero die sabbati.* Non sabbati propriè dicti, sed sabbati, id est, Paschatis, et solemnitatis azymorum, hoc est, a secundo die azymorum, quo obtulerant manipulum spicarum. Numerabant Hebræi septem hebdomadas, id est, 49 dies; ita ut sequens, id est, quinquagesimus, esset Pentecoste.

Hebdomadas plenas. Integras.

16. *Et sic offeretis.* In Pentecoste.

Sacrificium novum. Ex novo frumento.

17. *De duabus decimis similæ.* Duo panes inde confecti fuerunt tredecim ferè librarum cum dimidia.

18. *Septem agnos.* In holocaustum. Num. 27. 28, adduntur et aliæ victimæ hoc festo Pentecostes offerri solitæ.

Cum libamentis suis. Libamentum vocatur quidquid cum victima offerebatur, ut oleum, vinum, farina, thus, sal.

19. *Facietis.* Sacrificabitis.

Hircum.... Hebr. *hircum caprarum*, id est, hircum novellum, vel hœdum, adhuc matrem sequentem.

20. *Cedent in usum ejus.* Sacerdotis: sermo est de hostiis pacificis, non de holocaustis; hæc enim tota Deo cremabantur. Panes etiam illi, quos sacerdos elevasset, puta tres, vel quatuor, ipsi sacerdoti cedebant, reliqui in reliquos sacerdotes æqualiter dividebantur, ut et aliæ primitiæ.

21. *Hunc diem.* Pentecostes.

22. *Non secabitis eam usque ad solum.* Vide supra, cap. 19. 9.

24. *Erit vobis sabbatum.* Id est, festum solemne.

Clangentibus tubis. Festum est tubarum prima die mensis tisri, id est, septembris. Festum hoc institutum fuit in memoriam Isaac patriarchæ ab immolatione et gladio patris sui Abrahæ liberati, ac pro eo subrogati arietis, Gen. 22. 11. Idcircò dicitur *sabbatum memoriale*, id est, sabbatum in memoriam Isaac, etc. * In ea autem liberatione intelligebatur liberatio futura per Messiam, Zach. 9. 14.

27. *Dies expiationum.* De hoc actum est cap. 16.

* 29. *Omnis anima.* Id omnibus præcipitur, quia in tanta præceptorum multitudine et varietate difficile admodum erat in aliquo non impingere. Quòd si aliqui ab omni culpa essent immunes, non deerat lugendi, et sese affligendi materia, nimirum propter aliorum crimina, ut pars ejusdem corporis. Vide Dan. 9. 5.

32. *Requietionis.* Omnimodæ, ut dictum hoc cap. num. 3.

A vespera usque ad vesperam. Ab uno solis occasu usque ad alterum.

34. *Feriæ tabernaculorum.* Scenopegia. Institutum est hoc festum in memoriam protectionis divinæ, quæ in deserto Hebræos ita protexit, ut sinè domibus in tabernaculis per 40 annos hieme ac æstate vixerint. Insti-

tutum etiam est ad gratias Deo agendas pro frugibus toto anno collectis : vide Exod. 23. 16, et Num. 29. 12.

36. *Cœtus atque collectæ*. Erat quasi octava festi tabernaculorum. Dicitur cœtus atque collectæ, non a collectione pecuniarum, sed a collectione et congregatione hominum qui conveniebant, ut Deo gratias agerent, quòd post longam in deserto peregrinationem tribus israeliticæ in terram promissam pervenissent. * In hebræo est עצרת *hatzret*, quæ vox retentionem significat, quia ad eum diem, nec ampliùs populus retinebatur.

38. *Exceptis sabbatis*. Præter sacrificia quæ sabbato offeruntur. Num. 28. 9.

40. *Die primo*. Festi tabernaculorum.

Arboris pulcherrimæ. Citri secundum Hebræos, ita etiam vertit chaldæus. * Josephus, *φοινικων, καὶ κιτρειῶν*, *palmarum et citriorum*.

Spatulas. Ramos palmarum.

Ligni densarum frondium. Myrti, ita chald. et Josephus, et alii. Vide 2. Esdræ, 8.

Lætabimini coram Domino. Gestantes ramos hos et fructus, saltabitis in sanctuario coram Domino : solebant enim veteres sua festa tripudiis celebrare, ut patet 2. Reg. 6. 14; Exod. 32. 19; Exod. 15. 20.

CAPUT XXIV.

Quale oleum ardere debeat in lucernis candelabri. De panibus propositionis, qui, et quales esse debeant. Pœna blasphemorum, et talionis.

2. PRÆCIPE *filiis Israel ut afferant tibi oleum*. Populus sumptus præbebat ad sacrificia, incensum thymiamatis, oleumque lucernarum in candelabro; cùm enim sacrificia et sacræ cæremoniæ obirentur a sacerdotibus nomine totius populi, hujus etiam erat suppeditare sumptus necessarios. Ideo in censu quilibet offerebat dimidium siclum, Exod. 30. 13, et in festis tribus quotannis sponte offerebant quantùm quilibet volebat; nam Exod. 23. 15, dicitur : *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, et gazophylacium etiam, de quo Luc. 21. 1, erat ad sumptus templi institutum.

De olivis purissimum. Hebr. *oleum purum contusum in lumen*, pilo contusum, non torculari expressum, aut molâ, quod ita ab amurca purgatum non est.

Ad concinnandas lucernas. Accendendas.

Jugiter. Singulis noctibus, a vespere usque ad mane.

3. *Extra velum testimonii*. Extra Sanctum Sanctorum.

5. *Coques ex ea*. Munus coquendi erat Caathitarum, quæ erat una ex familiis tribûs Levi. Vide 1. Paral. 9. 33, et cap. 23. 29.

Duodecim panes. Propositionis.

Singuli habebunt duas decimas. Erat unusquisque panis librarum ferè tredecim cum dimidia; nam continebant duas decimas, seu quintam partem ephi; unum autem ephi continet modios tres, hoc est, uncias 960, frumentique nostratis libras 60; unus enim modius frumenti 20 libras habet. Porro quod deest ad numerum unciarum (aliquot enim deesse supputanti apparebit) addendum est propter aquæ pondus farinæ mixtæ; nam tribus farinæ unciis panis conficitur quatuor ferè unciarum. Vide Corn. a Lapide hìc, et in tractatu de Mensuris in fine Pentateuchi.

6. *Purissimam*. Auream.

7. *In monimentum oblationis Domini*. Ut panis hic sit juge memoriale oblationis jugis, quam hoc pane Hebræi Domino faciunt.

8. *Per singula sabbata mutabuntur*. Ne nimiùm desiccentur, aut corrumpantur.

Suscepti a filiis Israel. Quasi dicat: materia, id est, farina data sit a filiis Israel; panes verò confecti a levitis.

Fœdere sempiterno. Lege sempiterna, semper servanda; vel sententia est, quia hi panes sunt quasi symbolum perpetuum fœderis initi inter me et populum, illiusque memoriam continuò ingerunt.

9. *In loco sancto*. In atrio tabernaculi.

10. *Egressus*. Egredi in Scriptura capitur nonnumquam pro aggredi et incipere; sic Exod. 2. 1, et Deut. 13. 13. Egressus etiam dicitur, quia cum Hebræis multi Ægyptii fuerant egressi, qui judaica sacra susceperant, et illis affinitate conjuncti erant, ut insinuatur Exod. 12. 38, ubi vulgus promiscuum innumerabile cum eis ascendisse dicitur.

11. *Cùmque blasphemasset nomen, et maledixisset ei*. Hebr. *perforavit illud nomen et maledixit*: sic etiam Latini dicunt configere aliquem maledictis. Blasphemavit ergo nomen illud augustum et sanctum.

14. *Ponant... manus suas*. Imponebant manus capiti testantes se audisse blasphemantem, et impio capiti deberi pœnam; vel imponebant manus quasi hoc ritu precarentur ut Deus in eum omnem peccati pœnam devol-

veret, nec regionem aut populum propter unius scelus malis immissis attereret.

15. *Peccatum.* Pœnam peccati.

16. *Sive peregrinus fuerit.* Etiam gentilis et incircumsisus.

18. *Percusserit animal.* Occiderit.

Reddet vicarium, id est, animam pro anima. Animal vivum pro animali occiso.

19. *Maculam.* Cicatricem, plagam, vulnus. * In hebræo est מום *mum*, et inde Græci hic μῶμον vocant, id est, quidquid quo hominis corpus deterius redditur.

20. *Fracturam pro factura.* Ut si fregerit alteri pedem, vel manum, eidem frangatur pes, vel manus.

21. *Punietur.* Pœnâ mortis.

CAPUT XXV.

Lex anni septimi remissionis, et anni quinquagesimi jubilæi. Non exigendas a fratribus usuras, nec eos servitute perpetua premendos, sed potiùs ab externis potentibus redimendos.

2. *SABBATISES sabbatum Domini.* Observate sabbatum terræ, facite ut terra septimo anno quiescat. Hoc quidem præceptum datum est in monte Sinai in deserto, sed servari cœptum postquam in terram promissam pedem intulerunt; nam hic etiam dicitur: *Quando ingressi fueritis terram*, scilicet Chanaan.

5. *Uvas primitiarum tuarum.* Vocat uvas primitiarum eas quas sibi dominus fundi colligebat, priusquam permitteret pauperes et alios in vineam suam ingredi facturos quodammodo secundam vindemiam. Hebr. habet, *uvas separationum tuarum*, id est, quas scilicet tibi separas. Poterat tamen vineæ dominus ad cibum et usus domesticos sibi aliquid colligere non secus ac alii faciebant.

9. *Et clanges buccinâ mense septimo.* Anno 49 exeunte, buccinâ clangebant, et promulgabant annum sequentem quinquagesimum fore jubilæi annum. Incipiebat autem annus jubilæi simul ac buccinis fuisset indictus, quod die festi expiationis fiebat, sive, ut aliis placet, post festi scenopegiæ dies octo absolutos.

Propitiationis tempore. In die festo expiationis, quod celebratur decima die mensis septimi.

10. *Sanctificabisque.* Sanctum et mihi dicatum denuntiabis, vel præparabis populum celebritati anni 50.

Et vocabis remissionem. Proclamabis illo anno fore remissionem servitutum, debitorum et bonorum quæ ad alios transierunt. * Aliquid simile in Atheniensium repub. inductum a Solone, quod, σεισάχθειαν apellarunt, id est, *onerum excussionem*, λύτρωσιν σωμάτων καὶ κτημάτων, *redemptionem corporum et possessionum*, ut ait Laertius in vita Solonis.

Est enim jubilæus. Hebr. יובל *jobel*, a radice בּיל quæ significat adducere, sed cum gaudio, lætitia, et jubilo; videlicet, annus adducens lætitiam libertatis, rei scilicet lætæ, et omnium votis expetitæ.

Revertetur homo ad possessionem suam. Bona scilicet immobilia, agrum, domum, etc., quæ tempore jubilæi redibant ad primum dominum sinè ullo pretio. Venditio enim non erat absoluta, sed ad tempus, scilicet usque ad annum jubilæi, et quo propius distabat ille annus, res minori pretio vendebatur. Ista verò venditionis ratio instituta, ne confunderentur tribus, ut familiæ honestæ et nobiles in sua honestate conservarentur, ut poneretur avaritiæ modus, ut servaretur quædam æqualitas inter Hebræos, utque scirent se non tam dominium habere terræ suæ, quàm usum.

Rediet ad familiam pristinam. Quia singulis familiis possessiones a Josue in terræ partitione attributæ sunt.

12. *Ob sanctificationem.* Sanctitatem jubilæi.

Oblata. Fructus sponte nascentes et obvios.

Comedetis. Carpendo, non metendo, aut vindemiando.

14. *Nec contristes fratrem tuum.* Ultra annum quinquagesimum retinendo.

21. *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto.* Hinc patet fertilitatem terræ sanctæ ex parte non fuisse naturalem, sed ex Dei munere.

24. *Sub redemptionis conditione vendetur.* Ut scilicet non solùm anno quinquagesimo redeat ad Dominum, sed etiam ante illum annum redimi possit.

30. *Etiam in jubilæo.* Ita statutum in domibus urbanis, ut frequentiores redderentur urbes; libentius enim quis domum emet, si stabilem sibi fore possessionem illius sciat: itaque hac lege ad emendas domos intra muri ambitum emptores invitabantur. Simul etiam a vendendo deterrebantur domorum domini, cùm scirent se eas in perpetuum amissuros. Adde id factum, quia per possessiones, sive domos urbanas non distinguebantur domus et familiæ, atque ita sinè confusionis periculo venditio in perpetuum permitti poterat.

32. *Ædes levitarum.* Hæ a superiori lege excipiuntur; nam si priùs non redimebantur, in jubilæo ad suos dominos redibant

33. *Pro possessionibus sunt.* Quia levitæ alias possessiones non habent quàm domos : quemadmodum ergo aliorum possessiones redeunt ad dominos, ita domus levitarum, quæ possessiones illorum sunt, ad eos redire debent.

34. *Possessio sempiterna.* Perpetua, et quæ vendi non potest, et illis necessaria ad alenda pecora eorum.

35. *Attenuatus.* Ad paupertatem redactus.

Infirmus manu. Qui scilicet corporis labore victum sibi parare non posset.

37. *Frugum superabundantiam.* Non exiges pro usura plures fruges ab eo, quàm ei dederis mutuò.

39. *Servitute famulorum.* Servorum, mancipiorum.

40. *Colonus.* Qui ad tempus tantùm manet, et mercede accepta colit agros.

Usque ad annum jubilæum. Hoc intellige si septimo anno egredi noluerit, juxta legem Exodi 21. 6.

42. *Mei enim servi sunt.* Hebræi videlicet; idque non tantùm creatione, sed et redemptione ex servitute ægyptiaca.

Conditione servorum. Mancipiorum.

44. *Sint vobis de nationibus.* Mancipia quæ habueritis sint ex gentilibus, non ex Hebræis.

45. *Et de advenis.* Proselytis, qui licèt conversi sint ad judaismum, nihil tamen prohibet quominus servitutem serviant.

Famulos. Servos.

46. *In æternum.* Perpetuò, et toto vitæ tempore.

47. *Si invaluerit apud vos manus advenæ.* Si gentilis proselytus apud vos factus fuerit dives et potens.

50. *Supputatis duntaxat annis.* Si contingat servum hunc redimi, anni qui supersunt, usque ad jubilæum computentur, et pro annorum numero pretium domino restituatur : v. g., vendidit se quis siclis 40, cùm adhuc 40 anni superessent usque jubilæum : servivit annis viginti; pro reliquis annis viginti satìs erit dare 20 siclos in ejus redemptionem.

CAPUT

CAPUT XXVI.

Dei præcepta servantibus bona promittuntur; mala verò intentantur ea violantibus.

1. NEC *titulos.* Hebr. *nec statuam*, vel columnas sustinentes idolorum statuas.

Insignem lapidem. In idoli speciem conformatum. Hebr. *depictum* seu *figuratum*. Chal. *adorationis*. LXX et ex iis Tertul. vertunt, *lapidem scopum*, lapidem scilicet eminentem, quem scopi instar assiduè intueamini et observetis, ad colendum in eo idolum.

2. *Pavete.* Reveremini.

5. *Apprehendet messium tritura vendemiam.* Antequam trituram absolveritis, instabit vindemia, tanta erit frugum copia; et antequam uvas collegeritis, jam sationis tempus aderit.

6. *Gladius non transibit.* Non timebitis hostium incursus.

8. *Persequentur quinque de vestris centum.* Ita Gedeon cum trecentis stravit innumeros Madianitas, Judic. 7. 22. Idem fecerunt Machabæi.

10. *Comedetis vetustissima veterum.* Abundabitis annona quam absumere totam non poteritis, sed illam diutissimè servare, aut etiam abjicere cogemini, novis fructibus supervenientibus.

12. *Ambulabo inter vos.* Vobis adero.

13. *Confregi catenas.* Servitute ægyptiaca vos eripui, ut essetis liberi. * Additur, *ut incederetis erecti.* Græcus versus adagialis est.

> οὔποτε δουλείη κεφαλὴ ὀρθὸς πέφυκεν,
> ἀλλ' αἰεὶ σκολιὴ, κ' αὐχένα λοξὸς ἔχει.

> Nunquam servile caput rectum est.
> Sed semper obliquum, quale etiam collum ejus est.

15. *Ad irritum perducatis pactum meum.* Si non servaveritis leges meas, ut spopondistis et pacti estis.

16. *Et ardore.* Vox hebræa קדחת *chaddachat*, significat icteram, sive morbum regium, qui oritur ex accensione, et maximè oculis insidet, ut ait Isychius. LXX vertunt, *scabiem et icteram.*

Animas. Vitas.

19. *Superbiam duritiæ vestræ.* Superbam vestram duritiem.

Cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam. Nec e cœlo pluvias mittam, nec terra fruges producet, ac si ænea esset.

21. *Si ambulaveritis ex adverso mihi.* Si mihi adversi et inobedientes fueritis.

24. *Contra vos adversus incedam.* Quasi hostis vos invadens, puniens et malè mulctans.

Percutiam vos septies. Gravibus multiplicibusque plagis.

26. *Baculum panis.* Vocatur baculus, quia est fulcimentum vitæ: similis phrasis est psal. 104. 16, Isa. 3. 1.

* *Ita ut decem mulieres.* Quarum singulis ante vix sufficiebat clibanus unus.

Reddant eos ad pondus. Ita ut quantùm vultis comedere non possitis, nec quantùm fames exigit.

30. *Excelsa vestra.* Templa idolorum quæ in excelsis locis gentilium ritu ædificarunt Judæi.

Simulacra confringam. Hebraica vox המנים *hammonim*, simulacra solis significat. Hinc fortasse Jupiter Hammonius.

31. *Deserta faciam sanctuaria vestra.* Sive quæ idolis, sive quæ mihi dedicastis.

Odorem suavissimum. Holocaustorum et thymiamatis.

34. *Placebunt terræ sabbata sua.* Quæ vacabit vobis ejectis.

35. *Non requieverit in sabbatis vestris.* Eò quòd illi quietem septimi anni ob avaritiam abstuleritis.

39. *Tabescent in iniquitatibus suis.* Propter peccata sua tabe paulatim consumentur.

41. *Incircumcisa mens eorum.* Hebr. *donec humilietur incircumcisum cor eorum*, cor scilicet improbum, durum, rebelle, immundum.

Tunc orabunt. Continentibus malis et plagis ad pœnitentiam excitati.

43. *Complacebit sibi in sabbatis suis.* Fruetur quiete sua.

44. *Non penitus abjeci eos.* Non penitus abjiciam, cùm in captivitates hostium devenerint; præteritum pro futuro.

45. *Hæc sunt judicia.* Hæ sunt justæ minæ et pœnæ quas Deus legis violatoribus intentat et infligit.

Per manum Moysi. Per Mosen.

CAPUT XXVII.

Variorum generum vota, et illorum ac decimarum persolutio.

2. SPOPONDERIT *Deo animam suam.* Voverit seipsum mancipare cultui divino in tabernaculo, ut scilicet portet aquas vel ligna ad sanctuarium, ut verrat atrium, etc., ut subserviat levitis.

Sub æstimatione. Quæ hìc taxatur et præscribitur, dabit pretium.

3. *Ad mensuram sanctuarii.* Vide dicta Exod. 30. 13.

5. *A quinto autem anno.* Si videlicet parentes eum devoverint; nam puer quinquennis, cùm careat usu rationis, vovere non potest.

8. *Coram sacerdote.* Etiam minore, qui eo tempore ministrat; nam non exprimitur hìc pontifici hoc reservari.

12. *Judicans utrùm bonum an malum.* An magni valoris, an exigui.

13. *Addet supra æstimationem quintam partem.* Hoc additamentum constitutum est ne faciles essent voventes ad redimendum quod semel Deo votum erat.

14. *Sanctificaverit.* Per votum consecraverit.

16. *Agrum possessionis suæ.* Quem ut suum et proprium possidet.

Quinquaginta siclis. Non semel tantùm, sed annuis.

17. *Tantò æstimabitur.* Juxta legem datam, ut scilicet pro agro qui serebatur 30 modiis, darentur 50 sicli annui; et sic proportione de reliquis, computando annos qui restabant usque ad proximum jubilæum.

20. *Sin autem.* Hujus versûs et sequentis hæc est sententia: si quis agrum suum voverit, nec redemerit a sacerdotibus, cùm annus jubilæi advenerit, non recipiet agrum suum; et si sacerdotes ante annum jubilæi vendiderint agrum illum, redibit anno jubilæi ad ipsos sacerdotes, non autem ad priorem dominum. Verùm quia levitæ possessiones habere non possunt, cùm in anno jubilæi agrum illum receperint, vendent alicui ex ea tribu ex qua erat primus possessor, ne tribuum possessiones confundantur.

22. *Si ager emptus est.* Sententia est, si quis emit agrum, et antequam a venditore redimatur, vovet illum Domino; adveniente jubilæo ad priorem dominum, qui vendiderat, redibit; quia qui vovit non potuit aliud per

18.

votum offerre, quàm jus quod habebat possidendi usque ad annum illum quo omnia ad proprios dominos revertuntur.

25. *Siclo sanctuarii.* Vide dicta Exod. 30. 13.

26. *Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit.* Hæc non poterant voto sanctificari, quia Domino immolanda erant ratione primogenituræ, ut patet Num. 18. 17.

27. *Quòd si immundum est animal.* Sermo est de animali primogenito.

Vendetur alteri. Vendi poterit; nam si is qui obtulit noluisset redimere, nihil vetabat quonimus animal illud sibi sacerdos retineret.

28. *Omne quod Domino consecratur.* Omnia quæ voventur Deo eo genere voti quod חרם *cherem*, appellat hìc textus hebræus, et græcè dicitur ἀνάθημα, vendi aut redimi non potest; nam hæc est peculiaris hujus voti natura, ut quod per illud vovetur, absolutè, perfectè et irrevocabiliter Deo consecretur.

29. *Omnis consecratio.* Hebr. *omne cherem.*

Morte morietur. Si occidi possit, aut si occidere liceat, ut si sit animal mundum, aut si hostes sint morti a Deo addicti, cujus exemplum habemus Num. 21. 2, ubì Chananæi ab Hebræis voto *cherem* devoti, omnino et ad internecionem succisi sunt

30. *De frugibus, sive de pomis.* De omnibus fructibus terræ.

Domini sunt. Hac lege Domino debentur.

Et illi sanctificantur. Sanctificari, dari et offerri debent.

* 31. *Addet quintam partem.* Dabit justum pretium decimarum, et præterea adhuc quintam ejus pretii partem. Hoc ita factum ut deterrerentur a redemptione eorum quæ Deo debebantur.

32. *Quæ sub pastoris virga transeunt.* Quæ a pastoribus reguntur, seu potiùs numerantur, cùm decimæ dandæ sunt.

Quidquid decimum venerit. Quasi dicat, dabit quod sorte obtigerit, dum sub virga numerat, sive bonum sit, sive malum.

LIBER NUMERI.

Liber hic Numeri inscribitur, quia a censu et numeratione populi incipit, et quia multæ numerationes hoc libro percensentur : utì bellorum Israel, cap. 1; primogenitorum et levitarum, cap. 3; mansionum in deserto, cap. 33,

---

CAPUT PRIMUM.

Initur numerus filiorum Israel a vigesimo anno et supra per singulas tribus.

1. IN *deserto Sinai*. Omnia enim hæc cap. 1 usque ad cap. 10. num. 11, acta sunt in 12 mansione, quæ fuit in Sina.

In tabernaculo. In Sancto Sanctorum et propitiatorio.

2. *Tollite summam*. Alius etiam census populi initus fuerat in deserto ante fabricam tabernaculi, pro contributione ad eamdem excitandam, Exod. 38. 25. Nunc secundò numeratur populus ad castra meliùs et ordinatiùs instruenda, et ut exactiùs populi numerus constaret, aptiùsque castra circa tabernaculum disponerentur.

Filiorum Israel. Nulli enim proselyti, aut Ægyptii, aut ex aliis gentibus oriundi numerati sunt, licèt non exigua horum esset multitudo inter Hebræos, ut patet Exod. 12. 38.

Quidquid sexûs est masculini. Nam feminæ et pueri ad bella inepti; hic autem ineunda erat summa virorum fortium, quorum usus in bello esse poterat.

3. *A vigesimo anno et supra*. Quia hæc ætas militiæ apta.

Omnium virorum fortium. Omnes planè numerati, et omnes fortes erant divino beneficio; nam, ut est in psalmo : *Non erat in tribubus eorum infirmus*.

4. *Principes tribuum*. Princeps tribûs erat primogenitus, qui ab ipso capite tribûs sive a patriarcha, verbi gratiâ, Juda, directè per lineam primogenitorum descendebat. Simili modo principes familiarum erant primogeniti familiæ illius.

5. *De Ruben*. Tribus et patriarchæ ordine thori nu-

merantur : primò filii uxoris Liæ, tum filii Rachelis, tandem filii ancillarum.

16. *Nobilissimi*. Vox hebræa, *invitatos*, vel *vocatos* significat; sæpe tamen pro magnatibus, nominatis, illustribus, aut fama inclytis accipitur.

17. *Quos tulerunt*. Quorum nomina tulerunt, et in tabulas censûs retulerunt.

20. *Per generationes*. Generatio hic latiùs patet quàm familia aut domus; et una generatio, sive, ut Latini loquuntur, *gens*, plures familias domosque amplectitur. * In hebræo est, *fecerunt eos generari*, id est, in publicas tabulas descripserunt eorum origines. LXX, habent ἐπηξονοῦσαν, id est, in ἄξονας, *tabulas*, retulerunt.

47. *Levitæ... non sunt numerati*. Quia in castrorum metatione non collocabantur cum aliis tribubus, eò quòd circa ipsum tabernaculum ejus ministeriis deputati versabantur, ut patet num. 50; ideoque a duodecim tribubus secreti fuerunt tanquam pars et tribus Domini, ejus obsequiis dicata. * Erat autem tribus hæc a militia exempta, quanquam a militando non arcebantur levitæ, si aut necessitas id postularet, aut ipsi sponte vellent, ut patet in Machabæis. Vide Josephum l. 3. Antiq. cap. 11, et l. 4. cap. 4.

50. *Et quidquid ad cæremonias pertinet*. Omnia vasa omnemque supellectilem tabernaculi.

Per gyrum tabernaculi. Et etiam atrii. Quo ordine circa tabernaculum consederint habes infra, cap. 3.

51. *Cùm castrametandum*. Cùm castra locanda et figenda erunt.

Externorum. Qui non sint de tribu Levi.

52. *Per turmas et cuneos*. Hebr. *per vexilla sua*.

53. *Excubabunt in custodiis*. Diligenter custodient excubantes.

CAPUT II.

Disponuntur castra duodecim tribuum Israel circa tabernaculum et quatuor mundi plagas.

2. SINGULI *per turmas, signa atque vexilla*. Hebr. *singuli juxta vexillum suum in signis domûs patrum suorum castrametabuntur*. Tradunt Hebræi Israelitas castrametatos fuisse circa tabernaculum, ut ab illo per unum milliare abessent ex omni latere, quod non est intelligendum de levitis, qui proximi erant tabernaculo et atrio, quippe illius excubitores.

Vexilla. Dicunt Hebræi in vexillo Judæ fuisse leonem; Ruben, hominem; Ephraim, bovem; Dan, aquilam. De hoc nihil certò constat et crediderim esse hebræorum rabbinorum figmenta.

9. *Per turmas suas... egredientur*. Cùm movenda erunt castra, hi primi relicta statione procedere debebant: nec mirum, siquidem ut plurimùm orientem versùs ibant, et hæc castrorum ac tabernaculi fœderis pars erat anterior.

17. *Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia levitarum*. Tabernaculum dissolutum portabitur a levitis secundum distincta eorum ministeria quæ cap. sequenti singulis Deus distribuit.

Quomodo erigetur, ita et deponetur. Iidem qui officium erigendi habuerint, iidem habebunt et deponendi.

CAPUT III.

Levitas loco primogenitorum Israel suo cultui deposcit Deus. Numerantur levitæ, et inter eos custodia rerum tabernaculi distribuitur.

1. *Generationes Aaron et Moysi*. Filii Aaron et Mosis. Licèt autem videantur tantùm numerari filii Aaron, tamen utriusque generatio recensetur num. 27 et 28 hujus capitis, ubì sermo est de levitis Amramitis; hi enim sunt filii Aaron et Mosis, qui patrem Amram habuerunt. Et quidem initio capitis hujus peculiaris mentio fit filiorum Aaron, quia hi sacerdotium sunt adepti; posteri verò Mosis, qui in inferiori levitarum gradu hæserunt, cum reliquis levitis Caathitis numerati sunt.

3. *Repletæ et consecratæ manus*. Replere manus est illas ad sacerdotium consecrare; nam sacerdotum novorum manus tum donis et sacrificiis, tum unctione olei implebantur.

6. *Applica*. Accedere fac.

Excubent. In hebr. est, *custodient custodiam ejus, et custodiam omnis synagogæ*. Particula *ejus* Aaronem refert cujus custodiæ omnia erant quæ in tabernaculo; quippe sacrorum princeps. Eadem etiam erant custodiæ totius synagogæ et totius populi, quia omnes erant partes reipub., et quilibet pro sua virili parte sacra tueri, etiam suorum laterum objectu debebat, si quis illa temerare ausus fuisset.

9. *Dabisque dono levitas.* Levitas offeres Aaroni et sacerdotibus, ut eis serviant, idque gratis et sinè pretio.

10. *A filiis Israel.* Ut hac donatione Aaroni facta a Deo primogenitos suos redimerent, ut patet num. 45.

Externus. Non sacerdos.

Morietur. Judicum sententiâ occidetur: sic chaldæus.

13. *Meum est enim omne primogenitum.* Non tantùm jure creationis, sed peculiari liberatione et redemptione, cùm eos ab angelo percutiente eripui, Exod. 12. 23. Rursus mea sunt primogenita, quia justo hoc meo præcepto ita fieri jubeo.

Sanctificavi mihi. Mihi sanctificari, offerri et consecrari volo.

15. *Ab uno mense et supra.* Ratio cur ab hac ætate sumpta sit levitarum dinumeratio est quòd etiam primogeniti post unum mensem redimerentur, ut habetur infra, cap. 18. 16.

17. *Inventi sunt.* Non in vita, nam pridem obierant, sed in censu hoc et numero.

25. *Habebunt excubias in tabernaculo.* Habebunt custodienda ea quæ sequuntur, hoc est, ipsum tabernaculum et operimentum, etc.

26. *Ipsum tabernaculum.* Non tabulas, columnas, aut bases; nam hæc ferebant Meraritæ, sed velum interius, sive infimum, quod ex decem cortinis constabat, cui alia vela injiciebantur.

Operimentum ejus. Sagum cilicinum, et sagum ex pellibus arietum rubricatis, et sagum ex pellibus ianthinis, de quibus Exod. 26.

Quod trahitur ante fores. Tabernaculi, et est quasi illius janua.

In introitu atrii. Illud velum quod erat veluti janua totius atrii.

Quidquid ad ritum altaris pertinet. Quidquid scilicet velorum huc facit; nam de his est sermo.

28. *Habebunt excubias.* Custodiam sanctuarii, quoad vasa quæ sequuntur.

31. *Et velum.* Quod oppanditur Sancto Sanctorum: huic enim involvenda erat arca portanda a Caathitis. Alia vela omnia à Gersonitis portabantur.

37. *Paxilli.* Qui figebantur ad funes intendendos, et firmandas columnas et vela atrii, ne vento nimiùm agitarentur.

41. *Tolles... pecora eorum.* Separabis, ut mihi cum ipsis levitis quasi dedicentur, sintque mea, sicut ipsi

levitæ mei sunt : non est tamen facta ista pecorum separatio ut Domino cederent per sacrificia.

46. *In pretio autem*. Omnes levitæ fuerunt viginti duo millia ; primogeniti Israel viginti duo millia ducenti septuaginta tres. Cùm ergo levitæ dati essent Deo pro primogenitis, supererat ut pro illis 273 satisfieret, qui levitarum numerum excedebant. Jubet ergo Deus ut hi primogeniti redimantur, quinque siclis in singula capita persolutis. Horum pretium Aaroni dari jubetur num. 48.

48. *Dabisque... pretium*. Pecunia primogenitorum 273 se redimentium ascendit ad 1365 siclos.

* 49. *Qui fuerant ampliùs*. Qui sorte facta restabant.

CAPUT IV.

Numerantur levitæ ab anno trigesimo, qui portent vasa tabernaculi cùm movenda sunt castra.

3. *A trigesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum*. Hic enim numerantur tantùm viri qui graviora onera, et partes tabernaculi ferre possent, cùm movenda erant castra. * Minores tamen operas quasdam videntur præstitisse ab anno vigesimo, 1. Paral. cap. 23. 24, 27. Deinde paulò majores ab anno vigesimo quinto. Vide infra, cap. 8. 24.

Ut stent. Statio hìc vocatur ipsa ministratio levitarum in tabernaculo : sic num. 30 dicitur de Meraritis : *Omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui*. Utrobique in hebræo sunt eædem voces.

4. *Hic est cultus*. Hoc est, ministerium, hæc functio Caathitarum.

5. *Aaron et filii ejus*. Etiam minores sacerdotes ingredi poterant Sanctum Sanctorum ad illud deponendum, cùm movenda erant castra.

Deponent velum. Quod dividit Sanctum Sanctorum a Sancto.

6. *Velamine ianthinarum pellium*. Non illo quo tabernaculum tegebatur, sed alio proprio. Nam et mensa, et candelabrum, et cætera suum habebant etiam velamentum ex ianthinis pellibus.

Pallium totum hyacinthinum. Aliud velamen proprium non ex pellibus, sed e filis hyacinthini coloris compositum, ut patet ex hebræo in quo est תהלת *thechelet*, quod hujusmodi fila significat ; non תחש *tachas*, quod pelles eo colore tinctas significat.

Inducent vectes. Non in arcam, quia jam inducti erant, et nunquam extrahebantur, ut patet Exod. 35. 15. Inducere ergo est componere intra eadem velamina, quibus arca contegitur, præter eas tamen vectium partes, quæ humeros bajulantium premebant, et ab arca hinc inde longiùs excurrebant.

7. *Mortariola.* Erant scutellæ quibus simila in sacrificiis excipiebatur.

Cyathos. Ad vina et libamina; idem usus eorum vasorum quæ appellantur *crateres.*

Panes semper in ea erunt. Panes propositionis in mensa, etiam cùm deportatur, et de loco ad locum transfertur.

10. *Inducent vectes.* Etiamsi candelabrum non haberet annulos, quibus immitterentur vectes, ut patet ex ejus constructione quæ describitur Exod. 25 et 37, vectes tamen adhibebantur, cùm erat transferendum et ad illos alligabatur candelabri sarcina, vel super eos imponebatur; quod indicant LXX, καὶ ἐπιθήσουσιν αὐτὴν ἐπ' ἀναφορέων, *et imponent illud super vectes.*

11. *Altare aureum.* Thymiamatis, quod aureis laminis erat obductum.

13. *Sed et altare.* Holocaustorum.

Mundabunt cinere. Ex victimis et lignis combustis.

14. *Fuscinulas ac tridentes, uncinos.* In hebræo est unica tantùm vox מזלגות *mizlegot*, quæ fuscinulam significat, sive unum tantùm dentem habeat, ut uncini, sive plures.

15. *Non tangent vasa.* Nuda scilicet, et non operta.

16. *Super quos.* Caathitas.

Erit Eleazar. Ut pote ex Caath oriundus: Gersonitis verò et Meraritis præerat Ithamar, junior Aaronis filius; sed ita ut omnibus Eleazar præesset, generalem quamdam in omnes providentiam exercens.

Ad cujus. Eleazari.

Incensum, et sacrificium. Non quòd solus Eleazar sacrificaret, aut adoleret incensum; sed quòd ejus esset prospicere ne simila, oleum et incensum sacrificiorum materia deesset.

Sacrificium quod semper offertur. In hebræo est, *mincha*: intellige ergo similam illam quæ asservabatur ad offerendum cum jugi holocausto.

18. *Nolite perdere populum Caath.* Ne permittatis Caathitas perdi et occidi a me, quod fiet si tangant Sancta Sanctorum, id est, vasa tabernaculi sanctissima.

28. *Hic est cultus.* Ministerium. Hebr. עבודה *haboda.*

37. *Sermonem Domini per manum Moysi.* Sermonem et imperium Domini qui per Mosen ut ita fieret significavit.

49. *Unumquemque juxta officium et onera sua.* Unicuique imperando, et munus, in quo ministrare debebant, injungendo.

CAPUT V.

Jubet Dominus immundos castris ejici : fert legem zelotypiæ, qua mariti uxores de adulterio suspectas per aquas maledictas explorent.

2. *Ut ejiciant de castris.* Duplex erat immunditia legalis : levior una, quæ tantùm arcebat a templo, non autem ab hominum convictu, neque in alios derivabatur per contagionem; alia gravior, et quæ alios inficiebat : tales erant qui hìc numerantur, quique propterea extra castra degere jubebantur.

3. *Cùm habitaverim vobiscum.* Erecto tabernaculo. Ejectionis ergo ratio, ne inficiantur alii legali immunditiâ, et a sacris arceantur.

6. *Ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere.* Scilicet cùm fecerint aliquam injuriam proximo, quale peccatum solent homines contrahere.

Per negligentiam. Scientes vetitum esse, sed illud servare negligentes, quanquam non contemnentes.

7. *Reddent ipsum caput.* Ipsam remquam acceperunt. Vide Lev. 6. 3 et 4.

8. *Sin autem non fuerit qui recipiat.* Si non sit consanguineus aut propinquus, qui in defuncti locum recipiat quod restituitur.

Erit sacerdotis. Sacerdos enim est vicarius et quasi hæres Dei.

Excepto ariete. Si res furto ablata sit aries, et nemo sit cui restituatur, Domino sacrificabitur.

9. *Ad sacerdotem.* Ad sacerdotes; primitiæ enim inter omnes sacerdotes dividebantur. Secus erat de sacrificiis ; hæc enim sacrificanti cedebant.

10. *Quidquid in sanctuarium.* Quidquid ab offerentibus dabatur sacerdoti, sacerdotis erat, nisi offerens expressè dixisset se dare ad usum tabernaculi, vel templi ; tunc enim cedebat tabernaculo, vel templo.

13. *In stupro.* In adulterio.

14. *Si spiritus zelotypiæ*· Zelotypia.

15. *Decimam partem sati.* Satum inter aridorum mensuras numeratur, et continet modios tres. Hebraicè dicitur *epha*. LXX habent, *ephi*.

Non fundet super eam. Oblationem scilicet zelotypiæ.

Oleum. Quia oleum typus est misericordiæ a qua zelotypus hic alienus est. * Et quia oleo et thure carere debebant oblationes omnes, ubi de peccatis agebatur. Levit. 5. 11.

Nec imponet thus. Quia thus symbolum est bonæ famæ; hic autem agitur de infamia adulteræ inurenda.

17. *Assumetque aquam sanctam.* Aquam deputatam ad usus sanctos in tabernaculo: eadem vocatur amarissima, num. 18 et 19.

Pauxillùm terræ de pavimento. Ut significaretur adulteram esse vilem pulveris instar, qui pedibus calcatur. Eccl. 9. 10, dicitur: *Mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Sumebatur terra hæc ex atrio tabernaculi, quia in eo hæc cæremonia exercebatur.

18. *Discooperiet caput ejus.* Ut hac cæremonia intelligat mulier se coram Deo esse, cui nihil occultum aut opertum, et si crimen contraxerit, illud confiteatur.

Super manus illius. Mulieris de adulterio suspectæ.

Sacrificium recordationis. Quia est sacrificium commemorans peccatum, quod num. 15 dicitur *oblatio investigans adulterium*: vel dicitur sacrificium recordationis; quia hoc sacrificio oratur Deus ut velit puniendo ostendere se recordari adulterii; vel felici partu (de quo postea) ejus innocentiam testari, si falsò venit in suspicionem apud virum suum.

Ipse. Sacerdos.

Aquas amarissimas. Quæ num. 17 dicta est aqua sancta, nunc appellatur amarissima, tum quia maledictionibus sacerdotis erat quasi onusta et gravida; tum quia epota ab adultera amaritudine magna eam afficiebat.

19. *Non te nocebunt.* Tibi non nocebunt. LXX habent, *innoxia esto*.

21. *Det te Dominus in maledictionem.* Sis adeo misera et infelix, ut publica et communis hominum imprecatio et maledictio sit hæc: *Contingat tibi quod illi adulteræ contigit.*

Putrescere faciat femur tuum. Per femur intellige pudenda, et partes pudendis vicinas. Hebr. LXX, *inflata, intumescentia*, quod in carnibus putrescentibus accidit.

22. *Amen.* Ita fiat.

23. *In libello.* Non opus fuit libello, cùm sufficeret chartula ; quare Philo χαρτίδιον dixit ; sed Hebræi quidquid inscribitur ספר *sepher*, *librum appellant.*

25. *Tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ.* Nam num. 18 dictum fuerat super manus mulieris positum fuisse.

27. *Pertransibunt eam.* Heb. *ingredientur in eam*, vel vim suam exerent.

28. *Innoxia.* Nullam patietur noxam aut detrimentum.

Et faciet liberos. In solamen afflictionis, et ut a viro in posterum ut fecunda diligatur. Idque illi continget eo anno prole mascula suscepta.

31. *Recipiet iniquitatem.* Dabit pœnas.

CAPUT VI.

Describitur votum, consecratio et ritus nazaræorum : datur formula benedictionis, qua sacerdotes benedicant populo.

2. *FECERINT votum ut sanctificentur.* Hebr. *cùm separaverint*, vel *mirificaverint se ad vovendum.* Id est, cùm voverint votum nazaræi, ut separent se a communi hominum consuetudine et vivendi ratione (quod quid novum et mirum est), et consecrent se Domino.

3. *Omni quod inebriare potest.* Generali nomine *sicera* dicitur, hebr. שכר *scechar*, græcè μέθυσμα, quasi dicat, *inebriativum.*

Et ex qualibet alia potione. Quæ inebriandi vim habeat.

Quidquid de uva exprimitur. Hebr. *madefactionem uvarum non bibet :* quidquid scilicet de uvis madefactis, et aqua dilutis post primam vini expressionem, exprimitur. Græci vocant δευτερίαν οἶνον, vinum secundarium. Latini *loram* dicunt : vide Columell. lib. 12. cap. 40.

4. *Usque ad acinum.* LXX, ἕως γιγάρτου ; est autem γίγαρτον granum quod intra uvæ folliculum latet.

5. *Novacula non transibit.* Nec novacula radet caput, nec forcipe capillum tondebit tempore nazaræatûs.

Quo Domino consecratur. Non coma, sed nazaræus.

6. *Super mortuum non ingredietur.* In hoc nazaræus æquabatur summo sacerdoti, de quo Levit. 21. 11, et utrique id conveniebat propter consecrationem, licèt diversi generis in utroque, utramque tamen in suo genere summam.

7. *Quia consecratio Dei sui super caput ejus est.* Quia coma intonsa super caput ejus est, quæ ostendat illum esse Domino separatum, coronatum et consecratum; et in hac cæsarie videtur præcipua fuisse nazaræorum cæremonia.

9. *Caput consecrationis ejus.* Pro consecratio capitis.

Radet illico. Cæsaries quasi polluta radebatur, ut nova succresceret, et dies præteriti nazaræatûs irriti censebantur, cogebaturque de novo tempus voti inchoare; quod intellige de eo qui nazaræus ad tempus fiebat; nam perpetuus nunquam radebatur, quomodocumque pollueretur.

10. *In introitu fœderis testimonii.* In introitu tabernaculi.

11. *Facietque.* Sacrificabit.

Unum. Turturem.

Peccavit super mortuo. Contaminatus est, noxam legalem contraxit.

Sanctificabitque caput ejus in die illo. Ex eo tempore incipiet rursus numerare tempus nazareatûs, quo se fore nazaræum voverat.

13. *Adducet.* Sacerdos.

Eum. Nazaræum.

Ad ostium tabernaculi. Ut pro eo offerat præscripta sacrificia.

15. *Conspersi.* Subacti oleo cùm farina pinseretur et subigeretur.

Libamina singulorum. Quæ præscribuntur cap. 15. 4 hujus libri. Hæ nimirum erant oblationes accessoriæ et secundariæ, sinè quibus hostia pacifica non offerebatur. Vide supra, Exod. 29. 2, et Lev. 7. 12.

18. *Tolletque.* Sacerdos.

Ponet super ignem. Comburentur capilli nazaræi in honorem Dei, tanquam illi ante consecrati.

Super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. Abulensis putat fuisse ignem altaris, ne profano igne hi capilli sanctificati exurerentur; Lyranus putat fuisse ignem culinæ, in qua pacificorum carnes in caldario coquebantur; quam sententiam sequitur Bonfrerius hic de hoc fusè disputans. Nec obstat ratio Abulensis, quia ille etiam ignis, quo carnes pacificorum coquebantur, aliquo modo sacer erat, licèt posset dici profanus comparatione ignis altaris.

19. *Armum coctum.* Fervidum, sive elixatum: hoc enim significat vox hebræa בשל *bescal*, et græca apud LXX, ἑφθὸς.

Tortamque absque fermento. Tortas appellat, quas vocavit panes num. 15 : hanc tortam noster interpres alibi vocat *crustulam*, vel *collyridem*.

20. *Sanctificata.* Quidquid elevaverit, et elevando Deo obtulerit et consecraverit.

Sicut pectusculum. Sicut pectusculum, ita et femur : sive, tam unum quàm aliud.

Et femur. Hic femur armum significat, ut patet ex hebræo et LXX qui βραχίονα habent, id est, *brachium*.

21. *Exceptis his quæ invenerit manus ejus.* Ad quæ sponte se obstringere voluerit.

Juxta quod mente devoverat. Votum enim privata lex est quæ juxta voventis mentem interpretationem accipit.

Ad perfectionem sanctificationis suæ. Hebr. *juxta legem nazaræatûs sui*, quæ videlicet spectat perfectionem ejus in sanctitate statûs illius temporis, veteris scilicet testamenti.

24. *Benedicat tibi Dominus.* Det tibi copiam omnium bonorum.

25. *Ostendat Dominus faciem suam tibi.* Hilarem, propitiam, benignam. Hebr. habet, *illuminet Dominus faciem suam super te*, id est, Dominus sit tibi lucis instar et lucernæ quæ dirigat omnes actus tuos.

26. *Convertat Dominus vultum suum ad te.* Consoletur, adjuvet, protegat te; hæc enim facit Dominus ad nos conversus, contraria his, aversus.

27. *Invocabuntque nomen meum super filios Israel.* Cùm benedicent sacerdotes filiis Israel, adjungent benedictioni tuæ nomen meum tetragrammaton.

Et ego benedicam eis. Benefaciam cumulando eos bonis.

CAPUT VII.

Principes duodecim tribuum offerunt tabernaculo recens erecto sua dona. Deinde singuli seorsim suas victimas et vasa ad usum tabernaculi.

1. *In die.* Id est, in tempore; nam ex hoc capite certum est ut minimùm duodecim dierum spatium comprehendi.

Complevit Moses tabernaculum. Ministerio Beseleel et sociorum.

3. *Plaustra tecta.* Ne vasa, instrumentumque sacrum, quod illis erat convehendum, conspici posset a populo; neve læderentur ab imbre, aut grandine, etc. LXX habent, ἁμάξας λαμπηνικάς. Hesychius docet λαμπήνην illustrium virorum aut feminarum vehiculum fuisse desuper opertum.

8. *Quatuor alia plaustra.* Filiis Merari plures boves et plura plaustra data sunt, quia graviora habebant onera, scilicet columnarum omnium, præter alia onera tabularum, basium, etc.; adeo ut Abulensis putet omnia eorum onera non potuisse quatuor hisce plaustris imponi, sed quædam ab eis debuisse humeris portari.

Cultum. Ministerium; hoc enim vox hebraica significat.

Sub manu. Cura, potestate, præfectura.

Ithamar. Ithamar præerat Gersonitis et Meraritis, eorumque vasis et supellectili.

9. *Quia in sanctuario serviunt.* Ea autem quæ ad sanctuarium pertinent non plaustris vehenda, sed humeris gestanda erant, ob ipsorum sanctitatem et reverentiam.

11. *Singuli duces.* Principes tribuum.

In dedicationem altaris. Holocaustorum, quod præter unctionem cum aliis tabernaculi vasis communem, habebat aliam specialem dedicationem, per septem dies, quotidianam scilicet unctionem, et sacrificia, Exod. 29. 36 et 37, præscripta; unde et quotidie in tabernaculi totius, sed maximè altaris hujus dedicationem offerebant principes vicissim et viritim sua munera.

13. *Acetabulum.* Vide de acetabulis dicta Exod. 25. 29. Hæc tamen acetabula, cùm argentea fuerint, non fuisse videntur in usus sanctuarii, cùm omnia sanctuarii vasa aurea fuisse sciamus: idem dicendum de phialis. Fuerunt ergo in usum atrii et altaris holocausti.

Pondo. Pondere.

Phiala. Vide supra, Exod. 25. 20.

In sacrificium. Hæc similæ oblatio addenda erat partim holocaustis, si incocta erat; partim pacificis, si cocta.

14. *Mortariolum.* Vide supra, cap. 4. num. 7. Hic in hebræo est vox כף *caph*, quam noster interpres alibi phialam vertit: sed quia alia vox quam phialam vertit, hic præcessit, vertit mortariolum, quasi dicas, parvam phialam ad capiendum incensum.

18. *Secundo die.* Id est tempore; nam oblatio hæc duravit per duodecim dies.

89. *Ut consuleret oraculum.* Dei sedentis in Sancto Sanctorum super propitiatorium.

CAPUT

CAPUT VIII.

Præscribit Deus candelabri et lucernarum situm, et dat ritum consecrationis levitarum.

2. RESPICIANT *ad mensam panum.* Hæc mensa erat in qua quasi convivabatur Deus; nemo autem convivatur in tenebris, sed in lumine; in tabernaculo autem nulla erat fenestra : itaque lucernæ accenduntur.

4. *Hæc autem erat factura candelabri.* Paucis repetit de structura candelabri, quæ fusiùs habetur Exod. 25. 31, et deinceps, et cap. 37. 17, et deinceps.

7. *Aqua lustrationis.* Quæ mixta est cineribus vitulæ rufæ, de quibus cap. 19.

Radant omnes pilos carnis suæ. Cujus rei tropologiam vide apud. S. Greg. l. 5. Mor. cap. 13; nam hæ cæremoniæ procul dubio mysterio non vacant.

8. *Libamentum ejus.* Hoc est, tali hostiæ addi consuetum; de quo vide infra, cap. 15; num. 9.

10. *Ponent filii Israel manus suas super eos.* Ut hac manuum impositione significent et testentur se levitas contribules suos a se abdicare, et Domino quasi munus aut sacrificium offerre, ejusque dominium et ministerium transferre.

12. *Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum.* Bos erat levitarum sacrificium, sicut levitæ ipsi quoddam populi sacrificium fuerunt: itaque utrobique manuum impositio super capita.

Unum facies pro peccato. Non tu, sed Aaron; facies ergo non per temetipsum, sed per Aaronem pontificem; nam num. 11 dictum fuerat : *Offeret Aaron levitas.* Nec tamen improbabile ipsum Mosen sacrificasse, quod et textus noster, et versio LXX videntur indicare. Vide Bonfrerium hic.

* 14 *Ut sint mei.* Ut sint liberi ab oneribus, bellique muniis, custodes sanctuarii, janitores, cantores. Hæc enim fuerunt officia levitarum.

13. *Ingredientur tabernaculum fœderis.* Hebr. *ingredientur ad ministerium suum in tabernaculo fœderis*; videlicet ut illud portent; nec enim erat illud officium levitarum.

Consecrabis eos in oblationem. Hebr. *elevabis eos*, vel *agitabis eos*, eâ cæremoniâ adhibitâ, quam Hebræi vocant *tenupha*, de qua Exod. 29. 24, dixi. Elevati ergo sunt levitæ eo ritu quo elevabantur victimæ. Probabile

non multos levitas tunc consecratos, sed quot erant ad præsentem necessitatem ministerii tabernaculi necessarii.

19. *Ne sit in populo plaga.* Si laicus et profanus sacro officio se immiscuerit contra præceptum meum.

21. *Elevavitque eos Aaron.* Ritu *tenupha*, de quo num. 15.

24. *Ingredientur.* Levitæ.

26. *Sic dispones levitas.* Ut custodiant vasa tabernaculi ea ætate, et modo quem jam præscripsi.

Opera autem ipsa non faciant. Quæ priùs facere solebant, cùm vires erant integræ.

In custodiis suis. Vocat *custodias* in plurali, quia variis familiis varia custodienda dabantur. Unde plures custodiæ.

CAPUT IX.

Jubet Deus Hebræos in Sina celebrare Pascha, simulque præscribitur quo tempore debeant, qui mundi fuerint, illud celebrare, et quo qui immundi. Describitur columna nubis quæ dux fuit itineris et quietis.

3. *Ad vesperam.* Hebr. *inter duas vesperas*, quod explicavi cap. 12 Exod. num. 6.

Juxta omnes cæremonias et justificationes ejus. Id est, juxta ritus et circumstantias omnes præscriptas Exod. 12. Mandata Dei dicuntur justificationes, quòd sinè illis rectè, justè ac legitimè quidpiam non fiat.

5. *Qui fecerunt tempore suo.* Hoc tamen Phase non manducarunt qui nati sunt post egressum ex Ægypto, quia incircumcisi, quanquam nec poterant per ætatem, quia tenelli infantes erant.

7. *Super anima.* Quia scilicet cadaver hominis tetigimus; tales enim, Levit. 22. 4, arcebantur ab omni sacrificio.

Fraudamur. Prohibemur, arcemur.

10. *Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase.* Illud *in gente vestra* jungendum cum voce *homo*, hoc pacto : homo de gente vestra, Hebræus scilicet, qui immundus fuerit, aut peregrè, cessante immunditia, vel ad suos reversus, faciet Phase mense secundo, si primo facere non potuit, dictis impedimentis exclusus : si secundo non poterat, Phase in tertium aut ulteriorem mensem transferre fas

non erat. Idemque judicium de immundis ob tactum cadaveris, ac de aliis, sed aliâ causâ.

13. *Peccatum*. Pœnam peccati.

14. *Peregrinus quoque et advena*. Si religione Hebræus sit.

15. *Nubes*. Columna nubis.

A vespere autem. Columna per diem nubis speciem habebat, per noctem verò ignis.

18. *Ad imperium Domini*. Moventis per angelum columnam nubis.

19. *Multo tempore maneret*. Nubes scilicet.

Super illud. Tabernaculo.

Erant filii Israel in excubiis Domini. Sistebant quasi excubantes et advigilantes, et nubem an moveretur observantes; vel sensus est, erant in stationibus et mansionibus in eodem loco, quas Dei injussu relinquere non poterant.

21. *Dissipabant tentoria*. Deponebant, suaque omnia convastabant.

23. *Erantque in excubiis Domini*. Vide hoc cap. num. 19.

CAPUT X.

Jubet Deus fieri duas tubas argenteas, earumque usum docet. Ad motum columnæ nubis Hebræi instructa acie movent castra ex Sina in Pharan. Moses detinet Hobab sororium suum: arca præit castra, comprecante Mose.

2. DUAS *tubas argenteas*. Ad convocandum populum: primò ad movendum castra; 2. ad festa; 3. ad sacrificia; 4. ad bella; 5. ad concionem; 6. ad sacras epulas. Jubet nunc fieri duas, non tamen vetat fieri plures. Factæ sunt ex argento ob reverentiam cultûs divini, et ut essent magis sonoræ.

Ductiles. Laminis scilicet malleorum contusione diductis.

4. *Si semel clangueris*. Hebr. habent, *si unâ tubâ clanxeris;* sic etiam chaldæus et LXX; et sensus potest esse idem; nam qui unâ tubâ canit, quodam sensu semel canit; qui duplici, quodammodo bis canit, etiamsi simul sonum edant.

5. *Concisior*. Intercisus, interruptus brevi aliquâ morulâ.

9. *Et erit recordatio*. Quasi dicat: Dominus recorda-

bitur vestrî in prælio, cùm clangetis juxta hoc ejus præceptum, ut eruat vos ab hostibus, et victores faciat.

10. *Epulum*. Solemne et sacrum ex hostiis pacificis, sive epulum quod fit prævio sacrificio, illudque claudit, quale erat in consecratione regum; pariter in calendis, id est, in neomenia, sive novilunio, primo scilicet die mensis lunaris: hìc enim dies Judæis erat festus.

In recordationem Dei. Ut Deus vestrî recordetur, ut dixi num. 9.

11. *Anno secundo*. Ab egressu ex Egypto.

Nubes. Columna nubis.

12. *In solitudine Pharan*. In loco qui postea dictus est *sepulcra Concupiscentiæ*, in quo fuit decima tertia Hebræorum mansio.

13. *Juxta imperium Domini in manu Moysi*. Quod scilicet Deus dedit per Mosen ministrum suum.

21. *Portantes sanctuarium*. Vasa sancta sanctuarii, id est, Sancti et Sancti Sanctorum.

29. *Hobab filio Raguel*. LXX et alii censent hunc esse Jethro cognatum Mosis. Verius tamen est quod alii auctores existimant, esse illius filium.

30. *In terram meam*. Madian.

31. *Tu enim nosti*. Non eguit Moses ductore in deserto qui sequebatur columnam nubis, quique in locis iis versatus fuerat annis quadraginta, cùm pasceret greges Jethro soceri sui; sed optavit Hobab sororium suum hac arte Judæorum veræ religioni adjungere. Ita censent aliqui. Vel etiam dici potest, quod verum puto, optasse Mosen apud se habere Hobab, ut peculiaria quædam disceret ex eo, quæ vel decursu temporis mutata fuerant, vel Moses oblitus eorum erat tanta temporis et locorum longinquitate varietateque negotiorum. Nec ex motu columnæ aliud Hebræi discebant, quàm quò iter esset dirigendum; reliqua ex speculatoribus et locorum peritis, qualis erat Hobab, cognoscenda erant.

33. *Profecti sunt ergo*. Tacet Hobab, itaque verisimile est eum acquievisse, et mansisse cum Mose.

Providens castrorum locum. Faciebat hoc columna nubis, et consequenter arca, cui nubes incumbebat. In hebr. est, *ad explorandum*, *vel investigandum illis requiem*, locum scilicet in quo commodè quiescerent.

35. *Cùmque elevaretur arca*. Ut moverentur castra.

Surge, Domine. Quasi hactenus arcæ insidens quievisset.

CAPUT XI.

Murmur Hebræorum plectitur : coturnices illis dantur : orat Moses et queritur apud Deum, qui onus illius in septuaginta seniores partitur, qui omnes prophetant. Punitur populus ob carnium concupiscentiam.

1. *Quasi dolentium pro labore.* Fatigatione scilicet itineris, quia tres continuos dies cum parvulis, jumentis, et sarcinis ambulaverant.

Ignis Domini. A Domino profectus, vel ignis ingens, et vehemens, et terribilis; sic enim vocantur *cedri Dei*, *montes Dei*, id est, cedri magnæ, montes excelsi.

Extremam castrorum partem. In qua verisimiliter erant Ægyptii qui Israelitas ad hanc murmurationem incitaverant. Fortasse etiam aliqui qui lassitudinem simulabant in extrema hac acie absumpti fuerunt.

2. *Absorptus est ignis.* Vel simpliciter exstinctus est, vel, quod vox *absorptus* indicare videtur, terrâ unde prodierat absorptus est; et vocem hebræam שקע Hebræorum aliqui docent significare, *in profundum deprimi*, *submergi.*

3. *Vocavitque nomen loci illius Incensio.* Locus hic ab igne vocatus est *Incensio ;* sed a pœna gulæ vocatus est *sepulcra Concupiscentiæ*, ut patet num. 34; est enim hic unus et idem locus, uti et idem murmur: fieri potest ut totus locus dictus sit sepulcra Concupiscentiæ; pars verò ejusdem loci, quæ igne conflagravit, Incensio appellata sit.

4. *Vulgus quippe promiscuum.* Ægyptiorum qui Hebræorum castra sequebantur.

Flagravit desiderio. Carnium et cæparum Ægypti; quamvis enim Hebræi suos greges secum ducerent, tamen promiscuum illud vulgus carnes in potestate non habebat; et alii etiam ovibus parcebant, ut eas in terram promissam adducerent, interim mannâ victitantes, ne earum numerum imminuerent. Cæpas comedere Ægyptiorum aliquibus erat religio; nam, ut ait Juven. Sat. penult. Porrum et cæpe nefas violare, ac frangere morsu: sed non omnes hac superstitione tenebantur.

5. *Gratis.* Vili pretio et quasi nullo.

6. *Anima nostra arida est.* Appetitus noster languet, nauseat et quasi exarescit. Nam licèt manna eos sapores exhiberet, optabant varietatem non tam in sapore

quàm in colore exteriorique forma ciborum, ut simul cum ventre, oculos etiam et manus explerent.

7. *Coloris bdellii.* Bdellium ex Plin. lib. 12. cap. 28, unguis colorem refert, estque candidum et lucidum. De colore et sapore manna vide dicta Exod. 16. 31.

10. *Moysi intoleranda res visa est.* Quòd scilicet omnis populus ulularet, et carnes posceret.

12. *Porta eos in sinu tuo.* Magna enim charitate suos fovere principes debent.

15. *Interficias me.* Peto ut mori liceat. Levis aut nulla pusillanimitatis culpa : itaque non reprehendit illum Dominus, sed consolatur.

16. *Congrega mihi septuaginta viros.* Constituerat priùs, Jethro suggerente, Exod. 18. 21, decanos et tribunos, qui lites deciderent; sed adhuc erat provocatio ad Mosen, qui etiam quæ ad Dei cultum spectabant procurabat, et majores etiam causæ ad ipsum deferebantur. Constituit ergo Deus hos septuaginta, qui hæc tria æquè ut Moses præstarent; ideoque eos æquè ac Mosen spiritu prophetico insignivit, ut familiariter Deus consulerent in dubiis, et ab eo edocerentur.

Quos tu nosti quòd senes . . . . sint. Non tam ætate quàm prudentiâ et moribus.

17. *Et descendam.* Inclinando columnam nubis, in qua ago, quasi dux vester.

Auferam. Accipiam. * Sic ab una candela lumen accipitur ad aliam accendendam, nihilque luminis deperit in priore. Chaldæus, *augebo de spiritu qui est super te, et ponam super eos.*

De spiritu. Prophetico, ut colligitur ex num. 25, quo et populum regere scias, et dubia explicare, et occulta cognoscere, et futura prævidere, et Dei laudes eodem spiritu dictante exsequi.

18. *Sanctificamini.* Parate vos; nam sanctificari in sacris litteris nonnunquam simpliciter significat comparare se. Ita explicant Lyran. et Abulens. Chald. etiam vertit, *præparate vos.*

20. *Usque ad mensem dierum.* Mensem integrum, seu omnibus diebus mensis. * Sic δύο ἔτη ἡμερῶν, sunt anni pleni et exacti, 1. Machab. 1. 30.

Exeat per nares. Statim explicat, cùm ait, et vertatur in nauseam.

21. *Sexcenta millia.* Peditum scilicet armatorum Hebræorum : nam feminarum, puerorum, servorum et Ægyptiorum numerus facilè excrescebat ad trigesies centena millia.

23. *Manus.* Potestas.

25. *Prophetaverunt.* Divino instinctu in divinas laudes eruperunt. Sic Saul dicitur prophetasse, cùm quasi enthusiasmo actus Dei laudes cecinit, 1. Reg. 10. 10.

Nec ultra cessaverunt. Nec eos ampliùs spiritus ille propheticus, quem ad populi regimen acceperant, destituit.

26. *Remanserant.* Ex humilitate, dum se honore indignos arbitrantur. Ita Hieron. epistolâ 127.

27. *Eldad et Medad prophetant in castris.* Alii 68 prophetabant præsente Mose in tabernaculo, et Mosi quasi conjuncti : duo verò illi, absente et inscio Mose : itaque veritus Josue ne hoc Mosis auctoritatem imminueret, per Mosen prohibere conatur. * Simile vide Lucæ cap. 9. 49.

28. *Electus e pluribus.* Intimus, maximè familiaris. In hebræo, *ex electis ejus*, juvenibus, ac ministris, ac inter eos lectissimus et charissimus.

30. *Reversusque.... in castra.* Ex tabernaculo ad circum jacentia castra.

31. *Egrediens a Domino.* Præter naturæ ordinem a Deo missus.

Trans mare. Rubrum.

Cortunices. Dantur secundò coturnices, nam primò datæ fuerant. Exod. 16. 13. LXX habent, *ortygometram.* Illud parelcon μήτρα adjungitur quibusdam animalibus, quæ in suo genere grandiora sunt : sic echinometra est echinus grandior et spinosior, de quo Plin. l. 9. cap. 21. Itaque ortygometra est grandior coturnix, quæ dux coturnicum dicitur.

Demisit in castra. Decidere fecit in castra circum circa, per tantùm spatii quantùm uno die confici solet.

32. *Qui parum, decem coros.* Corus continebat triginta modios. Demus in quolibet modio fuisse tantùm 20 coturnices, perinde ac modius continet viginti libras frumenti; hinc sequitur quòd quilibet colligens triginta modios collegerit sex millia coturnicum, et consequenter quòd unus hominum millio collegerit sex millia milliorum, ac proinde totus populus, qui tres capitum milliones explebat, collegerit 18 millia millionum coturnicum.

Siccaverunt eas. Ne putrescerent, sed in sequentes dies servari possent.

33. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum.* Expleto tamen mense, quo carnibus coturnicum saturati sunt, ut promiserat Dominus, num. 20.

Plaga magna. Ignis, qui deinde precibus Mosis repressus et absorptus est, ut dictum est num. 3.

34. *In Haseroth.* Hæc est 14 mansio.

CAPUT XII.

Maria ob murmur contra Mosen leprâ corripitur et castris ejicitur, sed orante pro ea Mose post septem dies sanatur et revocatur.

1. PROPTER *uxorem ejus Æthiopissam*. Sephoram Madianitidem, quæ fortasse, quòd uxor esset Mosis, præferebat se Mariæ; quod hæc animo æquo ferre non poterat. In hoc tamen murmure præcipuè peccasse videtur Maria, quæ Aaron contra Mosen concitavit, quæ etiam leprâ percussa est.

2. *Per solum*. Quasi dicat : Num solus Moses propheta?

3. *Erat enim Moyses vir mitissimus*. Mitissimus Moses injuriam non ulciscitur; ideo illius patrocinium suscipit Deus. Scripsit hanc de se laudem Moses, quia calamus Spiritûs sancti ad hoc scribendum impellentis ita scripserat.

6. *In visione*. In imaginaria, vel intellectuali repræsentatione et raptu.

7. *In omni domo mea*. In toto cœtu Israel.

8. *Ore enim ad os*. Eo modo qui habetur Exod. 34. 6. Vide dicta Exod. cap. 33. 11.

10. *Nubes quoque recessit*. Non procedendo et præeundo, sed ascendendo supra tabernaculum.

11. *Imponas nobis*. Imputes.

12. *Quasi mortua*. Lepra carnes illius exedente, vel mortua morte civili ob separationem leprosorum a cœtu aliorum.

14. *Spuisset*. Quasi dicat : Quantò magis cùm ego eam leprâ quasi sputo perfuderim.

Septem diebus. Iis elapsis a Deo curata est et revocata. In ejus autem revocatione observatæ non sunt cæremoniæ et expiationes leprosis præscriptæ Levit. 14; nam ipsa Dei sanatio per miraculum et revocatio erat sufficiens lustratio et expiatio. * Ad hoc exemplum instituta fuit separatio a synagoga, et excommunicatio christianis usitata.

CAPUT XIII.

Moses mittit duodecim exploratores in Chanaan, qui referunt in vecte botrum et alios terræ fructus; sed narrantes munitiones urbium et incolarum robur, Hebræos ab ea absterrent, frustra renitente Caleb et Josue.

1. De *Haseroth*. Ubì fuit 14 mansio.

Fixis tentoriis in deserto Pharan. Pergendo figère tentoria in deserto Pharan. Hæc porrò decima quinta mansio, in quam proximè ex Haseroth venerunt, fuit Rethma, ut patet Num. 33. 18.

3. *Mitte viros*. Petierat hoc populus, ut patet Deut. 1. 22: consultus per Mosen Dominus annuit.

Ex principibus. Non summis; nam aliis nominibus vocabantur, ut patet cap. 10. 14; sed ex aliis primariis viris.

12. *De tribu Joseph, sceptri Manasse*. Ex hebr. verti potest, *de tribu Joseph, de tribu Manasse;* sed noster interpres, ut vitaret ejusdem vocis repetitionem, secundo loco sceptrum posuit, מתה *matte;* quod sua primaria significatione virgam, baculum, sceptrumve significat; hinc accipitur pro regno, dominatione, ac tribu.

17. *Vocavitque Osee filium Nun, Josue*. Moses Osee nomen in Josue mutavit additâ initio nominis litterâ jod, primò ut certiorem victoriam de Chananæis polliceretur; nam Osee significat *salva*, Josue verò, *qui salvabit;* 2. ut doceret a Deo exspectandum bonum bellorum exitum: addita enim nomini Josue prima littera nominis Dei tetragrammati sumpta cum reliquo nomine, videtur exhibere hunc sensum, *Dei salus*, salvator a Deo datus; 3. quia prævidebat spiritu prophetico Josue, sive Jesum hunc, ut eum vocant LXX, fore typum Jesu Christi Salvatoris; idem enim in hebræo utriusque nomen est, iisdemque litteris et punctis scribitur ישוע *Jeschuah*.

21. *Quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt*. Mense junii in Palæstina.

22. *Intrantibus Emath*. Quà itur et intratur in Emath regionem, quæ ab aquilone terram sanctam terminabat.

23. *Filii*. Nepotes et posteri Enac gigantis. Videntur hi esse Inachidæ Græcorum, qui antiquissimis temporibus ab oriente migrarint in Græciam.

Tanim urbem Ægypti. Celebrem scilicet, et ut aliqui volunt, regiam. Psalm. 77. 12, dicitur : *Fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.* Crebra apud Jeremiam Tanis, seu Taphnis mentio est cap. 2. 16, cap. 43. 7, cap. 44. 1, cap. 46. 19.

Palmitem cum uva sua. Hebr. et chald. habent, *palmitem et botrum uvarum unum.* Alibi etiam apud profanos auctores leguntur nasci botri immani magnitudine. Vide Corn. a Lapide hic.

Duo viri. S. Ambr. serm. 72 de S. Cypriano, ait fuisse Josue et Caleb.

Lacte et melle. Id est, fertilissima.

30. *Amalec habitat in meridie.* Dicunt hoc exploratores, non quasi terra Amalecitarum pertineret ad terram Hebræis promissam, sed quia vicina erat; ita ut Amalecitæ ingressum in Chananæam facilè prohibere possent.

33. *Devorat habitatores suos.* Insalubris est, noxia et pestilens. Falsum hoc erat.

34. *Quasi locustæ.* Hyperbole nimia et mendax ad populum terrendum.

CAPUT XIV.

Murmur populi frustra sedare conantur Josue et Caleb: iratum Dominum placat Moses. Omnes Israelitæ addicuntur morti in deserto, præter Caleb et Josue. Pugnantes Hebræi contra Domini voluntatem cæduntur ab hostibus.

3. *In hac vasta solitudine utinam pereamus!* Voti compotes facti sunt, eamdem, quam postulaverant, pœnam Domino illis irrogante num. 23; omnes enim confecit et sepelivit in deserto.

4. *Revertamur in Ægyptum.* Quis revertentibus præbuisset annonam? an rebellibus Dominus pluisset manna? quomodo mare Rubrum transmisissent?

5. *Ceciderunt proni in terram.* Deprecantes Dominum ne immitteret vindictam in murmurantes, ut fecerat in sepulcris Concupiscentiæ, cap. 11. 33.

8. *Si propitius.* Particula *si* non est dubitantis, sed modum victoriæ indicantis; quasi dicat : Propitio Domino ingrediemur, etc.; vel sensus est, nisi pergatis illum vestris oblocutionibus irritare.

9. *Recessit ab eis omne præsidium.* Hebr. *recessit ab*

eis umbra eorum. LXX habent, *recessit ab eis tempus.* Divino præsidio destituti sunt. Hebræi hoc intelligunt de morte S. Job, quem juxta Jordanem habitasse, ex variis auctoribus ait Pineda in Job cap. 1. versu 1, num. 29; et hoc anno mortuum fuisse aliqui volunt. Vide Corn. a Lapide, cap. 10. Num. versu 11.

10. *Et lapidibus eos.* Caleb scilicet et Josue qui murmurantibus resistebant.

Gloria Domini. Nubes lucida præsentiam Domini indicans.

Super tectum fœderis. Super tabernaculum.

11. *Usquequo detrahet mihi?* Hebr. *irritabit me.*

12. *Principem super gentem magnam.* Quæ ex te nascatur, vel cui tu imperes.

13. *Ut audiant Ægyptii.* Trunca oratio per aposiopesim ad exprimendum pathos, quasi dicat : Si hoc facis, audient Ægyptii, et blasphemabunt nomen tuum.

* 16. *Juraverat.* Juravit hoc Deus israelitico populo, qui semper idem esse censetur, non his, vel illis de populo. Quare juramentum hoc plenè implevit Deus Josue temporibus.

17. *Magnificetur ergo fortitudo Domini.* Magna appareat, iram vincendo et difficultates ex hostibus, ex itinere, ex ingenio duro Hebræorum superando.

Sicut jurasti. Non juraverat Dominus, sed illius asseverationi par fides adhibenda ac juramento.

18. *Innoxium.* Impunitum cùm pœnam meretur.

Qui visitas peccata patrum in filios. Non quòd Moses hoc optet, cùm contrarium postulet; sed quia Deus, Exod. 34. 6, hæc sibi epitheta tribuerat, iisque, cùm invocaretur, nominari voluit.

20. *Dimisi.* Non puniam ut dixeram.

Juxta verbum tuum. Ut petisti.

21. *Vivo ego.* Juro per vitam meam.

Implebitur gloriâ Domini universa terra. Adeo mira facturus sum inducens populum in Chananæam.

22. *Qui viderunt majestatem meam.* Signa nimirum, et portenta, quæ majestatis meæ argumenta sunt.

Per decem vices. Multis vicibus.

24. *Qui plenus alio spiritu.* Bono scilicet obedientiæ, magnanimitatis, fidei ac fiduciæ.

Secutus est me. Jussa mea faciendo, non obloquendo, bonum exitum sperando, et alios etiam ad spem erigendo.

* 25. *Habitant in vallibus.* Castrametantur in vallibus vicinis, vobisque insidiantur.

Revertimini in solitudinem. Jam pervenerant in Rethma et Cades, proximèque aberant a terra promissa; tantùm enim intererant montes Idumææ : in pœnam ergo revocat illos in solitudinem. * Vel ne in hostium insidias incidant, quibuscum si congrederentur cladem acciperent, cùm numen non haberent propitium.

30. *Super quam levavi manum.* Pro qua, quasi elata in altùm manu, juravi quòd eam vobis darem, Genes. 15. 18.

33. *Annis quadraginta.* Hebræi egressi sunt ex Ægypto 15 die mensis primi, ut patet Num. 33. 3. Transierunt autem Jordanem, et ingressi sunt Chanaan decima die mensis primi anni 41 ab egressu, ut patet Josue 4. 19. Itaque desunt quinque dies ad explendum quadraginta annos.

Portabunt fornicationem vestram. Pœnam fornicationis vestræ, id est prævaricationis ac declinationis a Deo et ejus lege.

34. *Iniquitates.* Pœnam iniquitatum.

37. *Mortui sunt atque percussi.* Subita morte puniti sunt, præter Josue et Caleb.

* *In conspectu Domini.* Gloria Domini adhuc se visendam exhibente supra tabernaculum.

39. *Universa verba hæc.* Sententiam mortis continentia.

40. *Ascenderunt verticem montis.* Idumææ, ut sic statim penetrarent in Chanaan. Priùs aversi et refugientes, nunc præcipites in eam ruunt, sinè consilio, nutu opeque Dei, in utroque inobedientes Domino, utrobique mulctati, ut meriti fuerant.

Parati sumus ascendere. Quasi priorem contumaciam emendaturi.

44. *At illi contenebrati.* Excæcati inobedientiâ, et cupiditate penetrandi in Chanaan non aquiescunt.

In verticem montis. In quo habitabant Chananæi et Amalecitæ, qui facilè per dorsum montis in sublime nitentes deturbarunt ac ceciderunt Israelitas.

45. *Usque Horma.* Qui locus postea ita dictus est, Num. 21. 3, a strage ibi edita ab Hebræis. Vel etiam ab hac clade nomen invenit. *Horma* anathema significat.

CAPUT XV.

Statuitur certa mensura libaminum singulis hostiis : fertur lex de dandis primitiis panum, messis et uvarum. Colligens ligna in sabbato jubetur lapidari. Jubet Deus ut Hebræi vestes gestent fimbriatas.

3. ADOLENTES *odorem suavitatis.* Holocaustum scilicet, vel victimam pacificam.

4. *Sacrificium similæ.* Quod holocaustis tantùm et victimæ pacificæ, non autem victimæ pro peccato, addi solebat.

Decimam partem ephi. Quæ gomor dicitur.

Quartam partem hin. Quarta pars hin erant tres sextarii hebræi; id est, unciæ aquæ, vel vini 40, libræ scilicet tres et unciæ quatuor.

5. *Et vinum ad liba.* Ad libamina. Simila sale et oleo commista victimæ cremandæ imponebatur, et super hæc vinum libabant, illud superinfundendo. Ex his, quæ hic dicuntur in textu, facilè notabis quò major est hostia, majus etiam libamen præscribi.

13. *Peregrini.* Qui proselyti sunt.

20. *De cibis.* De panibus.

Sicut de areis. Idem judicium et de torcularibus.

21. *De pulmentis.* De massa farinæ subacta ad panes conficiendos.

24. *Vitulum de armento, holocaustum. . . . hircumque pro peccato.* Levitici 4. 13, præcipitur ut, si tota multitudo filiorum Israel peccaverit, offerat vitulum pro peccato comburendum extra castra. Hic verò additur ut præter vitulum Levitici 4. 14, præscriptum, alius insuper vitulus in holocaustum offeratur, et hircus pro peccato.

Sacrificium ejus. Farreum.

Liba. Libamina olei et vini.

25. *Offerentes incensum.* Victimam quæ incendatur et adoleatur Deo.

21. *Præceptum illius fecit irritum.* Violavit præceptum, fecit illud irritum, non quoad obligationem, sed quoad ejus finem et usum, qui est obedire Deo.

32. *Colligentem ligna in die sabbati.* In deserto servabant sabbatum quoad vacationem ab operibus, non quoad sacrificia.

35. *Morte moriatur.* Leges pœnâ sanciendæ, præsertim cùm recens latæ sunt.

28. *Fimbrias*. Ad eum modum quo videmus in extremitate telarum fila quædam exstare. Has fimbrias etiam Christus gestavit, nam Luc. 8. 44, dicitur mulier tetigisse fimbriam vestimenti ejus.

Vittas hyacinthinas. Coloris violacei.

39. *Nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes*. Quasi dicat: gestate has fimbrias, ut iis admoniti legis Domini, non sequamini cogitationes et curiositatem cordis vestri, et oculorum concupiscentiam, quos sequentes aberretis a præceptis Dei, et tanquam fornicarii, alieno rerum concupitarum amore, et peccatis vos polluatis. * Vel sensus est : nolite sequi cogitationes vestras legem interpretando, et ad id quod cupitis, trahendo et detorquendo; ne proprio fidentes judicio peccetis, et culpam, quæ est metaphorica quædam fornicatio, contrahatis.

CAPUT XVI.

Core, Dathan et Abiron sacerdotium ambientium seditio et pœna : murmurat populus, in quem Deus immittit ignem ; hunc verò oratione sua cohibet Aaron.

1. CORE *filius Isaar*. Core fuit consobrinus Mosis et Aaronis; erant enim duorum fratrum filii, Amram et Isaar. Caath genuit Amram et Isaar, ut patet partim hic, partim Exod. 6. 18.

* *De filiis Ruben*. Qui concoquere non poterant a filiis Ruben Jacobi primogeniti ablatum jus sacerdotii.

2. *Surrexerunt contra Moysen*. Non tam ejus principatum ambientes, quàm Aaronis sacerdotio invidentes, quasi illud a se ut pote primogenitis, iniquè ablatum esset; maximè verò Core qui erat primogenitus, ut patet Exod. 6. 21.

Per nomina. Hebr. *viri nominis*, celebres, primores, et senatores, qui ad consilium evocari solebant.

3. *Sufficiat vobis*. Ut privati vivatis, et vestra sorte singuli contenti sitis.

Quia omnis multitudo sanctorum est. Quòd omnis hic Hebræorum populus sanctus est, Deoque per veram fidem, religionem, cultum et pactum in Sina initum, devinctus, et quasi consecratus æquè ac vos, ô Moses et Aaron.

Et in ipsis est Dominus. Qui illis adest, beneficiisque prosequitur.

4. *Cecidit pronus in faciem*. Humiliter orans Dominum, ut seditionen hanc Core discuteret.

5. *Qui ad se pertineant.* Ad hæc verba alludit apostolus 2. Tim. 2. 19, cùm ait: *Cognovit Dominus qui sunt ejus.*

Et sanctos applicabit sibi. Exteriori signo ostendet quem velit sibi in sacerdotem sanctificari, sacroque hoc ministerio fungi.

Et quos elegerit, appropinquabunt ei. Sacerdotio fungentur ii quos Deus ipse ad hoc delegerit, non alii.

7. *Ponite desuper thymiama coram Domino.* Coram Sancto Sanctorum, in altari thymiamatis.

Ipse erit sanctus. Segregatus et electus a Deo ad sacerdotium.

Multùm erigimini, filii Levi. Hebr. *multùm vobis*, scilicet sumitis et arrogatis. Valde superbitis.

11. *Omnis globus tuus.* Congregatio tua, gregales tui.

Quid est enim Aaron? Quid fecit Aaron? nec enim ipse se ingessit sacerdotio, sed a Deo vocatus fuit.

12. *Misit ergo Moyses.* Nuntium ad absentes Dathan et Abiron, et etiam ad Hon; nam Core solus erat præsens Mosi.

Non venimus. Nolumus venire.

14. *Revera induxisti nos.* Est sarcasmus, quasi dicat: Hæccine in deserto est terra illa fertilissima, in quam te nos inducturum jactabas?

Oculos nostros vis eruere? Ut non videamus tuas imposturas. * Vel etiam sensus est: an paras in corpora nostra sævire, si tibi non pareamus, oculos nobis eruendo?

15. *Sacrificia.* Thurificationes; non enim victimas, sed tantùm thymiama obtulerunt.

17. *Ducenta quinquaginta thuribula.* Non sumpta de sanctuario, sed quæ seditiosi sibi fecerant.

18. *Quod cùm fecissent.* Illi 250 Dathan et Abiron, Core et Hon venire noluerunt ex contumacia, vel sibi a Deo timentes malum aliquod.

19. *Gloria Domini.* Major solito lux et fulgor in columna nubis, divinam indicans præsentiam.

21. *Separamini de medio congregationis hujus.* Et sacerdotium ambientium, et populi qui illis aderat, illisque favebat. * Bonorum subditorum est segregare se a seditiosis; hinc Moses pro populo preces fundit, ut sequitur.

22. *Deus spirituum universæ carnis.* Qui omnem animam humanam, quæ carnem animat, condidisti; vel, qui intima carnis scrutaris, mentem, propensiones, vota cognoscis.

Num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? Pauci peccarunt, ad illos pœna pertinet. Populus non rebellis fuit aut contumax, ut illi; sed leviùs peccavit, novitate rerum ductus et curiositate : dignus ergo est cui parcas.

24. *Core, et Dathan, et Abiron.* Intellige et Hon, quia hi quatuor erant capita seditionis.

26. *In peccatis.* Ne pœnæ peccatorum participes sitis.

27. *Omnique frequentia.* Famulorum, ancillarum, parvulorum.

28. *Ut facerem universa.* Quæ scilicet in vestrî ex Ægypto eductione, totoque meo ducatu, ac præsertim circa Aaronis et filiorum ejus in sacerdotes electionem feci.

29. *Plaga, qua et cæteri visitari solent.* Quæ extraordinaria non est, et non infrequenter mittitur a Deo, cujusmodi est fames, pestis, bellum.

30. *Aperiens terra os suum.* Facta voragine.

Blasphemaverint Dominum. Opus enim Dei, scilicet sacerdotium Aaronis calumniati sunt, illudque non Deo, sed Mosi, ejusque favori iniquo et injusto tribuerunt : hoc autem est blasphemare. Blasphemia enim est cùm opus Dei tribuitur dæmoni, vel homini, ut patet Matth. 12. 31. * Erat etiam ingens in Deum injuria et contumelia.

32. *Et universa substantia eorum.* Uxores, filii, reliquique familiares peccati participes fuerunt rebellibus consentientes, et illorum conatus probantes, ideoque Dominus eâdem pœnâ eos involvit. Parvuli, qui per ætatem peccare non poterant, etiam ipsi absorpti sunt, ut in iis parentes punirentur a Deo, qui vitæ et mortis est Dominus. Si diutiùs vixissent, fortasse parentes fuissent imitati : et alioqui qui corporibus non pepercit, animis videtur pepercisse : nam per remedium legis naturæ ab originali expiatos fuisse credibile est. Circumcisio enim in deserto non fuit usurpata.

33. *In infernum.* Propriè dictum, quò illos viventes adhuc pervenisse probabile est, licèt oppositum sit probabilius. Itaque illud, *descenderunt vivi*, de actu inchoato accipiendum est, non de perfecto.

Operti humo. Terrâ, quæ discesserat, hiatum suum concludente.

35. *Egressus a Domino.* Ex altari holocaustorum, ex quo ignem petebant ad adolendum thymiama.

Qui offerebant incensum. Qui se comparabant ad offerendum.

37.

37. *Sanctificata sunt.* Per contactum ignis sacri et thymiamatis. Vel sanctificata sunt, dum Deus in impios vindictam exercuit; hoc enim videtur significare quod additur, *in mortibus peccatorum.* Vel tandem sanctificata sunt, quia jussa offerri tabernaculo, et in eo asservari ad perpetuam rei memoriam.

38. *In mortibus peccatorum.* Per mortem, ut dixi, vel tempore quo peccatores exstincti sunt.

39. *Affigens altari.* Holocaustorum.

45. *Cùmque jacerent in terra.* Moses et Aaron supplicantes pro populo.

47. *Obtulit thymiama.* Licebat tantùm offerre in tabernaculo in altari thymiamatis, sed extra illud obtulit, Mose ita ex divina inspiratione illi mandante.

CAPUT XVII.

Moses duòdecim virgas a duodecim principibus tribuum accipit: inter eas floret sola virga Aaronis, eoque miraculo et indicio Aaroni tribuitur et confirmatur sacerdotium.

2. PER *cognationes.* Tribus.

Uniuscujusque. Principis in quaque tribu.

3. *In tribu Levi. In virga Levi*, ut est in hebræo.

4. *Coram testimonio.* Coram arca.

5. *Cohibebo a me.* Quiescere faciam.

6. *Fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron.* Tribus, si numeres Levi, erant tredecim; nam tribus Joseph erat duplex, sive bipartita, Ephraim scilicet et Manasse. Pro tribu Levi posita est virga Aaron, quæ fuit decima tertia.

8. *Virgam Aaron.* Qui erat primogenitus in domo, id est, tribu Levi.

Et turgentibus gemmis. Hebræa habent, *et ecce virga protulit germen, et floruit florem, et reddidit amygdalas.* Triplex fuit miraculum, quòd scilicet arida virga gemmas protulerit, quòd hæ conversæ statim sint in flores, et hi in fructus.

12. *Ecce consumpti sumus.* Multi absumpti sunt superioribus cladibus.

13. *Quicumque.* Non initiatus, et Deo non vocante.

Num usque ad internecionem. Novi istius signi occasione timuerunt, ne rursus in eos Dominus aliâ aliquâ plagâ desæviret. Optant ergo malum, si quod impendeat, precibus Mosis averti.

CAPUT XVIII.

Pro sorte hæreditaria, alimoniis et stipendio Deus sacerdotibus attribuit victimas, primitias et oblationes; levitis verò decimas: rursus levitis jubet, ut ex decimis suis decimas dent sacerdotibus, easque meliores et selectiores.

1. PORTABITIS *iniquitatem sanctuarii.* Dabitis pœnas, si quid peccabitur in cæremoniis, aut si quis externus vestra remissione et negligentia sese sacris immiscuerit; nam vos confirmavi in sacerdotio, et miraculis vestram auctoritatem apud populum sancivi. Vestrum ergo est sacerdotii jura fortiter tueri.

2. *Sceptrum.* Vide supra, cap. 13. 12.

3. *Excubabuntque levitæ.* Prompti alacresque, ut famuli qui heri jussa exspectant, parati effecta dare.

Ad cuncta opera tabernaculi. Ut custodiant, portent, cùm moventur castra, etc.

Ne et illi moriantur, et vos. Illi, propter temerarium tactum sacrorum; vos, quia non prohibuistis.

4. *Cæremoniis.* Ministrationibus religiosis.

Alienigena. Qui de alia tribu est.

5. *Indignatio super filios Israel.* Puniente Domino populum propter peccata sacerdotum, corpus pro capitibus.

7. *Intra velum.* Intra Sanctum, et intra Sanctum Sanctorum.

* 8. *Custodiam.* Cum pleno jure utendi et consumendi.

Primitiarum. Oblationum.

Quæ sanctificantur. Quæ mihi segregantur et offeruntur.

Legitima sempiterna. Lex perpetua, dum Hebræorum hæc durabit respublica.

9. *Omnis oblatio.* Victimæ quælibet, et sacrificia ex legis præscripto oblata.

In Sancta Sanctorum. Quod mihi offerunt, et ideo est sanctissimum.

10. *In sanctuario.* In atrio tabernaculi, juxta altare holocaustorum.

Mares tantùm edent ex eo. Scilicet sacrificio pro peccato et delicto. Nam ex hostia pacifica etiam feminæ comedebant, ut patet Levit. 10. 14, Deut. 12. 18, et cap. 16. 11.

Quia consecratum est tibi. Tibi segregata erit, et ad te pertinebit.

11. *Primitias.* Oblationes.

12. *Medullam olei.* Quod pinguissimum et optimum est in frumento, vino, oleo.

Primitiarum Domino. Primitiæ distinguuntur a decimis : primitiæ enim sunt primi fructus ; decimæ sunt decima pars fructuum : primitiæ immediatè offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ; decimæ proximè sacerdotibus dantur in stipendium ministerii eorum, ut illis sustententur. Porro quadruplices primitias pendebant Hebræi : primò spicarum, die secunda Azymorum, Lev. 23, 10 et 11 ; 2. panum in Pentecoste, Lev. 23, 17; 3. panum, quos hebdomadatim pinsebant. Num. 15, 21 ; 4. in mense septimo in festo Tabernaculorum collectis omnibus frugibus tam ex messe quàm ex uvis eorum omnium primitias dabant, et hæ quarti hujus generis intelliguntur in Scriptura, cùm fit mentio primitiarum. Primitiarum verò quantitas quæ dabatur erat pars fructuum media inter 40 et 60, intra quam latitudinem quisque dabat quod volebat, qui minimùm, dabat sexagesimam partem ; qui plurimùm, quadragesimam.

13. *Frugum initia.* Primitias.

Qui mundus est.... vescetur. Si videlicet aliquid ex hisce primitiis fuerit Deo immolatum et sacrificatum : nam aliàs si soli sacerdoti fuissent oblatæ, poterant a quibusvis etiam immundis absumi.

14. *Omne quod ex voto reddiderint.* Si scilicet voverint illud non ad immolationem, sed tantùm ad oblationem.

15. *Quidquid primum erumpit.* Primogenita animalium.

Immundum est. Non secundum speciem, ut equus, aut mulus, sed per accidens, ut ovis clauda, aut cæca.

16. *Cujus redemptio.* Hominis scilicet, non reliquorum animantium.

Post unum mensem. Poterat ergo infans primogenitus redimi ante matris purificationem, quæ 40 die fiebat; communiter tamen matres exspectabant suam purificationem, quod B. Virgo fecit consuetudinem secuta.

17. *Sanctificata sunt.* Apta ad sacrificium, ac proinde immolanda.

18. *Sicut pectusculum consecratum.* Sicut pectusculum et armus dexter ex hostia pacifica ita tuus est, ut quivis mundus ex tua familia ex iis edere possit; ita

erunt tuæ hæ carnes primogenitorum mihi immolatorum, ut a quovis mundo tuæ familiæ comedi possint.

19. *Pactum salis*. Pactum sempiternum et incorruptum, sumptâ metaphorâ ab incorruptibilitate quam sal rebus communicat, quibus aspergitur.

20. *In terra eorum*. Hebræorum fratrum vestrorum.

Partem. Hæreditatis, scilicet agros, vineas, prata, etc.

Ego pars et hæreditas tua. Id est, ut explicatur Josue 13. 14, sacrificia, victimæ, oblationes, quæ mihi offeruntur, sunt tua hæreditas; hæc tibi abundè sufficiet.

21. *Filiis autem Levi*. Levitis tantùm, non sacerdotibus decimæ solvebantur: levitæ verò rursus ex iis dabant decimas sacerdotibus. Vide Nehem. cap. 10. 37 et 38.

22. *Nec committant peccatum mortiferum*. Quod sit illis causa mortis tam præsentis quàm æternæ.

23. *Portantibus peccata populi*. Est idem loci hujus sensus, quem supra, num. 1, in simili habuimus; ut si quid ab aliquo de populo committatur, temerè sese in levitarum munia ingerente, vel vasa sacra tangente, vel in atrium sanctum ingrediente; id non toti populo, sed levitis a Deo ad pœnam imputetur, quibus ex officio incumbit ad hæc advigilare, et cæteros arcere.

26. *Primitias earum*. Decimas earum: hæ cedebant sacerdotibus, ut dixi num. 21.

27. *Ut reputetur vobis*. Hoc pacto solvetis etiam vos decimas eo modo quo poteritis, eritque perinde ac si de areis, etc., offerretis, si eas haberetis.

28. *Quorum accipitis primitias*. Decimas.

Date Aaron sacerdoti. Ut ille ea inter sacerdotes distribuat.

31. *Comedetis eas in omnibus locis vestris*. Ubicumque locorum habitabitis. Hoc dicitur, quia quædam, quæ sacerdotibus proveniebant, in atrio sancto erant ab illis absumenda, ut dictum est hoc capite, num. 10.

Pretium est pro ministerio. Stipendium sustentationis.

32. *Ne polluatis oblationes filiorum Israel*. Quod faceretis, si dantibus illis optima, vos daretis deterrima.

Et moriamini. Iram meam provocantes.

CAPUT XIX.

Describitur aqua lustrationis ex cineribus vitulæ rufæ combustæ confecta. De moriente in tabernaculo et vase non habente operculum et de tangente homine cadaver.

2. *Ista est religio.* Lex cæremonialis.

Victimæ. Expiatricis, ex cujus cineribus fiat aqua lustrationis.

Rufam. Cur vacca hæc rufa potiùs esse debuerit quàm alterius coloris, ne Salomoni quidem patuisse dicunt Hebræi.

Ætatis integræ. Perfectæ.

Nulla sit macula. Non coloris, sed deformitatis; non sit clauda, non cæca, non scabiosa, etc. Vide Levit. 22. 22.

Nec portaverit jugum. Neque enim decet servisse homini victimam hanc quæ serviet Deo ad hominum expiationem.

3. *Tradetisque eam Eleazaro.* Quia hæc victima non erat solemnis et festiva, ut illam Aaron immolaret; sed lugubris et lustralis : eam immolare jubetur Eleazarus sacerdos.

Extra castra immolabit. Quia erat immolanda pro peccatis totius populi ; quare ipsa (ut quæ totius populi in se susciperet peccata) valde immunda censebatur, et sacerdos qui illam immolabat, et is qui eam cremabat, pariter immundi erant usque ad vesperam.

4. *Contra fores tabernaculi.* Obversus ad eas, quamvis e longinquo, quippe qui erat extra castra.

5. *Comburetque eam.* Non per se, sed per alium, ut patet num. 8.

6. *Lignum quoque cedrinum et hyssopum.* Vide dicta Levitici cap. 14. 6.

7. *Commaculatusque.* Immundus legaliter.

9. *In custodiam.* Diligenter custodiantur cineres a filiis Israel.

In aquam aspersionis. Quâ aspersi a legali immunditia expientur. * Aqua cineri mixta ostendit homini ex quibus rebus constet, et optima ad purgationem præparatio suî ipsius cognitio est.

Pro peccato vacca combusta est. Ut sit victima expiatrix peccati.

10. *Sanctum jure perpetuo.* Firmum et inviolabile.

11. *Qui tetigerit cadaver hominis.* Aliqui putant aquam hanc lustralem institutam fuisse tantùm ad expiandam immunditiam contractam ex contactu mortui : alii censent fuisse communem omnium legalium immunditiarum expiationem.

* 12. *Si die tertio.* Si non fuerit aspersus tertio die, poterit aspergi quarto, vel quinto, et septimo ab illo die emundari.

13. *Morticinum.* Cadaver.

Hac commistione. Hac aqua quæ commista est cineribus vitulæ.

Polluet tabernaculum. Violabit locum sanctum.

14. *In tabernaculo.* Domi, ut vertunt LXX.

Et universa vasa quæ ibi sunt. Tota supellex domestica.

15. *Vas quod non habuerit operculum.* Non est hæc lex generalis, sed tantùm sermo est de funeribus. Vasa ergo quæ sunt in tabernaculo defuncti, si operculo aut ligatura munita non sint, præsentia cadaveris contaminantur.

16. *Si quis in agro.* Ubì Hebræi sua habebant sepulcra.

17. *Aquas vivas.* Fluviales vel fontanas.

20. *Peribit anima illius.* A judicibus punietur si res constet, alioquin a Deo peccatorum vindice.

21. *Qui tetigerit aquas expiationis.* Mundabitur ab immunditia priori, v. g., cadaveris, sed ex aquæ hujus contactu aliam contrahet, quæ durabit tantùm usque ad vesperam.

22. *Quidquid tetigerit immundus.* Immunditia illa majori septem dierum ex contactu cadaveris, sepulcri, etc., is contactu suo alios contaminabit.

Et anima quæ horum quippiam tetigerit. Non solùm immundus est qui tangitur ab immundo ; sed etiam is qui aut immundum tangit, aut rem pollutam, immunditiam contrahit usque ad vesperam duraturam.

CAPUT XX.

Maria moritur : murmuranti populo aqua Contradictionis e petra fluit. Negante transitum Edom rege descendunt Hebræi ad montem Hor, ubì consecrato in summum sacerdotem Eleazaro, moritur Aaron pater illius.

1. *In desertum Sin.* Hoc desertum aliud est ab illo Zin, in quo pluere cœpit manna, Exod. 16. 1 et 15. Nam in illo octava fuit Hebræorum mansio; in hoc trige-

sima tertia : illud scribitur per samech, hoc verò per tzade.

Mense primo. Anni 40 ab egressu Hebræorum ex Ægypto; nam Moses tantùm commemorat gesta anni primi, secundi, et quadragesimi : quare ab hoc capite usque ad finem Pentateuchi describuntur gesta anni quadragesimi, qui fuit ultimus peregrinationis Hebræorum in deserto.

In Cades. Diversa est hæc Cades ab illa quæ dicitur Cadesbarne juxta quam fuit decima quinta mansio; nam Cadesbarne fuit in confinio australi terræ Chanaan. At Cades hæc longè ab illa aberat; erat enim posita in extremis finibus Idumææ ad austrum vergentibus, ut patet Num. 20. 16, non valde procul a mari Rubro. Vide Cornel. hìc, et Bonfrerium, Num. 13. 27.

Mortuaque est ibi Maria. Quatuor mensibus ante fratrem suum Aaron, cùm esset annorum 130.

6. *Aperi eis thesaurum.* Quæ latent, et necdum aperta sunt, dicuntur esse in thesauris Dei; sic psal. 134. 7 : *Qui producit ventos de thesauris suis.*

Gloria Domini. In nube novos et insolitos radios vibrantis.

8. *Loquimini ad petram.* Imperate petræ, ut det aquas, adhibita etiam virgæ percussione.

9. *In conspectu Domini.* In tabernaculo. Virga hæc est Mosis operatrix miraculorum, non Aaronis, quæ floruerat.

12. *Non credidistis mihi.* Dubitasse videntur num verè Deus aquam promisisset, an solùm per ironiam, aut sub ea conditione, si cessassent Hebræi a murmure. Itaque cùm viderent populum incredulum, etiam ipsos subiit dubitatio : vel fortasse Deus ad primam percussionem aquas non dedit, ad eorum tentandam fidem, inde illi turbati, et humani aliquid passi, gestu ac vultu, coram populo perturbationem aliquam ostenderunt, quæ populo ansam præbuit de divina potentia; vel promissorum fidelitate dubitandi. Quidquid fuit peccati, certè gravi crimine liberandi sunt cum Augustin. lib. 16. contra Faustum, cap. 16.

Ut sanctificaretis me. Ut sanctum, fidelem, potentem ostenderetis.

In terram quam dabo eis. In Chananæa trans Jordanem, nam alioqui Moses intravit in terram promissam, quæ cessit tribui Ruben, et Gad, et dimidiæ tribui Manasse.

13. *Aqua Contradictionis.* Ubi contradixit et murmuravit populus.

14. *De Cades ad regem Edom.* Cades enim vicina erat Idumææ per quam transeundum erat Hebræis ituris in Chanaan.

Hæc mandat. Dedit nobis in mandatis ut hæc tibi diceremus.

Frater tuus Israel. Israelitæ enim a Jacob, Idumæi ab Esau Jacobi fratre descendebant.

16. *Miseritque angelum.* Ducem nostrum, nos præeuntem in columna nubis.

In urbe Cades.... positi. Juxta Cades; nam urbem non videntur ingressi.

17. *Non bibemus aquas de puteis tuis.* Gratis scilicet; nam in desertis illis locis magna est aquæ penuria.

18. *Per me.* Per meam ditionem.

20. *Cum infinita multitudine.* Hyperbole etiam in vulgari sermone frequenter usitata.

Et manu forti. Magno robore militum.

21. *Divertit ab eo Israel.* Reflexo cursu circuivit Idumæam ad latus orientale.

24. *Pergat, inquit, Aaron ad populos suos.* Moriatur, congregetur ad populum suum in limbum.

* 25. *In montem Hor.* Vide quæ dicuntur infra, Deut. 10. 6.

25. *Colligetur.* Ad patres suos, ad populum suum.

26. *Illo mortuo.* Ætatis annorum 123, mense quinto, ut dicitur Num. 33. 38.

30. *Flevit super eo.* Justa funeris persolvit.

CAPUT XXI.

Hebræi cædunt Arad regem: murmurat populus, et plectitur immissis ignitis serpentibus, quorum morsibus erectus serpens æneus medetur. Sehon et Og reges vincuntur.

1. *Ad meridiem.* Terræ Chanaan.

Per exploratorum viam. Per quam anno secundo ab egressu ex Ægypto exploratores in terram Chanaan penetraverant.

Victor existens. Chananæus de Israel, quæ clades occasionem præbuit Israelitis voti concipiendi.

2. *Delebo urbes ejus.* Hebr. *et succidam et anathematizabo eos.* Erat enim hoc votum *cherem*, de quo vide dicta Levit. ult. num. 28.

4. *Et tædere cœpit.* Cœperunt animis cadere.

5. *Super cibo isto levissimo.* Scilicet manna. Vocant levissimum, hoc est, exiguæ virtutis et substantiæ. LXX dixerunt, ἄρτον διάκενον, *panem vacuum*, quasi qui hominem vacuum et minimè saturum relinquat. Bono sensu hæc congruè Eucharistiæ conveniunt, quæ est panis vacuus ipsâ substantiâ scilicet panis, solis remanentibus accidentibus. Verè autem plenus, quia in eo latet Christus.

6. *Ignitos serpentes.* Quòd ab eis morsi uri viderentur. Fortasse hi serpentes fuerunt *presteres*, qui ab urendo sic dicti sunt. De prestere vide Plin. lib. 24. cap. 13.

8. *Pone eum pro signo.* In sublime erectum, omnibus conspicuum, trabe vel columnâ subjectâ.

9. *Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Fuit hic serpens Christi figura, ut ipsemet Christus asserit, Joan. 3. 14. Sanabantur autem divino miraculo, non naturali virtute serpentis.

14. *In libro Bellorum Domini.* Fuit hic liber vetus ante Pentateuchum conscriptus, sed intercidit, sicut et libri Henoch, Gad, Nathan, Abdo, et aliorum, quorum meminit Scriptura.

Sicut fecit in mari Rubro. Sicut debellavit, et malè perdidit Ægyptios in mari Rubro; ita perdet Sehon regem Amorrhæorum cum suis in torrentibus Arnon.

15. *Scopuli torrentium inclinati sunt.* In caput hostium Hebræorum devoluti eos oppresserunt, ut fluctus maris Ægyptios.

Ut requiescerent in Ar. A sublimi loco delati super Ar, urbe Moabitarum.

16. *Ex eo loco.* Digressis.

Apparuit puteus. Venerunt ad puteum, vel eo loco datus est ei puteus, ut populo siti laboranti succurreretur.

17. *Ascendat puteus.* Aqua putei ebulliat, et ascendat aqua ex imo puteo, ut omnes bibere possimus.

Concinebant. Hoc per parenthesim dicitur.

18. *In datore legis.* Deo legis datore opem populo ferente.

Et in baculis suis. Viatoriis; ipsis baculis terram modicè fodientibus, cætera Deo liberaliter præstante.

24. *In ore gladii.* Vide dicta Exod. 17. 13.

Possessa est. Ab Israele.

Terra ejus. Sehon.

Quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. Ideo Israelitæ ab illis abstinuerunt.

25. *Tulit ergo.* Abstulit a Sehon.

Et viculis ejus. Hebr. *et filiabus.* Hebræi enim vicos et urbes a metropoli sua dependere volebant, ut filiæ a matre.

26. *Urbs Hesebon.* Vetiti fuerant Hebræi, Deut. cap. 2. 5, oppugnare Moabitas, de quorum ditione fuerat Hesebon; hanc primùm invaserant Amorrhæi: itaque eam occupando contra præceptum non fecerunt Hebræi, cùm Amorrhæis tantùm bellum intulerint, non Moabitis.

27. *In proverbio.* Carmine proverbiali, rhythmo, cantico.

Venite in Hesebon. Verba Amorrhæorum adhortantium se ad restaurandam et firmandam civitatem, quæ regia futura erat.

28. *Ignis egressus est.* Sehonis victoria quasi ignis latè populata est, et pervagata regionem, Ar civitatem Moabitarum corripuit, et pervenit etiam ad eos qui in rupibus Arnon habitabant, et ibi deorum suorum excelsa habebant.

29. *Væ tibi, Moab.* Clade magna affectus es ab Amorrhæo.

Peristi, popule Chamos. Popule qui Chamos pro deo colis. Aiunt quidam Chamos esse Bacchum, quem Græci Κῶμον dicunt.

Dedit. Scilicet Chamos, id est, dari, capi, et occidi permisit filios Moab sibi devotos a Sehon rege Amorrhæorum.

30. *Jugum ipsorum.* Moabitarum, quod ipsi imposuerant incolis Hesebon.

Disperiit, ab Hesebon usque Dibon. Ablatum est, cessavit; populi jugo illo Moabitarum levati sunt.

Lassi pervenerunt in Nophe. Lassi e fuga Moabitæ pervenerunt in Nophe.

32. *Possederunt habitatores.* Subegerunt occidendo, juxta quod voverant hoc cap. num. 2. LXX habent, *expulerunt;* multi enim fugâ incolumitatem quæsierunt.

CAPUT XXII.

Bis vocatur Balaam a Balac rege, ut Israelitis maledicat; sed ab angelo per os asinæ loquente corripitur.

1. *In campestribus Moab.* Quæ olim fuerant Moab, jam autem erant Sehon, et eo occiso, filiorum Israel: vel quæ conjuncta erant Moab, quod innuunt LXX qui vertunt, *ad occidentem Moab.*

2. *Balac*. Rex Moab, ut habetur num. 4.

3. *Quòd pertimuissent eum*. Israelem scilicet.

4 *Ad majores natu Madian*. Ad Madianitas conterminos et confœderatos.

5. *Ariolum*. Non Dei prophetam, sed dæmonis auxilio se prophetam venditantem. Patet ex voce *ariolus*, quæ magum significat, et quia auguria vana captavit cap. 24. 1, et maledicere conatus est Israeli, et Baal aras exstruxit cap. 22. num. ult. et 23. 1. * Non desunt tamen qui verum prophetam fuisse putent, ut fuerunt Sibyllæ, sed hominem impium, avarum, etc.

Super flumen. Juxta flumen, Euphraten scilicet.

Filiorum Ammon. Nam Euphrates Ammonitas præterlabitur.

Sedens contra me. Castra contra me posuit Israel, mihi et regno meo imminens.

6. *Et maledictus in quem maledicta congesseris*. Nocent enim magi et sagæ suis incantationibus per dæmonem, per quem etiam, remotis rebus nocentibus quas applicarant, sanitati restituunt.

7. *Pretium*. Quod darent pro divinatione.

8. *Manete hìc nocte*. Volebat enim hoc tempore de more suo dæmonem consulere.

Venit Deus. Angelus Dei personam gerens.

12. *Populo*. Hebræis.

Benedictus est. Illi benedixi, et deinceps benedicam et benefaciam.

18. *Non potero immutare verbum Domini*. Timebat enim Dei iram et vindictam.

22. *Iratus est Deus*. Quia contra quam illi præceptum fuerat, ea mente ibat, ut Israel malediceret, quod num. 32 ex verbis angeli constat, qui ei dixit : *Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria*.

27. *Concidit*. Consternata metu, et quia non videbat transitum, aut effugium, et angelus gladium intentabat.

28. *Aperuitque Dominus os asinæ*. Angelus linguam asinæ, ut loqueretur, sicut dæmon moverat os serpentis colloquentis cum Eva in paradiso. Usus est Deus voce asinæ, tum quia congruè bruti mens per brutum docetur : tum, ut ait Nyssenus lib. de vita Mosis, sub finem, ut erudiretur vanitas auguris Balaam, qui ruditum asinæ et garritum avium, quasi omina, quæ futura præsignificarent, observare solebat.

29. *Utinam haberem gladium*. In hoc colloquio Balaam cum asina furor ejus et cæcitas eminent, qui nec

bruto loquente expavit, nec causam miraculi et significationem investigavit.

32. *Perversa est via tua.* Ob perversam intentionem, qua ad Balac proficisceris.

33. *Et illa viveret.* Non quòd mortua esset, sed quòd ita malè esset habita ut vivere non posset.

40. *Cùmque occidisset Balac boves et oves.* Instituit Balac ob lætum adventum Balaam festa sacrificia et convivia, indeque munera et partes misit Balaam, suisque principibus, qui illum comitati fuerant.

41. *Ad excelsa Baal.* Ad loca edita in quibus sacellum, aut templum erat Balaal dicatum. Fuit hìc mons Abarim, qui dividebat Moabitas a regno Sehon et Og: juxta hunc montem in campestribus erant castra Israelitarum.

CAPUT XXIII.

Balaam loco maledictionis benedicit semel et iterum populo Israel, multa de illo vaticinatur.

1. Æ*DIFICA mihi hìc septem aras.* Ut Baal sacrificem. * Qui verum prophetam fuisse censent vero Deo aras excitatas consequenter asserunt, cujus et occursum ad futura cognoscenda captarit.

3. *Occurrat mihi Dominus.* Scilicet Baal, aut dæmon, per quem instructo sacrificio divinationem quærebat.

4. *Occurrit illi Deus.* Angelus bonus Deum referens, et forma visibili apparens.

Posuit verbum in ore ejus. Suggessit et docuit quid esset dicturus.

7. *Assumptâque parabolâ suâ, dixit.* Orsus prophetare dixit, etc. Prophetiam gravem, pulchram et acutam vocat parabolam; hoc enim significat vox hebraica משל *mascal.*

De Aram. De Mesopotamia.

8. *Quomodo maledicam.* Non tantùm lingua, sed etiam mens Balaam ad tempus immutata a Deo.

9. *De summis silicibus.* Ex edito hoc monte speculabor castra Israel.

Populus solus habitabit. Israel remotus erit, et ditione, et consortio, et religione ab omnibus aliis populis.

Inter gentes non reputabitur. Inter gentiles non annumerabitur, nec inter illos censebitur.

10. *Pulverem Jacob.* Filios Israel de quibus dictum est, Gen. 13. 16, quòd multiplicabuntur sicut pulvis terræ.

Numerum stirpis Israel. Hebr. *numerum quartæ partis Israel.* * Græci magnam aliquam multitudinem significare volentes utuntur metaphora pulveris, qui ψάμμις græcè dicitur. Sic apud Eupolim legimus ἀριθμεῖν θεατὰς ψαμμακόσιους, *numerare spectatores multos ut pulvis.*

Moriatur anima mea. Moriar ego.

Morte justorum. Familiare est impiis vitæ exitum justis parem sibi optare, quorum tamen mores non sequuntur.

13. *Totum videre non possis.* Superstitiosè Balac putat Balaam Israeli benedixisse, quòd totum ambitum castrorum habuisset in conspectu. Similis stultitia Syrorum, qui victi ab Israel, eam cladis causam esse putabant, quòd Israelitarum Deus montium Deus esset, ac propterea in explicata planitie confligere student, 3. Reg. 20. 23.

19. *Dixit ergo, et non faciet?* Quasi dicat, Deus jussit ut non maledicerem Israeli, meque hactenus prohibuit; omnino ergo faciet quod dixit, et porro prohibebit ne maledicam.

20. *Ad benedicendum adductus sum.* Rectè dicit adductus; ipse enim alio consilio venerat, sed pravam ejus mentem Deus convertit in bonum.

Benedictionem prohibere non valeo. Adeo mens illustrabatur, et voluntas incitabatur ad laudem et benedictionem Israelis, ut vix posset non benedicere.

21. *Non est idolum in Jacob.* Chaldæus, *intueor quòd non sunt servientes idolis in domo Jacob, neque operantes falsitatem*, falsos deos, et falsorum deorum simulacra, *in Israel. Verbum Domini Dei sui est in adjutorium eorum, et majestas regis sui est inter eos.*

Et clangor victoriæ regis in illo. Alludit ad duas tubas argenteas jussu Domini factas, quibus personantibus Deus jusserat Hebræos bellum inire, seque tunc iis adfore et victoriam daturum promiserat cap. 10. 9.

22. *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Est commendatio divinæ fortitudinis expressa similitudine rhinocerotis, sive monocerotis, cujus animalis fortitudinem videtur Scriptura ubique prædicare.

23. *Non est augurium in Jacob.* Sub his omnem incantationem et maleficium intelligit, velut genus sub specie vulgatissima.

Temporibus suis. Sequentibus seculis.

Dicetur Jacob et Israeli. Posteri Israelitarum.

24. *Ut leæna.* Quæ cùm catulos lactat et fovet, præ leone ferocit et sævit.

Non accubabit. Non quiescet Israel donec Chananæos hostes suos proterat.

27. *Ducam te ad alium locum.* Vide dicta num. 13.

CAPUT XXIV.

Balaam tertiò benedicit et prospera vaticinatur de Israel et de Christo, de Amalecitis etiam Cinæis, et Romanis.

1. CUMQUE *vidisset Balaam.* Divina illustratione cognovisset.

Ut augurium quæreret. LXX, *in occursum avibus;* augurium enim est divinatio ex avium volatu, cantu, aut pastu captata. Vox hebræa superstitionem significat et malas artes.

2. *Spiritu Dei.* Spiritu prophetiæ a Deo immisso.

Assumptâ parabolâ. Vide cap. 23. 7.

Homo cujus obturatus est oculus. Qui in somnis quando clauduntur oculi accepit a Deo propheticam visionem, vel qui raptus in ecstasim, et alienus a sensibus vidit visiones Dei; vel qui de aliis prophetat, ipse tamen permanet cæcus, nec suæ consulit saluti; vel cujus ante spiritûs adventum obturatus est oculus mentis, deinde apertus adveniente lumine prophetico.

4. *Qui cadit.* Scilicet in somnum, vel potiùs alienationem a sensibus.

Et sic aperiuntur oculi ejus. Scilicet mentis per lumen propheticum.

6. *Ut valles nemorosæ.* Ut valles nemorosæ spectabiles sunt arborum copiâ, viriditate, opacitate; ita castra Hebræorum, qui plurima tabernacula intenderant, sub quorum umbra latebant, quorum species oculos pascebat.

Ut horti juxta fluvios. Qui semper virent, et florent, et fructus proferunt.

Ut tabernacula quæ fixit Dominus. Quæ scilicet nulla vis possit convellere.

Quasi cedri prope aquas. Quæ irrigatione proceriores fiunt et pulchriores.

7. *Fluet aqua de situla ejus.* Situlam vocat prosapiam, et posteritatem Israel, quasi dicat, sicuti situla plena copiosam dat aquam; ita prosapia Israelis erit fecunda multosque gignet filios. Hunc esse sensum ex hemistichio sequente, quod de more priùs explicat, ait

enim: *Et semen illius erit in aquas multas*: Aquarum metaphora designari copiosam prolem, et integros populos, patet ex Prov. 3. 16, et Apocal. 17. 15.

Rex ejus. Saul qui regno excidit propter Agag servatum. Vide 1. Reg. 15. 9.

8. *Similis est rhinocerotis*. Vide dict. cap. 23. num. 22.

Devorabunt. Israelitæ.

Gentes hostes illius. Quæ Hebræis inimicæ et infestæ.

9. *Accubans dormivit ut leo*. Securè quiescet Israel, hostibus eum violare non audentibus. Accidit hoc præcipuè tempore Davidis et Salomonis.

14. *Dabo consilium*. Ut per mulieres ad cultum Beelphegor Israelitas pellicias et perdas; hoc enim fuisse Balaam consilium patet ex cap. 31. 16, et Apoc. 2. 14.

Extremo tempore. Sequentibus diebus, postquam discessero. * Vel sensus est, tandem, post alia omnia remedia frustra tentata.

15. *Sumptâ igitur parabolâ*. Vide supra, cap. 23. 7.

Cujus obturatus est oculus. Vide supra, num. 3.

17. *Videbo eum*. Christum non oculis corporis, sed visione prophetica.

Sed non modò. Quasi dicat, quæ modò prædico, et visione prophetica futura prævideo, evenient quidem certò, sed non tam citò; adhuc enim longiùs absunt a nostris temporibus.

Orietur stella ex Jacob. Christus dicitur stella: 1. quia ipse est lux mundi; 2. ob claritatem et gloriam vitæ cœlestis, miraculorum, resurrectionis et beatitudinis, qua de causa vocatur stella splendida et matutina, Apoc. 2. 28. 22. 16; 3. illius nativitas a stella ostensa est magis.

Consurget virga de Israel. Christus nascetur ex Israel, qui virga, vel, ut est in hebræo, sceptro regni sui, id est, potestate regia percutiet et atteret duces Moab.

Vastabitque. Chald. *dominabitur*, sua ditione, et dominatu concludet, et quasi carcere coercebit; et habebit in potestate, ut significare videntur hebræa.

Filios Seth. Omnes homines; nam omnes per Noe Sethi filii sumus: omnis enim Caini proles diluvio interiit.

18. *Et erit Idumæa possessio ejus*. Ut Jacob typus est omnium Israelitarum spiritu, hoc est, proborum Christi sectatorum; ita Esau reproborum. Possidebit ergo Christus non solùm Israelitas qui se illi sponte subjiciunt, sed Idumæos etiam Esau posteros, refractarios, ac rebelles, improbos quosque aut infideles, aut christianos,

Hæreditas Seir. Esau, qui dictus est Seir, quia pilosus. Secundum hoc hemistichium idem significat quod primum, quod præcessit.

* *Israel verò fortiter aget.* Christus et christiani.

19. *De Jacob.* De christianis erit, qui dominetur, quod evenit in Constantino et imperatoribus illum subsecutis.

Perdat reliquias civitatis. Romæ Romanorum gentilismum evertens, vel in secundo adventu reliquias civitatis cujuslibet, hoc est, omnes quotquot in ipsum credere noluerint, vel ei rebelles permanserint. Prophetia his tribus versibus comprehensa, de Christo est, ut explicavimus, sed cum allusione ad Davidem: itaque Davidis gestæ res his perstringuntur, et quædam dicuntur, quæ magìs particulatim Davidi conveniunt, utì sunt: *Percutiet duces Moab, et erit Idumæa possessio ejus, Israel verò fortiter aget.* Alia verò magìs propriè competunt Christo, utì sunt: *Orietur stella ex Jacob, et perdet reliquias civitatis.*

20. *Cùmque vidisset Amalec.* De monte Phasga altissimo in quo constitutus erat.

Assumens parabolam. Prophetiam, vide supra, cap. 23. 7.

Principium gentium Amalec. Prima ac præcipua gens, nobilissima earum quæ circumjectas regiones habitabant: vel sensus est is quem exhibet chaldæus, qui vertit, *principium bellorum Israeli fuit Amalec* (quod patet Exodi 17). Quare bene additur *cujus extrema perdentur*, ut sit antithesis, quasi dicat: citò et primi Amalecitæ insurrexerunt in Israelitas, serò autem extremis temporibus plexi sunt. Ita factum sub Saul, 1. Reg. 15.

21. *Cinæum.* Posteros Jethro qui erant in castris Israelitarum.

Robustum quidem est habitaculum tuum. Quia modò inter duodecim tribus degis, et in Chanaan in tribu Juda, quæ fortissima est, habitabis.

Sed si in petra posueris nidum tuum. Etiamsi in fortissimo et munitissimo loco sedem tuam constituas.

22. *De stirpe Cin.* De stirpe Jethro.

Assur enim capiet te. Quod factum cùm Salmanasar transtulit decem tribus Israel in terram Medorum, 4. Reg. 17. 23; tunc enim cum eis eòdem transtulit Cinæos, id est, progeniem Aber Cinæi, qui recesserat ab aliis Cinæis, et habitabat in sorte Nephthali.

23. *Heu! quis victurus est?* Optabit vivere, cùm tantæ strages

strages Cinæorum et Amalecitarum, vel potiùs Assyriorum, Hebræorum et Romanorum, de quibus sequitur, edentur?

24. *In trieribus.* In triremibus.

Vastabuntque Hebræos. Vespasiano et Tito imperantibus.

Etiam ipsi peribunt. Ruente Romanorum imperio, Gothis aliisque barbaris Romam occupantibus.

CAPUT XXV.

Ob fornicationem Israelitarum cum Madianitis jubet Deus principes suspendi, et Phinees dat sacerdotium perpetuum, propterea quòd divino zelo succensus Zambri et Cozbi pugione confodisset.

1. *In Settim.* Quæ est 42 et ultima mansio in deserto. Hic gesta sunt quæcumque sequuntur usque ad finem Deuteronomii.

* *Fornicatus est populus.* Utraque fornicatione corporali et spirituali, nimirum idololatria.

Cum filiabus Moab. Et cum filiabus Moab, ut patet Num. 6 et 17.

2. *Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua.* Juxta consilium Balaam, cap. 24. Num. 14.

Initiatusque est Israel Beelphegor. Usurpavit sacra idoli Beelphegor, illi se addixit, conjunxit et consecravit. Beelphegor est Priapus, quasi dicat, *deus apertionis;* hoc enim vox hebræa significat, *deus nuditatis.* Familiare autem est Hebræis ut nuditatis nomine obscenam partem intelligant.

4. *Tolle cunctos principes populi.* Congrega principes, ut illi quasi judices jubeant suspendi contra solem eos qui fornicationis et idololatriæ Beelphegor sunt rei; vel jubet suspendi ipsos principes qui impietati illi favissent, aut, cùm deberent pro officio, non restitissent.

Contra solem. Coram sole, publicè; quæ palam fiunt phrasi hebraica dicuntur fieri in sole, aut in oculis solis; sic dictum David 2. Reg. 12. 11: *Dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus.*

5. *Occidat.* Suspendat.

6. *Unus de filiis Israel.* Quis hic fuerit infra, num. 14.

7. *Pugione.* Telo, hebr. רמח *romach*, quam vocem noster interpres modo pugionem, modò lanceam vertit.

8. *Cessavitque plaga a filiis Israel.* Ex quo apparet

non suspendio solùm, sed etiam plaga a Deo immissa fuisse plures necatos : quæ fuerit plaga non exprimitur in sacro textu. Josephus pestem interpretatur.

9. *Occisi sunt.* Partim plagâ divinitus immissâ, partim suspendio, viginti quatuor millia hominum.

12. *Do ei pacem fœderis mei.* Certitudinem et securitatem pacti mei firmiter decerno, et quasi paciscor, promittoque illi.

13. *Pactum sacerdotii sempiternum.* Quòd scilicet ipse cum sua stirpe post patrem Eleazarum succedet in pontificatum, qui illi et familiæ illius perpetuò manebit: quamvis enim ad Heli ejusque posteros pontificatus fuerit translatus, qui non erat de filiis Phinees et Eleazari, sed Ithamar, tamen postea rediit ad eosdem posteros Phinees, et in iis mansit usque ad Christum.

Expiavit scelus. Placato Deo heroico illo facto et zelo divini honoris.

17. *Hostes vos sentiant Madianitæ.* Qui præcipuè fuerant scandalo Hebræis per submissa scorta. Moabitis parcitur partim in gratiam Loth, cujus posteri erant, ut dicitur Deut. 2. 9; partim ob Ruth, ex qua David et Christus nascituri. Postea Moabitæ Davidi pœnas dederunt. 2. Reg. 8. 2.

18. *Sororem suam.* Gentilem suam.

Percussa est. A Phinees.

In die plagæ. Nam eadem die grassabatur plaga a Deo immissa.

CAPUT XXVI.

Hebræi terram sanctam ingressuri numerantur a viginti annis et supra, per singulas tribus, ut iis terra dividatur.

1. NOXIORUM. Fornicantium cum filiabus Madian et Moab.

2. *Numerate.* Fuit hic tertius census populi, habitus in limine terræ promissionis, ut illa inter tribus congruè pro numero cujusque dividi ac distribui posset.

A viginti annis et supra. Quia hi tantùm apti censentur ad arma tractanda et bella gerenda. * Nec minoribus hac ætate, nec mulieribus dati sunt fundi, servato tamen illis secundum leges jure succedendi.

3. *Super Jordanem.* Juxta Jordanem.

11. *Ut, Core pereunte, filii ejus non perirent.* Qui

servati sunt divino miraculo, quia patris peccato non consenserunt.

12. *Filii Simeon.* Genes. 46. 10, Exod. 6. 15, numerantur sex filii Simeonis; hìc verò, et 1. Paral. 4. 24, tantùm quinque: omittitur enim Ahod sextus, quia mortuus est sinè liberis; unde non habuit familiam, nec sortem in terra Chanaan.

38. *Filii Benjamin.* Hìc tantùm numerantur quinque filii Benjamin, cùm tamen decem reliquerit, ut patet Genes. 46. 21: quinque ergo reliqui ejus filii mortui sunt sinè liberis, aut in posteris eorum familia interiit.

53. *Juxta numerum vocabulorum.* Id est, familiarum, quæ vocabulis distinguuntur. * Vel significatur nomina familiarum in schedis, et terrarum nomina pariter in schedis fuisse descripta, et sorte rem peractam, duabus schedis simul extractis.

54. *Singulis.* Tum hominibus, tum tribubus, tum familiis, tum potiùs capitibus familiarum, ut ipsi ulteriùs in singulos suæ familiæ sortem acceptam dividant.

* 55. *Ita duntaxat.* Portiones regionis quæ cuique tribui dabuntur, sorte illis obveniant. Post hanc autem sortitionem addatur vel detrahatur de illa portione pro numero bellatorum cujusque tribûs.

57. *Numerus filiorum Levi.* Quinque tantùm præcipuæ familiæ Levi numerantur, cùm omnes fuerint octo, ut patet Exod. 6. 17, 18, 19, et 1. Paral. 23. 6. Hìc enim familiæ Levi ex professo non numerantur ut cæteræ, eò quòd non essent accepturæ sortem cum aliis tribubus, ut dicitur num. 62.

62. *Omnes.* Levitæ.

Ab uno mense. Ex eo quòd jusserat Dominus cap. 3. 41 et 43, commutari primogenitos Hebræorum in levitas unius mensis et supra, idque ad paucitatem levitarum multitudini primogenitorum adæquandam, et simul ad dignitatem levitarum declarandam; hac de causa jubet hìc eos rursum numerari ab uno mense et supra tanquam suos, ut pote qui olim eadem ætate servierant redemptioni primogenitorum.

65. *Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb.* Excipe levitas; nam ex eis supererat Moses, Eleazar, Ithamar, et fortasse multi alii qui numerati fuerant in Sina.

CAPUT XXVII.

Propter filias Salphaad Deus fert legem, ut deficiente prole mascula filiæ patribus succedant in hæreditatem. Jubetur Moses ex monte Abarim contemplari terram Chanaan, atque sibi in ducatu populi substituere Josue.

2. A*D ostium tabernaculi.* Quia juxta ostium tabernaculi erat tentorium Mosis, atque ad illud, vel certè ad vicinum atrium tabernaculi conveniebant seniores populi convocati a Mose ad concilium.

3. *Pater noster mortuus est in deserto.* Scilicet ob peccatum murmuris tempore exploratorum, quod peccatum fuit commune totius populi. Omnes enim a vigesimo anno et supra ob hoc peccatum mortui sunt in deserto.

Cur tollitur nomen illius? Cur exstinguitur familia, et nomen ejus?

Date nobis possessionem. Nam ex filiis nostris aliquis nomen illius tuebitur, et de familia Salphaad vocabitur, atque ita per lineam femininam nomen illius propagabitur.

Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini. Consuluit Dominum super hac re.

6. *Da eis possessionem.* Jube eis dari, cùm populus ingressus fuerit Chanaan.

His qui ei proximi sunt. Masculi scilicet.

12. *In montem istum.* Ut ex eo videas terram promissam, tum ut in eo moriaris.

Abarim. Mons hic Abarim, saltem secundum diversas partes et juga, diversa habebat nomina. Nam vocatur Phasga, Phogor, excelsa Baal, Nebo: in Nebo enim dicitur mortuus esse Moses, Deut. ult. num. 1. Voluit enim Deus Mosen mori in monte, non in castris, ne Hebræi ad idololatriam proni ejus corpus quasi numen colerent.

Contemplare inde terram. Ut saltem aliqua voluptate fruaris in visione terræ quam tantopere ingredi optasti et petiisti. Vide Deut. 3. 24 et 25.

13. *Ibis et tu ad populum tuum.* Morieris in Moab, et ibis ad limbum patrum.

16. *Dominus Deus spirituum.* Qui spiritus et corda hominum novit, et scit ad quæ quis aptus sit, quis tantæ gubernationis molem subire et sustinere possit.

17. *Possit exire et intrare ante eos.* Esse dux et ductor eorum in omni opere, tam bellico quàm civili. Est metaphora sumpta a pastoribus educentibus gregem. Hi enim ante eum exeunt et intrant, atque ita eum pascunt et regunt.

18. *In quo est spiritus.* Id est, prudentia, pietas, fortitudo et cæteræ virtutes principi necessariæ.

Pone manum tuam super eum. Ut hac cæremonia instituatur successor tuus et dux populi, et a me spiritu et gratia ad munus illud opportuna impleatur.

20. *Dabis ei præcepta.* De modo regendi populum, maximè ut eum in vera unius Dei religione ac lege conservet et promoveat.

Et partem gloriæ tuæ. Da Josue partem gloriæ, id est, honoris et auctoritatis tuæ apud populum, ut eum quasi futurum principem reverenter compelles, eumque ut talem toti populo proponas et commendes, ut populus eum pro te acceptet ut ducem, eum revereatur et audiat. Alii partem gloriæ interpretantur insignia magistratûs.

Ut audiat eum omnis synagoga. Illi obediat.

21. *Pro hoc.* Pro Josue.

Ad verbum ejus. Eleazari scilicet Josue aget quidquid agendum erit.

Ipse. Josue.

23. *Replicavit.* Retulit, enarravit. Hebr. est, *præcepit.*

CAPUT XXVIII.

Præscribit Deus statas victimas offerendas diebus singulis, sabbato, in die calendarum, in festo Paschatis et Pentecostes.

2. OBLATIONEM *meam, et panes, et incensum.* Heb. *oblationem meam, panem meum* (quæ scilicet panis meus et cibus meus sunt), *per ignitiones meas* (quibus hæ victimæ per ignem Deo cremantur), *in odorem suavitatis offerte.* Est ergo generale præceptum de non negligendis sacrificiis.

3. *Agnos.* De hoc sacrificio quotidiano vide Exod. 29; de libamentis, seu accessoriis sacrificiis, cap. 15. Num.

Anniculos. Qui annum non excesserint.

Immaculatos. Non macula coloris, sed deformitatis, ne scilicet sint cæci, claudi, scabiosi.

5. *Decimam partem ephi.* Quæ gomor dicitur.

Quartam partem hin. Sunt tres scyphi tredecim * aut paulò plùs unciarum aquæ, vel vini, sive sextarii tres hebræi, unciæ * scilicet 40 vini, vel aquæ, id est, libræ tres et 4 unciæ.

6. *Quod obtulistis in monte Sinai.* Hebræi per annos 38 in deserto non sacrificarunt. In Sinai autem oblatum est juge sacrificium, ut patet Lev. 9. 7.

Incensi. Sacrificii igniti et cremati Deo.

7. *In sanctuario Domini.* In atrio ad altare holocaustorum.

9. *Offeretis duos agnos.* Mane ergo sabbati tres agni immolabantur, unus pro jugi sacrificio, duo pro sabbato.

In sacrificio. Ad sacrificium accessorium farreum.

Liba. Libamina similæ, olei et vini.

10. *Quæ ritè funduntur.* Ritè, id est, juxta præscriptum legis.

Per singula sabbata. In singulis diebus hebdomadæ; sabbatum enim in Scriptura accipitur aliquando pro hebdomada, et prima sabbati est prima dies hebdomadæ, sive prima post sabbatum.

11. *In calendis.* Prima die mensis, quæ et neomenia, sive novilunium dicitur.

13. *Decimam decimæ.* Id est, una decima : unum gomor dicitur decim decimæ, id est, decima pars ephi, quod ephi est decima pars cori.

15. *Pro peccatis.* Populi generatim.

In holocaustum. Id est, præter juge holocaustum; nam in hebr. est, *hircum pro peccato offeretis, ultra holocaustum juge cum libamentis suis.* Ita vertunt chald. LXX, et Vatablus.

Cum libamentis suis. Libamentis holocausti; nam *mincha*, id est, simila, vinum et oleum non libabantur in victima pro peccato, ut colligitur Num. 15. 3, nec thus adolebatur cum eis, ut patet Lev. 5. 11.

16. *Phase Domini erit.* Paschæ festum.

17. *Et quintadecima die solemnitas.* Comestionis agni. Vide dicta Exod. 12. 6.

19. *Incensum.* Victimam quæ igne cremetur, fiatque holocaustum. Ex hoc patet in festo Paschæ oblatos fuisse in holocaustum duos vitulos, arietem unum, agnos septem cum suis libamentis, atque hircum unum pro peccato.

21. *Decimam decimæ.* Vide dicta num. 13.

22. *Ut expietur.* Ut fiat expiatio.

23. *Holocaustum matutinum.* Intellige et vesperti-

num ; sed illud non exprimitur, quia de eo non erat causa dubitandi, ut de matutino ; hoc enim videri poterat omitti posse, cùm eodem mane tam multa alia sacrificia immolarentur.

24. *In fomitem ignis.* Ad nutriendum ignem.

26. *Dies etiam primitivorum.* In qua offerebantur primæ fruges maturæ, id est, panes ex primis frugibus, id est, festum Pentecostes.

27. *Offeretisque holocaustum.* Eædem victimæ jubentur offerri in festo Pentecostes, quæ jussæ sunt offerri in Paschate num. 19.

* 30. *Præter holocaustum.* Oblationum enim in idem tempus concurrentium nulla ob id omittitur.

CAPUT XXIX.

De victimis in festo Tubarum, Expiationis et Tabernaculorum.

1. DIES *clangoris est et tubarum.* Festum Tubarum celebrabatur die primo mensis septimi. Vide Lev. 23. 24.

3. *Per singulos vitulos.* Vitulum, ut est in hebræo; unus enim tantùm offerebatur ; singulis scilicet annis singuli vituli ; et hoc voluit noster interpres.

6. *Præter holocaustum calendarum.* Festum enim Tubarum incidebat in calendas septimi mensis, ut dicitur num. 1.

7. *Decima quoque dies.* Festum Expiationis, de quo Levit. 23. 27.

11. *Offerri.... in expiationem.* Ut præscribitur Levit. 16.

Holocausto sempiterno. Juge sacrificium.

Cum sacrificio. Mincha, seu libaminibus, quæ erant sacrificia accessoria.

12. *Quinta decima verò dies mensis septimi.* Festum Tabernaculorum, de quo vide Levit. 23. 34.

* *Septem diebus.* Non quòd totis hisce septem diebus vacandum esset ab opere servili (nam de solo primo die id præceptum fuit), sed quòd totidem diebus manendum esset in tabernaculis, et quòd peculiaria singulis diebus sacrificia publico nomine offerenda essent, quæ hìc sigillatim recensentur.

15. *Decimam decimæ.* Vide cap. præcedenti num. 13.

39. *Præter vota.* Quasi dicat : victimas jam dictas in festis offerri præcipio, præter ea quæ ex voto, vel sponte offeretis in holocaustum, in sacrificium, id est, in mincha, in libamen et hostias pacificas.

CAPUT XXX.

De voto ac juramento virorum, et quandonam puellarum et uxorum vota, seu juramenta rata sint vel irrita.

3. *Aut se constrinxerit juramento.* Juramento obstringens se Domino, ac proinde etiam votum Domino faciens; qui enim jurat se aliquid, v. g., oblationem facturum, simul Deo promittit: promissio autem facta Deo est votum.

Non faciet irritum. Non violabit juramentum, aut votum.

4. *In ætate adhuc puellari.* Sub puella intellige etiam puerum in ætate puerili; utriusque enim par est ratio.

Si cognoverit pater. Sub patre etiam tutores intellige; hi enim, patre mortuo, quasi in jus et regimen paternum succedunt.

Et tacuerit. Quia sic confirmare videtur. * Taciturnitas consensum imitatur, inquit Cicero lib. 1 de Inventione.

6. *Statim ut audierit.* Intelligendum moraliter, verbi gratiâ, eodem die; nam sequenti die contradicere non poterat, ut habetur num. 15.

7. *Si maritum habuerit.* Sermo est de ea quæ nupta habitat extra domum patris in domo mariti: ad sponsam etiam extendunt hanc legem Hebræi, et aliqui recentiores.

9. *Propitius erit ei Dominus.* Qui non indignabitur uxori, si non servet votum a marito irritatum.

11. *Et juramento.* Et pro *aut* hic capitur: in hebr. enim est *aut.*

14. *Per jejunium.* De quibuslibet votis hic agitur, non autem de votis abstinentiæ tantùm, ut patet ex num. 5. 8, 10, 12, ubi generatim agitur de quacumque re promissa. Petitur exemplum ab abstinentia et jejunio, quia frequentia sunt vota in hac materia.

16. *Sin autem contradixerit.* Intellige post diem in qua rescivit, ut habent expressè LXX.

Portabit ipse iniquitatem. Uxor a peccato excusabitur, quia impedita a viro non potest præstare quod promisit; sed maritus peccabit contra legem hunc consensum revocans.

17. *Quæ manet in parentis domo.* Quæ necdum est emancipata, aut viro tradita.

CAPUT XXXI.

Cæsis Madianitis virgines solæ reservantur; præda ex æquo dividitur inter pugnantes et eos qui remanserant in castris: gratiæ Deo aguntur et offeruntur donaria.

2 *Ulciscere priùs filios Israel de Madianitis.* Quia ipsi provocaverunt Israelitas, prostituendo eis filias suas ad fornicationem et idololatriam Beelphegor. Vide supra, cap. 25. num. 6. 17.

3. *Ultionem Domini.* Dicitur ultio Domini, quia Domino adjuvante facta, et quia eâ vindicata est injuria facta populo Domini et ipsi Domino.

6. *Cum Phinees.* Cujus zeli ceperant experimentum, cùm scortantes occidit, supra, cap. 25. 7.

Vasa quoque sancta. Arcam cum tabulis legis, cherubim, et propitiatorio; hæc enim secum ferebant Judæi euntes ad bellum.

Et tubas. De quibus cap. 10. num. 2.

7. *Omnes mares occiderunt.* Qui erant in Madian, vel qui fugâ elapsi non sunt.

8. *Sur.* Pater Madianitidis quam occidit Phinees, cap. 25. 15.

13. *Egressi sunt autem Moyses et Eleazar.* Ad gratulandum victoribus ex Madian redeuntibus.

16. *Super peccato Phogor.* In peccato adorationis Beelphegor.

17. *Cunctos interficite.* Mulieres et parvuli justè in bello occidi non possunt, cùm non resistant; possunt tamen Dei jussu, qui vitæ et mortis est Dominus. Ita factum est hìc.

Quæ noverunt viros in coitu, jugulate. Quia per tales decepti fuerant Hebræi, fornicando cum eis.

18. *Virgines reservate vobis.* Conjuges scilicet, vel primarias, vel secundarias, vobis, vel filiis vestris futuras: vel certè ancillarum loco habendas, vel aliis dividendas. Quænam essent virgines in plerisque non fuit difficile agnoscere ex ætate vixdum nubili; neque ad id necesse fuit Hebræis habere plusquam moralem certitudinem.

19. *Lustrabitur die tertio et septimo.* Juxta legem de eo qui tangit cadaver latam Num. 19. 14 et seq.

20. *Expiabitur.* Censebantur enim immunda per contactum cadaverum in tanta strage. Expiatio facta

per ignem, si res expianda id ferret, vel per aquam lustralem, de qua cap. 19.

21. *Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi.* Hoc præceptum fortasse voce tantùm traditum est; nam in lege scripta non exstat.

27. *Dividesque ex æquo prædam.* Prædâ in duas partes æquales divisâ, altera pars cessit multitudini quæ remanserat in castris, altera iis qui processerant ad bellum, qui cùm essent tantùm duodecim millia, multò plùs prædæ militibus obtigit, quàm iis qui in eam expeditionem non iverant.

29. *Primitiæ.* Hebr. *oblatio.*

30. *Ex media quoque parte.* Scilicet ab eis qui remanserant in castris, nec pugnaverant.

50. *Periscelides.* Crurum sunt ornamenta.

Armillas. Brachiorum ornamenta.

Dextralia. Videtur armilla et dextrale sic distingui, quòd armilla sinistri brachii, dextrale dextri ornamentum sit, quanquam armillæ nomen utriusque brachii ornamentum videtur comprehendere.

Murenulas. Colli ornamenta.

Ut depreceris. Hæc secundaria erat causa oblationis auri: primaria enim erat ut ostenderent se esse gratos Deo qui illis incruentam victoriam concesserat.

51. *Aurum in diversis speciebus.* In diversas vasorum species conflatum.

52. *Pondo sedecim millia septingentos quinquaginta siclos.* Hebr. chald. et LXX versione non est vox illa *pondo.* Sensus est totum illud aurum fuisse ponderis sexdecim millium septingentorum quinquaginta siclorum.

A tribunis et centurionibus. Hi enim detulerunt ad Mosen et Eleazarum id quod ipsi et quod milites obtulerant.

53. *Quod in præda rapuerat, suum erat.* Ex hoc intelligas quod supra cum tota multitudine fuerat communicatum, fuisse tantùm animantium et hominum prædam.

54. *In monimentum filiorum Israel coram Domino.* Ut Deus eorum meminisset, et eis esset propitius.

CAPUT XXXII.

Filiis Ruben, Gad, et dimidiæ tribui Manasse portio datur trans Jordanem, ea conditione ut reliquos Israelitas in terram promissionis armati præcedant.

9. *SUBVERTERUNT.* Fregerunt, dissolverunt: hoc enim significat vox hebræa חניא *cheni.*

Ut non intrarent. Particula *ut* non significat intentionem, sed eventum rei.

11. *Si videbunt.* Non videbunt. Particula *si* juramentis servit, * et sensus est, si videbunt, pro Deo non habear.

A viginti annis. Significat ætatem hominum, non tempus discessûs ex Ægypto.

13. *Circumduxit eum per desertum.* Significanter LXX, *circumvolvit eos ut rhombum per desertum quadraginta annis.* Est autem rhombus machina quam agitando tramam glomerant in circulum. Italicè, *naspo.*

14. *Incrementa et alumni hominum peccatorum.* Peccatorum discipuli, qui non tantùm eorum peccata imitamini, sed propagatis et augetis.

17. *Propter habitatorum insidias.* Erant enim Rubenitæ et Gaditæ vicini Moabitis, Idumæis, Chananæis aliisque hostibus.

20. *Coram Domino.* Coram arca, vel favente Domino.

21. *Omnis vir bellator.* Qui commodè potest; nam domi relicti quot erant necessarii ad urbes quas occupaverunt defendendas: transierunt ex eis Jordanem 40 millia, ut patet Josue 4. 13, cùm tamen in censu numerata essent ex eis centum et decem millia, cap. 26. 18.

23. *Peccatum vestrum.* Pœna peccati.

26. *In urbibus Galaad.* Non de sola Galaaditide hoc intelligendum, sed de tota sorte Gaditarum, Rubenitarum, et dimidiæ tribûs Manasse.

30. *Inter vos habitandi.* Quasi dicat, si fidem datam fefellerint, nolueriutque vobiscum ad pugnam progredi, compellite eos transire Jordanem, pugnare et habitare vobiscum.

31. *Locutus est Dominus.* Deus scilicet per Mosen: patet ex hebræo.

34. *Exstruxerunt.* Restaurarunt; nam priùs exstiterant.

38. *Versis nominibus.* Præsertim quia quædam ab idolis, quæ in illis colebantur, nomen habebant, ut Bamoth, Baal et Baalmeon.

40. *Machir.* Posteris Machir, seu dimidiæ tribui Manassis prognatæ ex Machir.

41. *Jair autem filius Manasse.* Non proximus, sed remotus. Sic sæpe nepotes vocantur filii, ut Luc. 1. 16, Matth. 1. 1.

CAPUT XXXIII.

Mansionibus quadraginta duabus filiorum Israel per varia loca in deserto recensitis, Chananæi a Domino jubentur interimi.

1. *In manu Moysi et Aaron.* Ductu Mosis et Aaronis.

2. *Juxta castrorum loca.* Juxta numerum castrametationum.

3. *Altera die Phase.* Postridie agni immolati, hoc est, die 15 mensis primi.

In manu excelsa. In magna potestate, robore, ac terrore Ægyptiorum.

4. *In diis eorum exercuerat ultionem.* Quia eadem nocte, qua egressi sunt ex Ægypto, prostravit idola Ægypti, Hier. ep. 127. Vide supra, Exod. 12. 12.

11. *Sin.* Scribitur per samech. * Vide dicta Exod. 16. 1, et cap. sequenti, num. 3.

36. *Sin.* Scribitur per tsade.

40. *Venisse.* Adventare: ponitur actus perfectus pro inchoato.

49. *De Bethsimoth usque ad Abelsatim.* Primùm sistendo in Bethsimoth, ubì fuit una mansio; deinde ad Abelsatim progrediendo, ubì fuit alia mansio.

52. *Confringite titulos.* Aras, vel columnas, vel delubra, alii picturas, alii simulacra. Chald. *templa.*

Excelsa. Altaria et sacella in locis excelsis idolis consecrata.

55. *Clavi in oculis, et lanceæ in lateribus.* Erunt vobis infestissimi, arma in vos distringent, et perniciem vobis afferent.

CAPUT XXXIV.

Terræ promissionis situs et limites juxta varias orbis plagas; eaque sorte dividi præcipitur, additis eorum nominibus, qui eam dividant.

2. *His finibus terminabitur.* Aptè post impositum præceptum de delendis habitatoribus, fines hìc terræ quam occupaturi essent statuuntur, ut scirent quarum regio-

num incolas essent deleturi, et quarum possessionem accepturi.

3. *A solitudine Sin.* Incipit hanc terminorum descriptionem a latere meridiano in angulo ubì latus meridianum jungitur lateri orientali; ille enim angulus incipiebat a solitudine Sin, hebr. צִן *Sin*, per tzade, ne existimes esse desertum illud Sin, cujus est mentio Exod. 16, ubì in hebræo est סִין *Sin*.

Contra orientem. Versùs orientem, hoc est, ubì latus orientale concurrere debebit cum meridiano, et angulum communem efficere.

Mare Salsissimum. Est lacus Sodomorum, sive Asphaltites, ubì priùs fuit Pentapolis: dicitur Salsissimum, quia omnia maria saltem judaica salsedine multùm superat. Causa tantæ salsedinis sulphur, bitumen, sal, quæ in Pentapoleos incendio e cœlo deciderunt.

4. *Per ascensum Scorpionis.* LXX πρὸς ἀνάβασιν Ἀκραβείν, *per ascensum Acrabin.* Loci est nomen, et secundum aliquos etiam urbis, aut regionis, quam putant esse eam quæ l. 1. Machab., cap. 5. num. 3, vocatur Acrabathena, cujus sententiæ auctor videtur S. Hieron. in cap. 1. Abdiæ: *Quæ vergit*, inquit, *ad scorpionem, id est, ad urbem Acrabathenam.*

In Senna. D. Hier. in locis hebraicis ait esse petræ nomen: et fortasse est petra illa cujus fit mentio Judic. 1. num. ult. quæ cum ascensu Scorpionis statuitur esse Amorrhæorum terminus.

A meridie. In hebræo est, *ad meridiem*, et ita enim habent LXX πρὸ λίβα, et idem sensus est nostri interpretis, cui, *a meridie*, idem est ac versùs meridiem.

5. *Usque ad torrentem Ægypti.* Hic torrens rivulus est, qui ex deserto veniens juxta Rhinocoluram, in mare Mediterraneum delabitur, terramque tribûs Juda et Simeon a deserto viaque Ægypti disterminat. Passim in Scriptura hic torrens ponitur australis terminus terræ promissæ.

Maris Magni. Mediterranei.

6. *Et ipso fine claudetur.* Sensus est: plaga occidentalis sicuti a mari ipso initium accepit, ita ipso mari finem habebit, nec erit aliud quo concludatur iste limes occidentalis, quàm ipsius maris littus. Non tamen existimes totum littus Mediterranei occidentem spectans datum esse Hebræis, sed tantùm usque ad eam ejus littoris partem quæ Libano aut Hor monti a regione respondet; hinc enim inchoatur latus septentrionale terræ promissæ.

7. *Pervenientes*. Rectâ lineâ.

Usque ad montem altissimum. In hæbræo habetur הר ההר *Hor hahar*, Hor montem. LXX qui habent, *παρὰ τὸ ὄρος τὸ ὄρος*, *apud montem montem*, videntur in hebræo legisse non הר, sed רה. Mons igitur iste Hor, vel est promontorium aliquod Libani ita dictum : vel si legamus הר ההר *mons mons*, ita dicitur propter Libanum et Antilibanum, duo quasi ejusdem montis juga et vertices.

8. *A quo venient in Emath*. Urbs fuit in parte aquilonari terræ promissæ juxta Libanum montem. Scribit S. Hier. in cap. 10 Isaiæ, Emath Epiphaniam fuisse a Syris etiam suo tempore appellatam.

Sedada. Urbs est, vel vicus ad limitem plagæ septentrionalis. Ejusdem mentio Ezech. 47. 16.

10. *Sephama*. Quis locus sit non constat. S. Hier. nihil aliud habet quàm esse terminum Judæ ad solis ortum.

11. *Contra fontem Daphnim*. In hebræo est tantùm, *contra fontem*, illum scilicet, qui contra Reblata est notus et celebris : fortasse ita dictus a laurorum multitudine, ut etiam suburbanum celebre Antiochiæ urbis; et fortasse nostra Daphne illa est cujus meminit Josephus lib. 4 Belli judaici, cap. 1, quæ ad lacum Semechonitem sita est. D. tamen Hier. Daphnem hanc vult esse eam quæ vicina Antiochiæ est. Vide Bonfrerium hìc latè de hoc et eruditè disputantem.

Ad mare Cenereth. Quod est mare illud, seu stagnum quod mare Galilææ, aut stagnum Genesareth, aut mare Tiberiadis passim appellatur in Evangelio.

12. *Usque ad Jordanem*. Jordanem scilicet majorem. Idem fluvius dicitur Jordanis minor, donec ad lacum Genesareth perveniat ; major, postquam ab eo lacu egressus usque ad mare Mortuum decurrit.

18. *Singuli principes de tribubus singulis*. Non principes totius tribûs, sed principes aliquarum familiarum in sua tribu.

CAPUT XXXV.

Assignari jubentur urbes et suburbana levitis, et urbes refugii pro homicidio non voluntario : traditur lex homicidii voluntarii et non voluntarii : statuitur unius tantùm testimonio neminem puniendum.

1. *Supra Jordanem*. Juxta Jordanem.

4. *Mille passuum spatio tendentur*. Hoc versu dantur levitis tantùm mille *amma*, id est, cubiti; sequenti verò

dantur bis mile *amma* (utrobique enim in textu hebræo est ea vox quæ cubitum significat), idque ad quamlibet mundi plagam. Varii varia, quorum sententias latè explicat Cornel. a Lapide hìc, et Serar. in cap. 21 Josue, quæst. 8. Bonfrerius hìc putat textum hebraicum corruptum esse, et ex nostro emendandum. Deinde docet passum Græcorum fuisse pedum trium; cubitum verò unius pedis et semis mensuram habuisse. Atque ita sibi noster interpres cohæret et consentit; nam mille passus, et duo cubitorum millia idem sunt. Rursus docet passum geometricum, seu compositum romanum, fuisse quinque pedum; cubitum verò sacrum ex Villapando esse duorum pedum et semis Romanorum. Itaque bis mille cubiti sacri mille passus geometricos romanos æquant, nec contraria sibi habet nostræ editionis vulgatus interpres.

6. *Qui fuderit sanguinem.* Qui aliquem occiderit nolens ac nescius, ut dicitur num. 11, et Josue 20. 3.

12. *Cognatus occisi non poterit eum occidere.* In lege enim veteri ob populi illius duritiam permissum erat cognatis occidere percussorem propinqui sui, absque alia judicis condemnatione, quocumque loco eum reperirent, ut patet num. 19 et 27.

Donec stet. Scilicet homicida.

14. *Tres erunt trans Jordanem.* Bosor, Ramoth et Golan.

15. *Tam filiis Israel quàm advenis atque peregrinis.* Proselytis tamen, et ad judaismum conversis; aliqui docent etiam gentiles in gentilismo permanentes jus asyli habuisse.

17. *Si lapidem jecerit, et ictu occubuerit: similiter punietur.* Si videlicet ictus lapide statim expirarit; si enim ab ictu surrexisset, aut ambulasset, non occidebatur percussor, sed tantùm impensas curationis læso solvebat, ut patet Exod. 21. 19.

19. *Propinquus occisi homicidam interficiet.* Videtur permissio, non præceptum. Bonfrerius putat etiam obligatum fuisse occidere, si vel in judicio homicida nocens fuisset declaratus, vel evidentiâ facti id constaret, quod colligit ex modo loquendi Scripturæ hoc versu, ac 21, et Deut. 19. num. 12. 13.

24. *Et hoc audiente populo fuerit comprobatum.* Ad hanc rem comprobandam sufficiebat probari nullum odium, nullam antea inter eos inimicitiam fuisse notatam: hæc enim juris præsumptio sufficiebat, Deut. 4. 42, et Deut. 19. 6, et Josue 20. 5.

25. *Sacerdos magnus.... moriatur.* Id ita statutum ut significaretur Christi morte perfectam libertatem afferendam, quæ ratio litteralis est.

27. *Ultor est sanguinis.* Propinquus, cui competit vindicta.

Absque noxa. Non solùm absque pœna, sed etiam absque culpa.

30. *Sub testibus.* Pluribus scilicet, non uno tantùm.

33. *Ne polluatis terram.* Terræ maculam quamdam aspergit sanguis fusus, quamvis innocentis : ea macula censetur abstergi, cùm occiditur ipse homicida.

Nec aliter expiari potest. Nisi summus sacerdos fortè moriatur, hæc enim sufficiens erat expiatio, ut supra, num. 25.

34. *Emundabitur.* Munda conservabitur.

Me commorante vobiscum. Et ego apud vos ero, vobis favebo, etc.

CAPUT XXXVI.

Occasione filiarum Salphaad fertur lex, ut ipsæ et aliæ quæcumque hæreditatem patris adeunt, nubant contribulibus suis.

1. PRINCIPES *familiarum Galaad.* Non qui jam acceperant possessionem in terra Galaad, et eam jam incolere cœperant, sed qui trans Jordanem accepturi erant; nam et hi Galaaditæ erant, a progenitore Galaad, et inter hos filios Salphaad hæreditatem accepisse patet ex Josue cap. 17. 3.

2. *Et ut filiabus Salphaad.* Vide supra, cap. 27.

3. *Translata ad aliam tribum.* Eam scilicet de qua fuisset maritus filiarum Salphaad; nam filii ex eo matrimonio nati de tribu fuissent patris sui.

7. *Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua.* Loquitur in casu Mosi proposito, cùm scilicet agitur de marito dando mulieri, quæ sit paternorum bonorum hæres; hæc enim tantùm intra tribum suam nubere poterat, ut patet ex hebræo, in quo num. 8 ita habetur : *Omnis filia hæreditans hæreditatem, etc. uni de familia tribûs patris sui erit in uxorem, ut accipiant hæreditatem filii Israel, unusquisque hæreditatem patrum suorum.*

LIBER

LIBER DEUTERONOMII.

Hic liber voce græca Deuteronomium dicitur, hoc est, secunda lex, quia continet legis repetitionem et inculcationem factam a Mose, aliquibus etiam legibus additis aut explicatis.

CAPUT PRIMUM.

Repetuntur res gestæ in Sina et in Cadesbarne, ubi ob murmur exploratorum Israelitæ omnes ad mortem et ad peregrinationem 40 annorum in deserto sunt damnati.

1. *Hæc sunt verba.* Quæ scilicet hoc Deuteronomii libro sequuntur, non quod aliqui putant, quæ hactenus superiori libro præcesserunt.

Trans Jordanem. Moses non transierat Jordanem, sed circa eum consistebat: dicitur tamen trans Jordanem hæc locutus, quia respectu terræ promissæ (juxta quam Scriptura solet consignare plagas et situs locorum) regio hæc trans Jordanem erat.

In solitudine campestri. LXX, *in solitudine ad occidentem.* Aliqui putant solitudinem hanc esse campestria Moab; alii intelligunt de vasta illa solitudine Arabiæ, in qua annis 40 Hebræi egerunt.

Contra mare Rubrum. E regione maris Rubri.

Ubi est auri plurimùm. LXX vertunt, *auri fodinas.*

2. *Undecim diebus.* Intellige, itur.

3. *Undecimo mense, prima die mensis.* Undecimus mensis ab Hebræis dicitur sebet, et respondet nostro januario.

Locutus est. Hoc est, rursum eadem repetiit.

4. *Qui habitabat in Hesebon.* Ibi enim rex ille regiam suam collocaverat.

In Astaroth. De Astarothcarnaim: vide dicta Gen. 14. 5.

5. *Trans Jordanem in terra Moab.* Hæc referenda sunt ad verbum *locutus est*, num. 3.

6. *Sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis.* Hoc est, satis diu hic commorati estis: tempus est ut hinc recedatis, et promissionis terram adeatis.

7. *Revertimini.* Hebr. *vertite vos.* Itaque præcipitur

ut convertant se et accingant ad iter, vel ut intermissum iter resumant.

Ad montem Amorrhæorum. In Cadesbarne, ad terminos terræ promissæ, qui locus vel urbs est ad montes in quibus habitant Amorrhæi.

Campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem. His verbis et aliis quæ sequuntur hoc versiculo mundi plagæ finesque australes, occidentales, et boreales terræ promissæ designantur. Cùm ergo dicit, *campestria, montana, et humiliora loca contra meridiem*, latus designat terræ promissæ, quod meridiem respicit.

Et juxta littus maris, terram Chananæorum. Terminus est occidentalis.

Et Libani. Terminus borealis : vide supra, lib. Num. cap. 34. num. 7.

* *Usque ad flumen magnum Euphraten.* Nunquam Hebræi regionem quæ hìc describitur insederunt, licèt ea aliquando, ut tempore Davidis et Salomonis, eorum imperio ut tributaria subdita fuerit. Promissa tamen erat ut propria possidenda, si in fide perstitissent, et divinæ legi paruissent. Vide Deut. 19. 8 et 9.

8. *Tradidi vobis.* Terram scilicet.

10. *Sustinere vos.* Vestrûm regimen vestrîque curam. Vide Exod. 18, et ibi dicta.

15. *Tulique. . . . nobiles.* Hebr. *tuli capita tribuum vestrarum.*

17. *Nulla erit distantia personarum.* In hebræo est, *non agnoscetis facies*, id est, ea quæ in homine apparent, et ad causam non faciunt.

Nec accipietis cujusquam personam. Hebr. *non timebitis a facie viri.*

Quia Dei judicium est. Quia cùm judicatis, Dei vices geritis, qui justissimus est.

Referte ad me. Tanquam ad supremum judicem.

21. *Vide terram.* Quia Cadesbarne est juxta Chanaan; tantùm enim interest mons Idumææ. Unde ex Cadesbarne missi sunt exploratores in Chanaan.

22. *Dixistis : Mittamus viros.* Hinc patet ipsos Hebræos petiisse ut mitterentur exploratores qui, eis annuente Deo, missi sunt, Num. 13.

28. *Ad cœlum usque munitæ.* Hyperbole.

Filios Enacim. Filios gigantum, gigantes ex posteris Enac gigantis.

31. *Portavit.* Deduxit, direxit, fovit.

33. *Metatus est locum.* Præcedens castra in columna nubis.

36. *Secutus est.* Caleb scilicet.

* 37. *Propter vos.* Vide dicta Num. 20. 12, et infra, cap. 3. 26.

39. *Boni ac mali ignorant distantiam.* Parvuli qui nondum habent usum rationis, ut bonum a malo discernant.

43. *Adversantes imperio Domini.* Hebr. *exacerbastis os Domini*, id est, repugnastis ejus verbis et jussis; itaque eum, ejusque os et vultum irritastis.

44. *Sicut solent apes.* Quæ magno numero et furore in se lacessentes involant.

45. *Non audivit vos.* Volentes ingredi in terram promissam.

46. *Sedistis.* Sedem habuistis.

CAPUT II.

Repetitur transitus Hebræorum per fines Idumææ, Moabitidis et Ammonitidis incolis earum intactis. Bellum et victoria de Sehon.

1. SICUT *mihi dixerat Dominus.* Scilicet Num. 14. 25.

Circuivimus montem Seir. Idumæam; Idumæorum enim pater fuit Esau, qui etiam dictus est Seir, id est, pilosus. Idumæa dicitur mons, quia regio est alta et montosa.

3. *Ite contra aquilonem.* Ite versùs terram promissam, quæ venientibus de Ægypto est versùs aquilonem.

4. *Per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau.* Licèt enim Num. 20. 21, Idumæi initio negarint transitum Hebræis, hinc tamen, et ex num. 6 et 28, patet eos Hebræis tandem transitum, saltem per extrema regionis, concessisse; hoc enim significare videtur particula illa, *per terminos.*

5. *Quantùm potest unius pedis calcare vestigium.* Ne minimùm quidem. Proverbialis loquendi formula.

6. *Cibos emetis ab eis pecuniâ, et comedetis.* Itaque licèt eis quotidie manna deplueret, nullo tamen præcepto eis vetitum erat alios cibos edere, sicunde habere potuissent.

Aquam emptam haurietis. LXX, *aquam mensurâ accipietis argento*; hebr. *aquas fodietis in argento*; fodere enim Hebræi usurpant pro emere et acquirere; quem idiotismum etiam alibi noster interpres retinuit, ut Osee 3. 2.

7. *Novit iter tuum.* Direxit, prosperum fecit, et in eo

te variis beneficiis affecit; dicitur enim Deus in Scriptura nosse eos quibus peculiariter bene vult, ac bene facit.

Nihil tibi defuit. LXX, retinentes hebraicum idiotismum, vertunt, *non indiguisti verbo.*

9. *Filiis Loth.* Moabitis, sicut et infra, num. 19: filii Loth sunt Ammonitæ; Moab enim et Ammon duo Loth filii ex duabus filiabus exstitêre.

Ar. Urbs regia Moabitarum.

10. *Emim primi fuerunt habitatores ejus.* Ante Moabitas ea loca tenuerunt. Hæc commemorat Moses, ut Hebræi exemplo Emim a suis sedibus pulsorum fiduciam concipiant occupandæ Chananææ. Emim autem dicuntur quasi terribiles propter immanem proceritatem et vires; אימה *ema*, enim in hebræo est terror. Alii deducunt ab אמה *amma*, id est, cubitus, quasi dicas, viri cubitorum, scilicet multorum.

11. *Similes filiorum Enacim.* Qui habiti sunt omnium procerissimi gigantes.

12. *Priùs habitaverunt Horræi.* Quos, Genes. 14. 6, percussit Codorlahomor vastans montana Seir. Masius, Josue 12. 4, putat Horræos fuisse Troglodytas.

Sicut fecit Israel in terra possessionis suæ. Scilicet in terra duorum regum Og et Sehon; necdum cæteram terram promissam ingressi erant Israelitæ.

13. *Torrentem Zared.* Est torrens defluens in mare Mortuum.

* 14. *Hominum bellatorum.* Ita vocantur qui vigesimum ætatis annum expleverunt.

Sicut juraverat Dominus. Num. cap. 14. 21.

15. *Cujus manus fuit adversum eos.* Domini vindicta, ut plurimi morerentur immatura morte.

19. *Filiis Loth.* Ammonitis et Moabitis.

20. *In ipsa.* Ammonitide.

Zomzommim. Hi sunt qui Gen. 14. 5, vocantur *Zuzim.* Significat autem vox Zomzommim: 1. flagitiosos et sceleratos; 2. inusitatæ magnitudinis; 3. famosos et celebres.

21. *Et fecit.* Dominus.

Illos. Ammonitas.

Habitare pro eis. Pro Zomzommim.

23. *Cappadoces expulerunt.* In hebræo hi Cappadoces appellantur Caphthorim; nec sunt illi qui per Asiam Minorem ad Pontum Euxinum extenduntur, sed alii qui Palæstinam incoluerunt.

25. *Sub omni cælo.* Ad quos fama rerum a me pro te gestarum perveniet.

26. *Misit ergo nuntios.* Vide Num. 21. 21.

De solitudine Cademoth. Quam ad orientale latus regionis moabiticæ constituit Adrichomius.

28. *Tantùm est.* Tantùm requirimus.

29. *Sicut fecerunt filii Esau.* Per extrema ditionis suæ, ut dixi num. 4.

Et Moabitæ qui morantur in Ar. Ergo Moabitæ transitum aliquem in limitibus Ar dederunt Hebræis, sed paulò post sibi timentes, mutato consilio, negaverunt.

30. *Induraverat.* Non molliendo et inflectendo, cùm posset.

32. *Egressusque est.* Historiam habes Num. 21. 23, et deinceps.

34. *Interfectis habitatoribus.* Juxta præceptum Domini, ut patet infra, cap. 20. 16.

37. *Torrenti Jaboc.* Ubi Jacob luctatus est cum angelo, Gen. 32. 22, pertinetque ad Ammonitas.

CAPUT III.

Repetitur victoria de Og rege Basan, cujus ditio, ut etiam Sehonis, divisa fuit inter tribus Gad et Ruben, et dimidiam tribum Manasse. Orat Moses ut sibi liceat ingredi in terram promissionis, sed ei Deus silentium indicit.

1. EGRESSUSQUE. Hoc prælium habes descriptum Num. 21. 33, et deinceps, ubi eadem prope omnia, quæ hic, reperies.

4. *Argob.* Est eadem regio cum Basan, ex D. Hier. de Locis hebraicis, et Adrichomio.

5. *Munitæ muris.* Idem de his urbibus habetur 3. Reg. 4. 13. Hæ tamen urbes ita grandes, munitæ et obseratæ, subinde vocantur vici et villæ, ut supra, Num. 32. 41, et infra hoc cap. n. 14, et Josue 13. 30.

8. *Usque ad montem Hermon.* Hermon mons pars est extrema montis Galaad trans Jordanem. Totus enim mons Galaad dicitur, at in variis locis varia habet nomina.

9. *Sidonii Sarion.* Mons ergo Hermon vocatur Sarion et Sanir; vocatur et Sion, vel Seon, ut patet cap. 4. 48.

11. *Solus.... restiterat de stirpe gigantum.* Intellige in regione illa: nam alibi adhuc exstitisse gigantes patet Num. 13. 34, Josue 15. 14, 1. Paral. 20. 6.

In Rabbath. Hæc postea dicta est Philadelphia, teste S. Hier. de Locis hebraicis.

Cubiti virilis manus. Hebr. *secundum cubitum viri*.

14. *Jair filius Manasse*. Nepos : Hebræi enim omnes posteros vocant filios.

Usque in præsentem diem. Hæc Abulensis putat addita ab Esdra, et non esse Mosis verba, quòd longum aliquod tempus antecedens denotare videantur. Sed non est necesse : satis enim est si tempus aliquod intercesserit, quo toto eadem aliqua res continuata fuerit, ut dici possit *usque in præsentem diem monstratur*.

Machir. Posteris Machir.

Dedi Galaad. Id est, partem Galaad ; nam Rubenitæ etiam et Gaditæ ejus partem habebant.

17. *Terminos Cenereth*. Vide dicta supra, num. 34. 11.

Usque ad mare Deserti. Mare Mortuum, sive lacum Asphaltitem. Num. 34. 3 et 12.

18. *Præcedite fratres vestros*. Armati in Chanaan.

20. *Donec requiem*. Donec debellatis Chananæis, terræ divisio facta sit; quod bellum atque divisio annos quatuordecim tenuit, ex Abulensi.

25. *Transibo igitur*. Quasi dicat : quæso, transeam et videam terram pro qua quadraginta annis laboravi.

Montem istum egregium. Montem Moria, in quo Abraham obtulit Isaac, in quo ædificanda est Sion et templum. Alii putant sermonem esse de montibus Bethel, qui et altiores quàm mons Moria, et Jordani viciniores, nec multùm a Jericho remoti sunt.

* 26. *Propter vos*. Vestrum peccatum murmuris, unde mihi orta occasio incredulitatis, cùm virgâ petram percuterem ad eliciendas aquas. Vide dicta Num. 20. 12.

29. *Contra fanum Phogor*. Hebr. *contra domum*, id est, templum Phogor.

CAPUT IV.

Moses Israelitas exhortatur ad servanda Dei præcepta, minas etiam transgressoribus intentando : prohibet omnem imaginem quæ idololatriam inducat : suam mortem prædicit, tresque urbes refugii designat.

1. *Ut faciens ea vivas*. Vita præsenti diuturna et prospera.

2. *Non addetis. . . . nec auferetis*. Ne addatis aliquid ei repugnans, neve auferatis eam vitiando et mutilando.

3. *Quæ fecit Dominus contra Beelphegor*. Occisis scilicet viginti quatuor millibus hominum, ut habetur Num. 25. 9.

6. *Vestra sapientia et intellectus coram populis.* Quasi dicat : hæc lex est cujus observatione apud cæteras nationes nomen habebitis, quòd in rebus agendis sitis sapientes et intelligentes.

7. *Appropinquantes sibi.* Faventes, et intentos ad benefaciendum.

9. *Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicitè.* Ne aliquid facias, vel animo decernas facere, quod huic legi sit contrarium.

Verborum. Rerum et portentorum.

11. *Montis qui ardebat usque ad cœlum.* Montis Sina, Hebr. *usque ad cor cœli*, usque ad medium cœlum.

13. *Pactum suum.* Legem quæ est conditio pacti inter Deum et vos initi.

15. *Custodite igitur sollicitè animas vestras.* Hebræa cum Vatablo ita significantiùs vertunt, *cavete ergo accuratè, quàm vobis est chara anima vestra ;* ne scilicet legem Dei violetis, sed eam custodiatis; qui enim eam custodit, custodit animam suam.

Non vidistis aliquam similitudinem.... in Horeb. In monte audistis Deum loquentem, sed nullam ejus figuram vidistis ; quare nec debetis conari sculptili aliquo, aut alia simili ratione imaginem ejus imitari.

16. *Masculi vel feminæ.* Masculi, ut Beli, sive Baalis ; feminæ, ut Astartis.

19. *In ministerium.* Cujusmodi sunt sol, luna, etc.

20. *De fornace ferrea Ægypti.* De servitute durissima, quæ vos quasi fornax ferrea adussit et conclusit, ut nullum pateret effugium. Similis metaphora est Isaiæ 48. 10 : *Elegi te in camino paupertatis.* Est etiam allusio ad fornaces lateritias quibus addicti fuerant Hebræi in Ægypto. Vide Exod. 5. 7.

24. *Deus tuus ignis consumens est.* Deus injuriæ sibi illatæ vindex est, eamque acerrimè punit, ignis instar omnia vastantis.

26. *Testes invoco hodiè cœlum et terram.* Species est juramenti per creaturas, in quibus specialiter relucet Deus. Sic Isaias cap. 1. num. 1, cœlum terramque compellat, cùm ait : *Audite, cœli, et auribus percipe, terra.*

27. *Pauci.* Hebr. *viri numeri*, id est, pauci numero.

28. *Ligno et lapidi.* Idolis ex ligno, vel lapide; dicuntur autem Israelitæ hisce idolis servituri, quia vel inviti ad id compellendi erant, quemadmodum reipsa contigit Dan. 3, et futurum rursum prædicitur, Jerem. 5. 19.

29. *Et tota tribulatione.* In vera contritione et con-

versione; Deus enim peccatori peccatorum pœnitenti reconciliatur.

30. *Te invenerint.* Comprehenderint: est hebraismus.

Reverteris ad Dominum. Hæc omnia prophetice dicta sunt, et reipsa ita contigit in ipsa captivitate babylonica, a qua Judæos pœnitentiâ ductos in suam terram Deus reduxit; et sive ad litteram, sive allegoricè implebitur in fine mundi, cùm Judæorum reliquiæ salvæ fient.

31. *In quo juravit.* Quod juravit.

32. *Interroga de diebus antiquis.* De factis quæ contigerunt in diebus antiquis.

A summo cælo usque ad summum ejus. Hebr. *ab extremo cæli usque ad extremum ejus;* ab oriente usque ad occidentem, quasi dicat: Cognosce ea quæ toto orbe nunquam apud homines alicubi contigerunt. Similis phrasis est Matth. 24. 31.

33. *Audisti et vixisti.* Miraculi instar fuit quòd tu vocem Dei tam terribilem ex Sina audires, et viveres: de quo rursum cap. 5. num. 24.

34. *Ut ingrederetur, et tolleret.* Ut procederet ad tollendum.

Per tentationes. Signa et prodigia.

Horribiles visiones. In tenebrarum triduo, de quibus Sap. 17 et 18.

36. *Et in terra ostendit tibi ignem maximum.* Quia ignis ex Sina prodire videbatur: mox verò supra eum ex cœlo, id est, ex aere formari, et descendere videbatur.

37. *Præcedens in virtute.* Per angelum in columna nubis.

38. *Sicut cernis in præsenti die.* Jam enim deletis Sehon et Og regibus, cum suis exercitibus et populis, id impleri cœperat.

41. *Separavit Moyses tres civitates.* Vide Num. cap. 35.

48. *Usque ad montem Sion, qui est et Hermon.* Alius est hic Sion mons, a Sion monte Hierosolymæ et templi; hic enim Sion erat ab alia Jordanis parte, et hebraicè scribitur per *schin;* Sion verò templi scribitur per *tsade.*

49. *Usque ad mare Solitudinis.* Mare Mortuum, sive lacus Asphaltites.

CAPUT V.

Præceptorum decalogi repetitio et explanatio. Narratur Israelitarum pavor cùm Dei vocem audissent, et montem ardere vidissent.

1. OMNEM *Israelem*. Universum populum: adfuerunt enim omnes, ut indicatur cap. 29, num. 10. Nec difficile fuit Deo vim Mosis voci addere, ut ab omnibus posset exaudiri.

3. *Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum*. Non veteribus illis patriarchis Abraham, Isaac et Jacob legem dedit, sed nobis. Supererant enim adhuc ex iis qui vivebant tempore datæ legis in monte Sina: et ut nulli superessent, adhuc dici poterat: iniit pactum nobiscum, id est, cum populo nostro; populus enim durat quamvis singuli cives moriantur.

4. *Facie ad faciem*. Non quasi formam, aut speciem ejus videritis, hoc enim negavit cap. 4. 12, sed facie ad faciem, id est, coram et sine internuntio, * et ita ut vocem audirent, loquentem autem non viderent.

5. *Ego sequester et medius fui*. Ergo Moses mediator fuit inter Deum et populum, ut ait apostolus ad Galat. 3. 19.

6. *De domo servitutis*. Hebr. *de domo servorum*, de ergastulo, de Ægypto, ubi durissimam serviebas servitutem.

7. *Non habebis deos alienos in conspectu meo*. LXX et chal. *præter me;* unus enim est Deus, cætera falsa sunt numina errore hominum inducta.

8. *Non facies tibi sculptile*. Superiori versiculo vetuit falsorum deorum cultum; nunc vetat eorum simulacra. Itaque imagines, quod volunt hæretici, non prohibentur, sed idola tantùm falsorum numinum.

9. *Non adorabis ea*. Inclinando te, genu flectendo, etc.

Non coles. Oblationibus, festis et sacrificiis.

Deus æmulator. Sive, ut vertunt LXX, *zelotes*, qui fornicationes hasce, et adulteria cum idolis ulciscor.

Reddens iniquitatem. Pœnam iniquitatis.

Patrum super filios. Qui vitia parentum imitantur. Vel etiam sermo est de filiis innocentibus, quos Deus propter parentum scelera temporali et corporali pœna punit ad exemplum cæterorum.

In tertiam et quartam generationem. Quantùm scili-

cet scelerum a parentibus commissorum memoria perseverat; vel numerus definitus ponitur pro indefinito, et sensus est, in multas generationes.

10. *In multa millia.* In plurimas generationes.

11. *Nomen Domini Dei tui frustra.* Vel pejerando, vel quocumque alio modo sancto Dei nomine abutendo irreverenter.

Non erit impunitus. Liptote : graviter punietur. Sic eâdem figurâ dicitur 1. Reg. 21 : *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt*, id est, maximè oberunt.

12. *Ut sanctifices eum.* Vacando ab opere servili, ut otium tibi sit divinis rebus operam dandi.

14. *Quidquam operis.* Servilis.

Et peregrinus. Etiam incircumcisus, cùm tecum est, publicum festum non violet.

16. *Honora patrem.* Amando, reverentiam exhibendo, obediendo, juvando et subveniendo.

Ut longo vivas tempore. Quasi dicat : si honores parentes, longævus vives in terra Chanaan, lacte et melle manante.

17. *Non occides.* Vetat injustam hominis occisionem, item verbera, rixas et iram.

18. *Neque mœchaberis.* Vetat omnem concubitum extra matrimonium, omnemque membrorum illorum abusum quæ generationi destinata sunt. Ex parte enim notiori et famosiori, id est, mœchiâ, sive adulterio, totum libidinis genus, omnesque ejus species intelligi voluit. Ita S. August. q. 71.

19. *Furtumque non facies.* Vetatur omnis injusta rei alienæ usurpatio.

20. *Falsum testimonium.* Sub principaliori crimine falsi testimonii cætera quæque minora ei affinia intellige, v. g., detractionem, contumeliam, irrisionem, etc.

21. *Non concupisces uxorem.* Peculiari præcepto vetatur concupiscentia uxoris et rei alienæ, quia duobus præceptis de non mœchando nec furando in eum errorem quis labi potuisset, ut crederet actus tantùm externos prohiberi.

26. *Ut audiat vocem Dei..... et possit vivere.* Sic Daniel. cap. 10. 16, ait ad angelum : *Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil remansit in me virium.*

31. *Hic sta mecum.* In monte.

32. *Neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Est proverbialis locutio quâ significatur nullo modo divinam legem transgrediendam esse.

CAPUT VI.

Dominum ex toto corde diligendum ejusque mandata sollicitè servanda et posteris inculcanda; si id fecerint, terræ fertilitas promittitur et prosperitas.

3. *Amplius*. Valde, ut habent hebr. chald. et LXX.

4. *Deus noster, Dominus unus est*. Hoc est, primum principium; unde conclusio deducitur de eo solo adorando, colendo, timendo, diligendo.

5. *Ex toto corde tuo*. Quod dicitur ex toto corde, anima, fortitudine, etc., videtur idem significare, sed pluribus vocibus explicatur ad rem magis inculcandam.

7. *Narrabis*. Hebr. *et acues*, id est, ut Vatablus et alii, iterabis, revolves, repetes hæc mea præcepta filiis tuis. Vel *acues* significat clarè, distinctè, apertè propones.

Meditaberis. Hebr. *loqueris*, sicut famulus cum hero loquitur familiariter, ut ejus mentem cognoscat, quam opere exsequatur.

Dormiens. Quando scilicet cubitum concedis, aut dum cubas.

Atque consurgens. Juxta piorum usum, qui cùm evigilarunt, primitias actionum per orationem aut meditationem Deo offerunt.

8. *Ligabis ea quasi signum in manu tua*. Judæi olim hæc omnia ad litteram, ut sonant, acceperunt, ut patet Matt. 23. 5. Verùm meliùs accipiuntur metaphoricè, ut hâc formulâ loquendi doceamur divinam legem præ oculis semper habere, nec illius unquam oblivisci.

Movebuntur. In græco est, ἀσάλευτον, *immobile*: undè suspicari licet vulgatum interpretem scripsisse, *non movebuntur*.

13. *Per nomen illius jurabis*. Si jurandum sit.

16. *Non tentabis Dominum*. Non exacerbabis peccando, murmurando, etc.

In loco Tentationis. Exod. 12. 7.

17. *Testimonia*. Leges quæ testantur quid velit Deus a nobis fieri.

20. *Cras*. Tempore futuro.

22. *Pessima*. Gravissima Ægyptiis, nocentissima.

24. *Legitima*. Lege decreta.

25. *Eritque nostri misericors*. Heb. *et justitia erit nobis*; sed justitia hic et alibi capitur pro misericordia.

CAPUT VII.

Nulla cum gentibus societas contrahenda, sed earum aræ, luci et simulacra delenda. Memoratis Dei beneficiis promittitur in omnibus auxilium et ubertas fructuum, modò Dei præcepta servent.

1. *Septem gentes.* Genes. 15. 19 et sequentibus numerantur decem gentes Chananæorum, quas expulerunt Hebræi: tres ergo reliquæ vel ante perierant, vel aliis septem permixtæ fuerunt.

2. *Non inibis cum eis fœdus.* Ut tecum in eadem terra habitent; quod malè servatum ab Hebræis, ut patet Josue 13. 13, et Judic. 1. 21.

3. *Neque sociabis cum eis conjugia.* Quamdiu manent idololatræ.

6. *Populus sanctus es Domino.* Sanctus, id est, separatus ab aliis gentibus, verique Dei religioni addictus.

Populus peculiaris. Hebr. est, *populus* סגלה *segulla*, quæ vox cimelium significat, sive rem carissimam et pretiosissimam.

7. *Junctus est Dominus.* Vobis adhæsit, vos peculiari amore complexus est, ut vox hebræa sonat.

9. *Deus fortis.* In redimendo et salvando.

Et fidelis. In servandis promissis.

10. *Reddens odientibus se statim.* Pœnam non differens, ut patuit in pœna colentium vitulum aureum, Exod. 32. 27, et concupiscentium carnes, Num. 11. 1, et in pœna Core, Dathan et Abiron, Num. 16. 31, et in pœna murmuris Mariæ, Num. 12. 10.

13. *Benedicetque fructui ventris tui.* Posteritatem tuam multiplicabit.

14. *Non erit apud te sterilis utriusque sexûs.* Non est hoc præceptum, sed est benedictio quâ conjugatis proles promittitur.

15. *Languorem et infirmitates Ægypti pessimas.* Cujus modi erant vesicæ illæ turgentes, Exod. 9. 9, et aliæ plagæ quibus Deus afflixit Ægyptum.

16. *Devorabis omnes populos.* Gladio eos consumendo, et opes eorum diripiendo.

20. *Crabrones.* Vide dicta Exod. 23. 28.

21. *In medio tuî est.* Tecum est, te adjuvat. Similis phrasis est Exod. 29. 45.

22. *Non poteris eas delere pariter.* Vide dicta Exod. 23. 29.

24. *Disperdes nomina eorum*. Ita ut ne memoria quidem eorum supersit.

25. *De quibus facta sunt*. Hebr. *quod est super ea*. quo sunt inducta et operta.

26. *Ne fias anathema*. Id est, res excidio addicta, quæ succidenda, et ad nihilum redigenda est, sicut est ipsum idolum.

CAPUT VIII.

Pergit Moses exhortari Hebræos ad legis custodiam ob beneficia accepta, quæ commemorat, et ob beneficia a Deo accipienda in ubertate terræ Chanaan, si Deo obediant; intentatque eis excidium, si Deum deserant.

1. CAVE. Id est, vide, cura: est catachresis.

2. *Ut affligeret te*. Duris rebus exerceret.

3. *Afflixit te penuriâ*. Nam in deserto Hebræi non invenerunt carnes nec segetes; imò frequenter nec olera: itaque murmurarunt, et Deus misit illis manna, ut patet Exod. 16. 3.

Sed in omni verbo. Quacumque re, quocumque cibo.

Quod egreditur de ore Dei. Quod Deus voluerit aut jusserit.

4. *Nequaquam vetustate defecit*. Divina virtute miraculum hoc operante; et mortuorum vestimenta erant usui superstitibus. * Non tantùm non attrita fuisse, sed et cum statura crevisse vestimenta tradunt Hebræi.

Pes tuus non est subtritus. Hebr. *non intumuit*. Nec pedes intumuerunt, neque læsi aut attriti sunt.

6. *Sicut erudit filium suum homo*. Paterno scilicet more te castigando ad emendationem morum, non ad exitium, ut inimici puniri solent.

9. *Cujus lapides ferrum sunt*. E cujus terræ visceribus ac fodinis ferrum eruitur lapidis duritie.

10. *Benedicas Domino*. Gratias agendo, et precationem aliquam præmittendo, antequam ad mensam accedas; nam, ut ait D. Paulus 1. ad Timoth. 4. 5, cibus *sanctificatur enim per verbum Dei et orationem*.

* 15. *Serpens flatu adurens*. Videtur significari basiliscus, quòd afflatu suo venenum adspiret et adurat.

Dipsas. Vide Num. 21. 6. Dipsas nomen serpentis cujus morsus magnam sitim excitat in eo qui ictus est: δίψα Græcis sitim significat.

16. *Quod nescierunt patres tui.* Quod patres tui non viderant, nec eo ad cibum unquam usi fuerant.

Misertus est tui. Dando tibi terram bonis omnibus affluentem.

20. *Gentes quas delevit.* Hebr. *quas delet, perdit.* Utrumque verum; partim enim deleverat, partim delebat.

CAPUT IX.

Moses refricat memoriam Hebræis eorum murmuris et peccatorum, ac præsertim adorationis vituli aurei, cujus pœnam, scilicet excidium gentis, ipse deprecatus est, idque eo fine ut deinceps caveant et futuras victorias non sibi, sed soli Deo adscribant.

1. *H*ODIE. Non multò post: est idiotismus hebræus.

Ad cœlum usque muratas. Hyperbole: altissimis muris septas.

2. *Filios Enacim.* Vide supra, cap. 1. num. 28.

3. *Transibit ante te.* Devorans et delens, ut sequitur, hostes tuos, tam efficaciter et velociter, quàm ignis ligna aut stipulam absumit.

5. *Æquitatem.* Hebr. *rectitudinem.*

Cordis tui. Mentis et voluntatis tuæ.

6. *Durissimæ cervicis.* Maximè cervicosus, rebellis et inobediens.

8. *In Horeb provocasti.* Per vituli adorationem, Exod. 32.

10. *Concio.* Cœtus populi.

18. *Procidi ante Dominum.* Non statim a confractione tabularum legis: nam priùs occidit Moses 23 millia adorantium vitulum, populum increpuit, vitulum contrivit, etc. Vide Exod. 34.

22. *In Incendio quoque.* Cùm Deus immisit ignem in eos qui ob laborem itineris murmuraverunt. Num. 11. 1.

In Tentatione. Cùm Hebræi tentaverunt Deum postulantes aquam. Exod. 17. 7.

Sepulcris Concupiscentiæ. Vide Num. 11. 34.

* 23. *Non credidistis.* Nam eò ascendere noluistis nisi præmissis exploratoribus, quod Deo displicuit, quamvis ut id fieret sit assensus. Num. 13. 3.

25. *Jacui.* Redit ad id quod supra dixerat. Aliqui putarunt Mosen ter fuisse in monte per 40 dies et 40 noctes.

26. *Domine Deus.* Similem per omnia ferè habes Mosis orationem ante descensum primum de monte cum primis tabulis lapideis, Exod. 32. num. 11. et seqq.

In magnitudine tua. Hoc est, cum magnis et admirandis prodigiis.

CAPUT X.

Pergit Moses inculcare Dei legem et metum ex tabulis legis quas Deus dedit, et in arca recludi, ipsamque arcam a levitis gestari jussit, ut per eam Hebræi fœderis et legis Dei semper admonerentur. De præputio cordis circumcidendo, peregrinis amandis, et jurando per Dei nomen.

1. *DOLA tibi duas tabulas.* Vide Exod. 34. 1, et deinceps.

Faciesque arcam ligneam. Arca constructa est a Mose post acceptas a Deo secundas tabulas legis, ut patet Exod. 34. 28, conferendo cum Exod. 37. 1; sed ante eas jussit Deus arcam fabricari, Exod. 25. 10.

6. *Filii autem Israel moverunt castra.* Quia inciderat mentio de tabulis legis et arca, hìc per parenthesim usque ad numerum decimum quædam interseruntur de levitis et Eleazaro successore Aaronis in pontificatu: opportunè autem hæc narrantur, quia hi custodes erant sacrorum, et præsertim arcæ et tabularum, quæ in Sancto Sanctorum, ut pote res sanctissima, asservabantur.

Ex Beroth... in Mosera. At Num. 33. 31, contra potiùs indicatur eos ex Moseroth castrametatos esse in Benejaacan. Cùm longissima fuerit filiorum Israel peregrinatio per desertum totis 40 annis, videtur non improbabile utrumque accidisse, ut scilicet semel ex Moseroth iverint in Benejaacan, et rursus semel hinc in Mozeroth. Ita Bonfrerius. Alii putant Mosera et Moseroth non esse idem, sicut nec Beroth Benjaacan, et Benejaacan, quamvis nomina sint similia. Ita Cornelius a Lapide. Vide Bonfrerium latè de hoc disputantem.

Ubì Aaron mortuus ac sepultus est. Bonfrerius putat montem Hor, et Mosera, et Moseroth eumdem locum fuisse, ad quem secundò redierunt Israelitæ, ita tamen ut mons solus Hor dictus fuerit, in quo Aaron obiit; adjacens verò locus, in quo castra metata, dictus fuerit Mosera, seu Moseroth.

7. *Inde venerunt in Gadgad.* Ut quæ hic dicuntur cohæreant cum iis quæ habemus Num. 33. 30, ita viderentur disponendæ mansiones ut de Hesmona itum sit in Moseroth, inde in Benejaacan, inde rursus in Moseroth, de Moseroth verò in Gadgad, ut habetur hic. Cùm autem dicitur cap. illo 33 de Benejaacan et non de Moseroth itum in Gadgad, intelligendum mediatè, transeundo scilicet rursus per Moseroth. Quòd si hoc itu et reditu ad eumdem locum crescat numerus mansionum, dici fortasse poterit non censeri diversas mansiones eas in quibus plusquam semel non multo temporis intervallo populus castra fixerit.

In terra aquarum atque torrentium. In qua multæ aquæ et multi torrentes.

8. *Eo tempore separavit.* Dominus scilicet. Particula *eo tempore* designat id quod gestum est Aarone pontifice, Num. 3. 6, licèt hic obiter ista narratio interseratur.

Ut portaret arcam. Quod communium levitarum erat, et a sacerdotibus fieri poterat, si libuisset, et fortasse fiebat, cùm solemnior aliqua pompa duceretur. Vide dicta Josue 3. 3.

Staret coram eo in ministerio. Quod erat sacerdotum qui stabant coram Domino ministrantes in tabernaculo, et sacrificantes.

Benediceret in nomine illius. Si benedicere in nomine sit idem quod benedicere nomen, hoc conveniebat etiam levitis inter quos aliqui cantores erant concinendis divinis laudibus destinati. Si benedicere sit bene precari populo, videtur tantùm ad sacerdotes pertinuisse.

9. *Dominus possessio ejus.* Quia Dei intuitu primitiæ, decimæ, et alia jura illis debentur, ad alimenta aliasque necessitates.

10. *Ego autem steti in monte sicut priùs quadraginta diebus.* Aliqui putant Mosen ter per 40 dies fuisse in monte Sina, et hanc tertiam esse vicem. Hæc non tertia, sed secunda est atque eadem cum illa de qua cap. præcedenti, num. 18. Quare hic est hysteron proteron. Hic enim versus recto ordine ponendus esset ante initium capitis.

14. *Cœlum est, et cœlum cœli.* Per cœlum intellige cœlos mobiles; per cœlum cœli, empyreum cœlum.

15. *Conglutinatus est.* Quæ metaphora vehementis amoris effectum significat.

16. *Circumcidite igitur præputium cordis vestri.* LXX, *duritiam*,

duritiam cordis. Præputium metaphoricè cordi tribuitur, et significat voluntatem pravitate, luxuria, vanitate et cæcitate obtectam et obduratam.

21. *Ipse est laus tua*. Objectum et materia laudis tuæ.

22. *In septuaginta animabus*. Hoc explicatum est Genes. cap. 46. n. 27.

CAPUT XI.

Recensentur varia Dei beneficia, multaque bona promittuntur servantibus ejus præcepta, mala autem non servantibus, hoc est, benedictio et maledictio.

2. Cognoscite. Considerate

Disciplinam. Castigationem quâ vos Deus erudivit.

4. *Deleverit eos*. Ægyptios.

Usque in præsentem diem. Omnino, ita ut nunc nemo superstes sit, qui vobis noceat.

6. *Filius Ruben*. De tribu Ruben.

Cum domibus. Cum filiis et familia.

8. *Ut custodiatis universa mandata illius*. Hoc est, quæ res vobis stimulo esse debet ad Dei mandata custodienda.

* 10 *Jacto semine*. Quod in Ægypto fit post Nili inundationem.

Ubi... aquæ ducuntur irriguæ. Hebr. *quam rigabas pede sicut hortum*; labore pedum, dum aqua portatur; vel dum huc illuc pedibus discurrendum est ut aqua areolas omnes hortorum infundat. Vidi in hortis olitores, dum per sulcos ad sua olera derivant, pedis oppositu, vel aquam sistentes, vel aliò deflectentes. * Vitruvius lib. 10. cap. 10, de rotis molendinorum verba faciens, ait illarum pennas fluminis impetu versari, *sinè operarum calcatura* : ex quo colligitur rotas aliquas fieri solitas, quæ pedum calcaturâ ad hauriendam aquam, aut ad alios usus, versarentur; et hoc fortasse est quod hic dicitur, *rigabas pede sicut hortum* ; tales enim machinæ in hortis præsertim sunt opportunæ, ad minuendum laborem olitorum, ut etiam tollenones. Philo 1, de Confusione linguarum, rem ita describit : *Qualis est aquaria machina, quæ helix vocatur, in cujus medio gradus quidam sunt, quos rusticus, quoties agros vult rigare, scandit, ac mox necessariò delabitur, et ne continuè cadat, proximum fulcrum utraque manu reti-*

net, quo totum corpus sustentat. Interim pedes manuum, manus verò pedum funguntur officio; insistit enim manibus, quarum est agere, operatur pedibus, quorum est stare.

11. *De cœlo exspectans pluvias.* Quæ si suis adsit temporibus, utilior satis est et arboribus. Hebr. *de pluvia cœli bibit aquam.*

12. *Deus tuus semper invisit.* Quasi intentus ad benefaciendum illi tempóribus opportunis.

14. *Temporaneam et serotinam.* Pluvia temporanea est quæ maturè et tempestivè mense octobri, jactis in terram seminibus, in Judæa depluit et semina germinare facit. Serotina est quæ serò mense aprili, aut maio depluit, frugesque et fructus ad maturitatem perducit. Significat ergo hæc phrasis omnem pluviam tempestivam opportunam frugibus.

18. *Suspendite ea pro signo.* Assiduè ea vobis proponite : vide dicta cap. 6. num. 8.

19. *Quando sederis in domo tua.* Ubique, omni tempore et loco.

21. *Quamdiu cœlum imminet terræ.* Proverbialis forma dicendi; significat *in æternum.* In hebr. est, *juxta dies cœli super terram.*

22. *Viis ejus.* Mandatis ejus.

24. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit* Intellige intra terminos illis a Deo assignatos; neque enim totam terram, vel quidquid ubivis terrarum vestigio premerent, voluit Deus illorum possessioni adscribi, ut suo more rabbini somniant.

26. *Propono.* Optionem do.

29. *Pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal.* Cùm Israelitæ pervenissent in montem Hebal, sex tribus in eo constiterunt, aliæ sex in primo jugo montis Garizim. Interim sacerdotes inter utrumque jugum consistentes modò benedictiones in observatores legis, modò maledictiones et diras in eam violantes jaciebant; populus verò ad singulas sive maledictiones, sive benedictiones respondebat, *Amen.* Cùm ergo benedictio pronuntiata fuerat, munus respondendi pertinebat ad eos qui erant in monte Garizim; cùm maledictio, ad eos qui erant in jugo Hebal. Itaque *pones benedictionem et maledictionem* idem est ac benedicentes, aut maledicentes, ut explicatum est. Vide infra, cap. 27, et Josue cap. 8 a num. 30 usque ad finem.

30. *Juxta vallem tendentem et intrantem procul.*

Juxta Aulon vallem in ingentem quamdam longitudinem protensam. Hæc vallis illa est quæ, Genes. 12. 6, vocatur *convallis Illustris*.

CAPUT XII.

Non in montibus et lucis, sed uno in loco quem Deus elegerit, offerendas esse victimas, decimas, primitias, et vota : ubique epulandum coram Domino. Carnes non immolatæ Deo comedi permittuntur quolibet loco, si is a templo sit dissitus, dummodo sanguine abstineant.

2. GENTES *quas*. Quarum terram et opes possessuri estis.

Subter omne lignum frondosum. In montibus, collibus, lucis, idololatræ suos colebant deos; horum ritus imitati sunt Judæi cùm in idololatriam lapsi.

3. *Nomina eorum*. Ut ne memoria quidem idolorum relinquatur, sed penitus aboleatur.

4. *Non facietis ita Domino Deo vestro*. Non imitabimini hos idololatras : legimus tamen sanctos viros nonnullos, ut Samuelem, in excelsis immolasse, haud dubiè peculiari Dei dispensatione.

5. *Ut ponat nomen suum ibi*. Tabernaculi, vel templi locum intelligit.

6. *Primitias manuum vestrarum*. Primitias frugum, quas manibus et labore vestro messuistis.

Vota. Oblationes ex voto.

Boum et ovium. Sub ovibus, ut aliàs frequenter, capras intellige; vox enim hebræa ad utramque speciem communis est.

7. *Comedetis*. De hostiis pacificis, sive de oblationibus, quibus licitum est vesci laicis. Nam hostiis pro peccato votivis et holocaustis vesci non poterant laici, ut patet Num. 18. 9 et 15. Vel etiam hìc sermo est de Israelitarum more, qui solebant in iis solemnitatibus, quibus Jerosolymam, vel ad locum tabernaculi conveniebant, ter scilicet in anno, agitare convivia, et epulas in urbe, in qua erat templum, vel tabernaculum, et hoc erat comedere, lætari, aut epulari coram Domino.

In cunctis ad quæ miseritis manum. Quæ scilicet labore vestro vobis paraveritis, in his lætabimini, epulando ex iis coram Domino.

8. *Singuli quod sibi rectum videtur*. Non enim servabant Hebræi cæremonialia hæc præcepta in deserto.

11. *In loco.* Vel hæc conjungenda cum versiculo præcedenti, hoc modo, *habitabitis in loco, etc.*, et sensus erit : habitabitis securè in loco ubì erit tabernaculum, quando ter in anno ad illud omnis Israel, juxta præceptum meum, confluet, non metuentes ne hostes fines vestros invadant. Vel, *in loco, etc.*, initium est periodi, et sensus erit, quem exhibet textus hebræus, chald. et LXX, apud quos hæc sententia ita effertur : *Et erit locus quem elegerit Dominus Deus vester, ut habitare faciat nomen suum ibi, illuc afferetis omnia, etc.*

Primitias manuum vestrarum. Aquila, Symmachus, Theodotion, *spontaneas oblationes* interpretantur.

12. *Coram Domino.* Vel coram tabernaculo, aut templo : vel in urbe in qua erit tabernaculum, aut templum.

Atque levites. Invitans ad epulas tuas levitas, ut etiam pupillos, viduas, advenas, ut dicitur infra, cap. 16. num. 11 et 14.

Neque enim habet aliam partem. Quia scilicet agros et vineas non sunt sortiti in partitione terræ.

13. *Holocausta tua.* Sub holocaustis intelligit etiam cætera genera hostiarum.

In omni loco quem videris. Ubicumque visum fuerit, nullo habito loci delectu, sitne is, in quo Deus offerri sacrificia vult, an non.

15. *Sin autem comedere volueris.* Non immolando Deo, sed comestione communi et profana.

Comede juxta benedictionem Domini Dei tui. Comede de illis quæ beneficè et largiter dederit tibi Deus. Vel, juxta opes et facultates tuas.

Sive immundum fuerit, hoc est, maculatum. Maculatum, id est, mancum ; opponitur enim integro, verbi gratiâ, si fuerit cæcum, claudum, mutilum ; hæc enim sunt maculæ victimarum, ut patet Levit. 22. 22.

Sicut capream et cervum, comedes. Sensus est, comedes quæ Domino immolari possunt, v. g., oves et boves, quamvis sint mancæ, quæ propter hunc defectum non sunt apta sacrificio, sicut capream et cervum potes comedere, quæ tamen animalia sacrificare non licet.

16. *Super terram quasi aquam effundes.* Quasi rem profanam, cujusmodi est aqua, et nullo ritu sacro.

17. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti.* D. Hieron. in Ezech. cap. 45, cùm verba fecisset de decimis quæ levitis dabantur, et de decimarum decimis, quas δευτεροδεκάτας appellari dicit, de decimis, de quibus hìc est sermo, ita scribit : *Erant quoque et*

aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israel, in suis horreis separabat, ut comederet eas, cùm iret ad templum in urbe Jerusalem, et in vestibulo templi, et sacerdotes ac levitas invitarent ad convivia.

Primogenita armentorum et pecorum. Non mascula, quæ integra sacerdotibus cedebant, ut patet Num. 18, 17; sed generis feminei, quæ licèt Deo peculiari consecratione non dedicarentur, absumebantur tamen more pacificorum, illa immolando, et in sacris illis epulis Jerosolymis consumendo, ut colligi potest cap. 14, infra, num. 23: ex quo fiebat ut etiam horum primogenitorum portio aliqua ad sacerdotes perveniret.

Et omnia quæ voveris. Ut, v. g., si quis vovisset vitulum in harum epularum usum; nam si absolutè Deo vovisset, sacerdotibus cedebant, ut patet ex Num. 18. 14, et ibi notavi.

Et primitias manuum tuarum. Fortasse accipi potest de primitiis fructuum, qui ex nova arbore, quarto a plantatione anno colligebantur, qua de re mentio fit Levit. 19. 24, quos fructus Deo fuisse consecrandos, et in his solemnibus epulis consumendos tradit Josephus l. 4 Antiq. cap. 8. Dicuntur primitiæ manuum, id est, primitiæ laboris manuum, qui labor impenditur in serendis arboribus, etc.

18. *In cunctis ad quæ extenderis manum.* In omnibus bonis et facultatibus tuis.

20. *Dilataverit... terminos tuos.* Sermo est de dilatatione Abrahæ promissa, Gen. 15. 18, usque ad flumen Euphraten, quæ vitio Israelitarum facta non est, nisi imperfectè sub Davide et Salomone.

21. *Locus autem quem elegerit Dominus.* Non quòd ii qui Jerosolymis, v. g., habitabant, solerent, ut aliqui putant, oves, boves, et capras, quas domi erant comesturi, ad sacerdotes jugulandas adducere, etiamsi ad hoc non tenerentur, ideoque absentibus indulgeatur ut propter distantiam locorum hoc non servent. Sed quòd in publico festo et epulo ea animalia, quæ vel profana mactatione poterant occidere, vel sacrâ per sacerdotes illa immolando, frequenter sacrâ occiderent; ideo monet ne irreligionis condemnarent, qui longe a templo dissiti erant, si secus facerent, et communi profanaque jugulatione conficerent.

22. *Sicut comeditur.* Poterat enim esse major ratio dubitandi an carnibus animalium, quæ Deo immolari poterant licitum esset vesci, quàm an caprea et cervo.

Mundus et immundus in commune vescentur. Intellige

de immundo legali immunditia minore ; hæc enim contagione non communicabatur ; non autem de majore immunditia, cujusmodi immundi erant qui cadaver tetigissent, seminiflui, menstruatæ, leprosi, puerperæ ; quamvis enim hi has carnes comedere possent, non tamen in communi, ne alios inficerent, nisi omnes pari immunditia immundi essent, ut fiebat cùm tota una familia erat ob cadaver hominis polluta.

23. *Sanguis enim illorum pro anima est.* Vide dicta Genes. 9. 4.

26. *Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino.* Quæ semel Deo ex præcepto, vel obligatione voti consecraveris, ac seposueris in sacras epulas consumenda, cujusmodi erant ea de quibus dictum est num. 17.

31. *Offerentes filios et filias.* Vide Lev. cap. 18. num. 21.

32. *Nec addas quidquam, nec minuas.* Vide dicta cap. 4, num. 2.

CAPUT XIII.

Jubet Deus pseudoprophetam et amicum lapidari, qui suadet cultum Dei alieni; urbem verò quæ Deum alienum coluit, funditus deleri usque ad pecora, omnemque supellectilem cum urbe comburi.

2. PROPHETES. Falsus propheta, qui se pro vero venditat. Vel propheta verus, si subversus ipse, alios subvertere conaretur.

2. *Quos ignoras.* Quos hactenus non coluisti, nec pro diis habuisti.

3. *Tentat.* Tentari permittit.

Ut palam fiat. Hebr. *ad sciendum*, quod verti potest, *ut sciat*, vel *ut sciatur ;* ut sciat, quia Deus ad modum tentantis et explorantis, seu scire volentis se gerit.

5. *De via.* De ritu vivendi et serviendi Deo.

6. *Frater tuus filius matris tuæ.* Additur hoc ad distinctionem cujuslibet Judæi, qui fratres vocabantur, quia ex eodem populo et communi patriarcharum stirpe oriundi.

9. *Statim interficies.* Non privata auctoritate, sed crimen ad judices deferendo.

Sit primùm manus tua super eum. Lapidationem exordiens, ut præcipitur infra, cap. 17. 7.

13. *Filii Belial.* Homines impii, facinorosi, diabolici,

quasi viri absque jugo a בלי *beli*, et עול *hol*, absque jugo, vel, quod idem est, *exleges*, *prævaricatores*, *summè impii*. Sumitur nomen Belial aliquando in Scriptura pro diabolo. Sic. 3. Reg. 21. 13, vertit D. Hieron. ubi pro filii Belial, dixit *filii diaboli*.

14. *Abominationem hanc*. Criminis idololatriæ.

15. *Statim percuties*. Senioribus scilicet, et inprimis supremo pontifice sententiam anathematis ferente : ad hunc enim pertinet præcedens illa veritatis inquisitio.

16. *Sit tumulus sempiternus*. Nunquam ea civitas reædificetur.

17. *Non adhærebit*. Nihil tibi reservabis.

CAPUT XIV.

Gentium ritus in funeribus cavendos : repetitur lex de animalibus mundis et immundis : præter decimas primas jubet secundas dari, et tertias.

1. *Filii estote Domini Dei vestri*. Idem his verbis significatur quod alibi, cùm dicitur: *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, Lev. 11. 44, et alibi.

Non vos incidetis. Vide dicta de hoc Levit. 19. 28.

Calvitium super mortuo. Vide dicta Levit. 19. 17. Hic in hebræo est : *Non ponetis calvitium inter oculos vestros ad mortuum*, anteriorem scilicet capitis partem pilis nudando, tondendo, aut radendo.

5. *Bubalum*. Hebræa, יחמור *jachmur*, LXX, βούβαλον. Lib. 3 Reg. cap. 4. 23, inter cibos regios Salomonis, et venatione apprehensos bubali numerantur ; quod non videtur convenire bubalis italicis, quos vernaculâ linguâ appellamus *bufali*. Plin. lib. 8. cap. 13, docet bubalos gignere Africam, vituli cervice quadam similitudine. Aristoteles bubalum cervo conjungit, quorum sanguinem negat spissari, et concrescere. His consentit Hesychius, cui βούβαλος est δορκάδιον, *parva caprea*.

Tragelaphum. Hircocervum. Animal corporis formâ cervum, cornibus et barbâ hircum referens ; de quo videri potest Plin. lib. 8. cap. 33.

Pygargum. Capreæ genus, damis simile, de quo Plinius, lib. 8. cap. 53.

Orygem. Sic etiam LXX. Alii *bovem sylvestrem*, sive *urum* verterunt. Orygem in caprarum sylvestrium genere reponit Plin. lib. 8. cap. 53. Aristot. lib. 2 de Historia animalium, cap. 1, et Plin. lib. 11. cap. 46, bisulcum et unicorne hoc animal faciunt.

Camelopardalum. Animal est camelum et pardalim referens : camelum capite et oblongo aliquantulùm collo ; pardalim, seu pantheram macularum toto corpore varietate. Vide Plin. lib. 8. cap. 18.

6. *Omne animal quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis.* Cujusmodi sunt decem species duobus versibus præcedentibus commemoratæ ; sed non dubium id etiam pluribus aliis competere.

7. *Camelum, leporem, chœrogryllum.* Vide Levit. cap. 11. num. 4 et deinceps.

13. *Ixion.* Est avis ex vulturum genere.

21. *Quidquid autem morticinum est.* De mundis scilicet animalibus : nam de immundis nihil erat opus præcipere. Vide Levit. 11. 30 et seq. Porro sub morticinis intellige etiam ea quæ casu aliquo, vel lapsu, vel suffocatione in aquis, aut aliter necabantur.

Peregrino... da, ut comedat. Gentili in gentilismo manenti, qui legibus judaicis de cibis mundis aut immundis non tenetur.

Quia tu populus sanctus. Quem nihil indecens facere convenit : hoc autem ex legis præscripto indecens et illicitum est.

Non coques hœdum in lacte. Vide de hoc Exod. 23. 19. * Quod de hœdo dicitur, ad agnos etiam et vitulos pertinere videtur propter rationis paritatem.

22. *Decimam partem.* Vide dicta supra, cap. 12. num. 17.

23. *Primogenita.* Vide dicta eodem cap. 12. num. 17.

24. *Tibique benedixerit.* Annuis proventibus locupletaverit, ut proinde cumulus bonorum in sanctam civitatem deferendus excrescat.

26. *Sive ex armentis.* Hoc est, e bobus ; ex his enim solis armenta conflabantur eorum quæ immolari et edi possent ; et in hebræo disertè bos exprimitur.

Sive ex ovibus. Sub quibus et capras intellige.

Siceram. De sicera dictum est Levit. 10. 9.

27. *Levites qui intra portas tuas est.* Qui in urbe tua habitat.

28. *Anno tertio.* LXX, μετὰ τρία ἔτη, post tres annos, ultimo anno e tribus.

Aliam decimam. Hæc decima ad templi locum deferenda non erat, sed in levitas et pauperes distribuenda.

29. *Et comedent et saturabuntur.* Hujus decimæ nullo modo erat particeps is qui eas e bonis suis dabat, sicut erat particeps earum quæ deferebantur ad epulas, quibus intererat etiam deferens.

CAPUT XV.

Lex remissionis septimi anni quomodo servanda. De primogenitis armentorum, et ovium Domino sanctificandis, et comedendis.

2. *Ab amico, vel proximo ac fratre suo.* Sermo est de Judæo qui genere frater est, ideoque amicus, et proximus; proselyti enim anno septimo non liberabantur suis debitis, sed tantùm Judæi. Porro debitum intellige ex mutuo, aut vendito, non autem ex commodato, quia hoc propriè non est debitum, sed alienum, sive res ad alium spectans.

3. *A peregrino et advena exiges.* Etiamsi proselytus sit, poteris exigere.

Civem et propinquum. Gente Judæum.

4. *Mendicus non erit inter vos.* Non est promissio, aut benedictio, sed præceptum ne quem patiantur mendicum, sed illi, aut liberaliter largiendo, aut saltem mutuò dando ferant opem. Erant quidem aliqui pauperes, qui privatim egebant, ut patet ex hoc capite num. 11; sed mendici, qui stipem colligerent, nulli, ut etiamnum fit in bene ordinatis rebuspublicis.

5. *Ego hodie præcipio tibi.* De mutuo dando, et obligatione remittenda anno septimo.

6. *Fenerabis.* Mutuum dabis, quia abundabis.

9. *Appropinquat septimus annus.* Cùm remissio debiti facienda est.

Commodare. Mutuum dare.

Fiat tibi in peccatum. Irascatur tibi Dominus, et puniat te; peccatum ponitur pro pœna peccati.

10. *Nec ages quippiam callidè.* Non dando mutuum metu adventantis septimi anni.

12. *In septimo anno dimittes eum liberum.* Vide dicta Exod. 21. 2.

16. *Sin autem dixerit: Nolo egredi.* Vide dicta eodem cap. 21. n. 6.

17. *Ancillæ quoque similiter facies.* Refer hoc ad viaticum, non ad auris perforationem, quæ in ancillis locum non habuit: vide Exod. 21. 7.

18. *Non avertas ab eis oculos tuos.* Non ages durè aut inhumaniter.

Quoniam juxta mercedem mercenarii . . . servivit tibi. Servivit tibi sex annos non minùs quàm mercenarius,

cujus operam si conduxisses, mercedem numerare debuisses. Æquum ergo est ut mercedis loco anno septimo eum manumittas cum aliquo viatico. * Vel sensus est, mercenarii ad triennium operas suas locare consueverunt, ut colligitur ex cap. 16 Isaiæ, num. 14. Ne ergo tibi grave sit servum anno septimo liberum cum donis dimittere; servivit enim tibi duplo longiori tempore, quàm mercenarii faciant. Favet textus hebræus in quo habemus, *quia duplex merces mercenarii*, scilicet illi debetur.

19. *Non operaberis in primogenito bovis.* Sermo est de primogenitis feminei generis, nam loquitur de iis primogenitis de quibus laicus vesci poterat, ut patet ex num. 20 sequenti; primogenita autem mascula tota erant Dei et sacerdotum, adeo ut nihil rediret ad eum qui offerebat, quemadmodum aliquid redibat cùm feminei generis primogenita offerebantur ritu victimarum pacificarum.

22. *Sed intra portas.* Mactando illud alia mactatione communi et profana.

Tam mundus quàm immundus. Quod locum non haberet, si animal immolatum fuisset ritu pacificorum; ex hujusmodi enim sacrificio soli mundi participare poterant. Levit. 7. 20 et seq. et alibi

---

CAPUT XVI.

De festo Phase et Azymorum, Pentecostes et Tabernaculorum, in quibus jubet ut masculi omnes sistant se Domino coram tabernaculo. De justis judicibus per singulas urbes instituendis, et de cavendis idololatriæ occasionibus.

1. *Mensem novarum frugum.* Mensem nisam, sive martium, quo in terra promissionis incipiunt spicæ hordeaceæ florescere; illa enim offerebantur in Paschate, scilicet secundo die azymorum, ut patet Lev. 2. 14, et Lev. 23. 10.

2. *Phase ... de bobus.* Phase, id est, victimas paschales, quæ in solemnitate paschali de ovibus et de bobus offerri jubentur, Num. 28. 19. Non enim potest intelligi hoc loco *Phase* de victima illa, quæ ad vesperum diei decimæ quartæ immolabatur, quia hæc non aliud quàm agnus aut hœdus esse poterat, non autem vitulus aut bos.

Ut habitet nomen ejus ibi. Ut illic colatur Deus, et invocetur nomine suo.

3. *Non comedes in eo.* Cum eo scilicet Phase.

Panem fermentatum. Totis enim septem diebus paschalibus comededant panes azymos cum agno, et aliis sacrificiis, et cibis etiam communibus.

Afflictionis panem. Vel quia monumentum afflictionis quam passi fuerant in Ægypto, vel maximè quia is panis insuavis, insipidus, et stomacho gravis est.

In pavore. Hebr. *cum festinatione:* utrumque verum; et cum pavore, et cum festinatione egressi sunt, adeo ut panes fermentatos parandi tempus non habuerint.

5. *Immolare Phase.* Propriè dictum, hoc est, agnum paschalem. Hunc tantùm in loco ubì esset tabernaculum aut templum immolare poterant.

6. *Quando egressus es.* Particula *quando* non significat præcisè tempus vesperæ, vel occasûs solis, sed totam noctem, ut sensus sit : immolabis occumbente sole ad noctis vesperam, qua nocte de Ægypto egressus es. Vel egressûs nomine intellige etiam apparatum ad egressum.

7. *Manèque consurgens.* Mane quod omnem paschalem solemnitatem exactam consequitur; nam proximo die a comestione agni longum iter capessere non poterant, quia erat dies festus.

8. *Sex diebus comedes azyma.* Septem erant dies azymorum, excluditur autem hic septimus dies, de quo statuerat mox aliquid peculiare subnectere.

Collecta est Domini. De festo Collectæ, seu cœtûs vide dicta Levit. 23. 36.

9. *Ab ea die qua falcem.* Dies oblationis manipuli designatur, qui Paschatis festum immediatè sequebatur, eratque decimus sextus mensis nisan. De hoc festo vide Levit. 23. 10. Jubentur autem numerari septem hebdomadæ ad diem Pentecostes constituendum.

10. *Festum Hebdomadarum.* Pentecostes.

Oblationem spontaneam. Supplenda vox *secundum*, vel *juxta*, secundum spontaneas oblationes quas offerre volueris.

11. *Et epulaberis coram Domino.* De hisce epulis vide dicta cap. 12. n. 17.

12. *Custodiesque ac facies quæ præcepta sunt.* Sensus est : propterea custodies ac facies, libenti scilicet animo, ex beneficiorum acceptorum memoria, quibus excitamur ad divinarum legum custodiam.

13. *Solemnitatem quoque Tabernaculorum.* De qua Levit. 23, a num. 34 et deinceps.

18. *Magistros.* Bonfrerius in Exod. cap. 18. v. 25, putat fuisse superiores quosdam judices toti uni tribui præfectos, aut certè fuisse judicum paredros et assessores quos judices consulerent, ut omnia juxta divinæ legis præscriptum fierent. Ipsum vide latè de hoc disputantem.

In omnibus portis. In omnibus urbibus et prætoriis ubi jus dicitur.

19. *Non accipies personam.* Eamdem sententiam habes Exod. 23. 8.

21. *Non plantabis lucum.* Ne videaris imitari ritus gentilium qui in honore suorum deorum lucos sacrabant.

22. *Statuam.* Qualem gentiles suis diis, vel idolis constituunt.

CAPUT XVII.

Jubet Deus hostias offerri carentes vitio, occidi idololatras; et causas legales dubias referri ad sacerdotes. Jubet regem deligi ex eorum gente; et quædam præscribit regibus servanda.

1. *In quo est macula.* Vide dicta Exod. 12. 5.

2. *Intra unam portarum.* Urbium.

Malum. Idololatriam, ut patet ex sequentibus.

* *Transgrediantur pactum.* Transgredi pactum dicuntur ii qui a religione deficiunt. Vide ad Hebr. 10. 29.

3. *Militiam cœli.* Astra, quæ sunt quasi milites Deo famulantes, et pro eo cùm opus est depugnantes.

5. *Ad portas civitatis.* Extra civitatem. Moris enim erat Hebræis extra urbem vel extra castra extremo supplicio afficiendum educere : sic et Christus, et S. Stephanus extra urbem passi sunt.

6. *In ore duorum.* Eamdem sententiam habes infra, cap. 19. 15. Chaldæus vertit, *per dictum duorum, aut trium testium reus convictus occidatur.*

7. *Manus testium.* Testes primi, deinde reliquus populus in eum mittent lapides.

8. *Inter sanguinem et sanguinem.* Si homicidii causa ambigua sit, aliis ut involuntarium excusantibus, aliis ut voluntarium et destinatum puniendum esse pronuntiantibus. Vel sensus est : si controversia difficilis et ambigua existat inter cognationes (quod enim hìc ha-

bemus, inter sanguinem et sanguinem, D. Hieron. 2. Paral. 19. 10, vertit inter cognationem et cognationem), hoc est, inter eos qui sunt diversarum cognationum, cujusmodi oriri subinde poterat vel circa possessiones, vel circa res alias, veniendum erit ad sacerdotes, etc.

Causam et causam. Litem super quacumque re.

Lepram et lepram. Aliis asserentibus lepram esse ejus generis quæ a sacris arcet, aliis verò negantibus.

* *Verba variari.* In hebræo est, *verba contentionum*, id est, si eò usque procedat judicum minorum contentio ut inter illos convenire non possit, tunc ad sacerdotes et pontificem recurrendum.

Ad locum quem elegerit Dominus. In Jerusalem ubi est templum in quo habitat Dominus, vel ante templum constructum, ad tabernaculum.

9. *Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem.* Per judicem hìc vel intellige pontificem, ut vult Vatablus et alii; vel ejus vicarium. Sanè causæ spirituales, quæ ad religionem, sacras cæremonias et similia spectabant, ad pontificem pertinebant. Reliquæ verò civiles disceptabantur a seculari judice, cujusmodi erant reges et magistratus inferiores. Verùm quia non suis legibus, sed divinis rempublicam gubernabant, si quid vel in jure vel in facto obscuritatis esset, quæ aliàs exhauriri non posset, ipsis judicibus laicis, atque adeo et ipsi regi recurrendum erat ad pontificem, ut difficultatis exortæ solutionem acciperet.

10. *Docuerint te juxta legem ejus.* Qui consulunt sacerdotem, acquiescere debent, et existimare sacerdotum et pontificis judicium datum esse juxta legem Domini : nam, ut ait Malach. cap. 2. 7 : *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est.*

12. *Sacerdotis imperio.* Pontificis.

Qui eo tempore ministrat Domino. Qui eo tempore fungitur pontificatu.

Et decreto judicis. Ejusdem pontificis cujus est ista judicare, an scilicet juxta legem fiant, necne.

Morietur homo ille. Morte punietur.

Auferes malum. Perniciosum hominem.

14. *Et dixeris : Constituam super me regem.* Non id vult Deus ut rex illis præficiatur; satis enim liquet id Deo magnopere displicuisse, cùm petierunt sibi constitui regem, 1. Reg. 8. 5 et seqq. et cap. 10. 19, et cap. 12. 17 et seqq. Si tamen id pertinaciùs petant, ac desiderent Israelitæ, indicat Deus se permissurum, uti

et postea permisit, 1. Reg. 8. 22, certis tamen conditionibus quas omnino, si regem velint, servari vult, ac præcipit.

15. *Quem Dominus Deus tuus elegerit.* Id servatum in Saulis electione; item Davidis, deinceps successione ad regnum ventum est, quamquam et Salomon e pluribus fratribus ad regnum Dei peculiari electione vocatus est.

Qui non sit frater tuus. Hebræus, *de gente tua*, ne, si alienigena sit, ad aliam religionem subditos pertrahat, utque suos amet, et ab illis vicissim diligatur. * Intellige hoc de rege electo, non de eo quem induxit necessitas, cui parendum.

16. *Non multiplicabit sibi equos.* Non vetantur equi aut eorum usus, sed nimia eorum copia: tum ne in bello illis nimiùm confidat, quia *fallax equus ad salutem*, psal. 32. 17; tum ne erigatur in superbiam; magnoque fastu et pompa incedat. Alia ratio statim subditur.

Nec reducet populum in Ægyptum. Quasi illud regnum suæ ditioni adjuncturus, equitatui suo fidens. * In hebræo, *ne redire faciat populum in Ægyptum ad multos equos habendos;* et sensus esse videtur, ne cupiat populus equorum amore in Ægyptum reverti.

Cùm Dominus præceperit vobis. Nusquam id præceptum disertis verbis in Scriptura reperitur; implicitè tamen indicatur, quia cùm injectus est sermo ab Israelitis de reditu in Ægyptum, graviter illis Dominus succensuit.

Per eamdem viam. Quæcumque via quæ ducat in Ægyptum, et sit eadem ratione termini.

17. *Non habebit uxores plurimas.* Aliquas uxores habere poterant, ut David; plurimas, ut Salomon, salvo officio non poterant.

Quæ alliciant animam ejus. Effeminent, flectant ad vitium; id etiam vetitum ne pravo exemplo rex populo noceret, neve illum nimiis impensis gravaret.

Neque argenti et auri immensa pondera. Ne rex ex cupiditate auri et opum subditos spoliet; et ne ex opibus in fastum et luxum diffluat.

18. *Describet sibi.* Philo, lib. de Creatione principis, ait debuisse regem manu propria describere. Alii censent potuisse uti aliena manu.

Deuteronomium. Quia hic liber est quoddam Mosaicæ legis compendium.

Accipiens exemplar a sacerdotibus. Ut ex incorrupto exemplari describat.

19. *Legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.* Non quòd continuè vel quotidie illud legere teneatur; sed frequenter legat, ut memor sit eorum quæ in libro illo scripta sunt.

Ut discat timere Dominum. Timor enim Dei maximè inculcatur in Deuteronomio, quod est perpetua ardensque concio Mosis, incitans Hebræos ad cultum Dei et legis observationem.

20. *Nec elevetur cor ejus in superbiam.* Ne insolescat, nec tyrannicos mores induat.

Super fratres suos. Gentem suam.

Neque declinet in partem dexteram vel sinistram. A lege Dei et rationis præscripto quacumque ratione deflectat.

Ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus. Exemplis enim ex sacris litteris discimus reges eos qui pietatem non coluerunt, aut regno excidisse, aut ad filios suos, aut certè ad longam nepotum seriem regnum non transmisisse.

CAPUT XVIII.

Sacerdotibus et levitis pro possessione cedunt oblationes et sacrificia. Caveri jubet omnem superstitionem, nec divinos consuli, aut maleficos, sed prophetam quem eis promittit audiri.

1. *Non habebunt sacerdotes.* Vide supra, Num. 18. 20.

3. *Hoc erit judicium sacerdotum.* Hoc erit quod de jure debetur sacerdotibus.

Offerunt victimas. Intellige hoc de pacificis.

Sive ovem. Cum qua intellige et capram; vox enim hebræa utramque complectitur.

Armum ac ventriculum. Armum et pectusculum, ut habetur Exod. cap. 29. num. 27, et Levitic. cap. 7. num. 31.

4. *Primitias.* Græci vocant ἀφαίρεμα, quæ vox oblationem, seu potiùs id quod aufertur et seligitur, significat: debebat hoc esse non minus parte sexagesima fructuum.

Et lanarum partem. Primitiarum titulo, nam lanarum detensio inter annuos fructus et proventus censetur.

5. *Nomini Domini.* Ipsi Domino.

6. *Si exierit levites.* Si levita devotione ductus, et

cupiens extra vices suas reliquo vitæ tempore ministrare Deo in tabernaculo, ut fecit Samuel.

7. *Qui stabunt*. Per vices ministrabunt.

8. *Partem ciborum eamdam accipiet*. Intellige vel alimenta ex ærario templi, vel ex aliqua decimarum portione a pontifice seposita in levitarum actu ministrantium alimenta.

Ex paterna ei successione. Habere enim poterant in urbibus suis domos, suburbana, armenta, etc.

10. *Ducens per ignem*. Exurens in honorem Moloch, de quo Lev. 18. 21.

Ariolos sciscitetur. Ab iis responsa et divinationes quærens.

Observet somnia. Superstitiosè existimans illis futura significari, aut exspectans a dæmone responsum per somnium, aut ex visis nocturnis, quæ nullam habent cum rebus agendis connexionem, consilium capiendo.

Auguria. Non solùm ex avium garritu, volatu, pastu, sed alio quocumque modo omnia rerum futurarum auguria captando.

Maleficus. LXX, *veneficus*, præstigiator, ut indicant hebræa.

11. *Incantator*. Qui susurris quibusdam, et mussitationibus mira quædam facit.

Pythones. Pythones propriè dicebantur ii qui dæmonem responsa dantem haberent in ventre, vel ipsi dæmones e ventre loquentes. LXX appellant ἐγγαστρίμυθους, *ventriloquos*.

Nec divinos. LXX, τερατοσκόπον, *portentorum inspectorem*. Alibi eamdem vocem hebraicam vertunt, γνώστην, *gnostem*, cognitorem scilicet rerum arcanarum, qui profitetur se talia nosse, earum causas et significationes.

Quærat a mortuis veritatem. Quod necromanticorum est, qualis mulier illa erat, quæ Sauli Samuelem suscitavit, 1. Reg. 28. 11.

13. *Perfectus eris et absque macula*. In divino cultu et religione quam nullis superstitionibus gentilium maculabis, ut patet ex versu sequenti.

15. *Prophetam de gente sua.... suscitabit tibi Dominus*. Vel sensus est, Dominus subinde prophetam suscitabit tibi, qui te doceat; vel dabit tibi Messiam Christum eximium prophetam, doctorem, legislatorem.

Prophetam... sicut me. Dicitur *sicut me*, id est, 1. quoad ducatum populi et legislationem; 2. quia liberabit ex servitute Ægypti, diaboli scilicet, et vitiorum;

3.

3. quia nos in terram beatorum deducet, ut Moses populum in terram promissionis; 4. quia multa patrabit miracula, ut Moses in Ægypto; 5. quia sicut cum Mose loquebatur Deus ore ad os familiariter; ita et cum Christo, idque longè excellentiùs; erat enim Christus quoad naturam humanam Verbo Dei, Deoque intimè unitus.

16. *Quando concio congregata est.* Quo die totus populus ad accipiendam a Deo legem ad montis Sinai radices convenit. Exod. 20. 21.

18. *Ponam verba mea in ore ejus.* Hoc et prophetis convenit, et etiam Christo qui de se ipso dicebat, Joan. 14. 10: *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor.*

20. *Ex nomine alienorum deorum.* Revelatione aut responso a dæmonibus accepto.

21. *Responderis.* Objeceris.

22. *Et non evenerit.* Quæ enim Deo inspirante prædicuntur a prophetis, ea semper eveniunt: neque enim Deus mentitur, aut mentiri potest.

Non timebis eum. Nec minas aut prædictiones illius. LXX, *non abstinebitis ab eo*: manus scilicet ultrices, sed, ut par est, curabitis ut pœnas debitas luat.

CAPUT XIX.

De urbibus refugii, et quinam in eis jure asyli gaudere possint. De veris falsisque testibus, et de terminis possessionum non transferendis.

2. *Tres civitates separabis.* Sermo est de civitatibus refugii, quæ transito Jordane constituendæ restabant; tres enim jam Moses ipse constituerat.

3. *Sternens diligenter viam.* Ne impedita sit, et fugam retardet ad asylum confugientium.

4. *Qui percusserit. . . . nesciens.* Soli enim involuntario homicidæ et inculpato concedebant jus asyli. Vide Num. 35. 11.

5. *Simpliciter.* Absque dolo vel fraude.

6. *Proximus ejus.* Cognatus occisi.

Percutiat animam ejus. Percutiat eum, occidat.

Nullum. . . . odium priùs habuisse monstratur. Ex quo capitur conjectura non dolo, sed casu occisum.

8. *Dilataverit.* Vide dicta supra, cap. 12. 20.

Sicut juravit patribus tuis. Abrahæ facta est ista pro-

missio, Genes. 15. 18, terminis etiam undequaque assignatis: eadem deinde confirmata Isaac, Genes. 26. 3, et Jacob, Genes. 28. 13, et 35. 12.

9. *Si tamen custodieris.* Ex quo patet promissionem hanc non absolutè, sed cum conditione, quæ hic exprimitur, factam.

Addes tibi tres alias civitates. Si dilatatio illa, de qua num. 8, futura erat extra Chananæam, etiam civitates hæ tres addendæ, extra Chananæam eligendæ erant.

10. *Ut non effundatur sanguis.* Quod factu proclive esset, si asyla longè abessent.

Ne sis sanguinis reus. Ob hanc legem neglectam.

12. *Seniores civitatis illius.* Non civitatis refugii, sed civitatis occisi.

13. *Auferes innoxium sanguinem.* Innoxii sanguinis culpam et reatum tolles ab Israel, qui reatus tamdiu adhæret populo israelitico, quamdiu impunita ea cædes relinquitur.

14. *Terminos proximi tui.* Terminos agrorum, vicinum submovendo, et quæ illius sunt occupando.

15. *Stabit omne verbum.* Confirmabitur omnis accusatio, omne dictum, omnis res.

16. *Prævaricationis.* Culpæ contra legem admissæ.

17. *Ambo, quorum causa est.* Tam accusator quàm reus, inter quos controversia est.

Ante Dominum. In loco ubi erit tabernaculum aut templum.

In conspectu sacerdotum et judicum. Causæ cognitione ad sacerdotes rei provocatione devolutâ, vel a judicibus laicis juxta præscriptum hujus legis remissâ.

19. *Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit.* Lege talionis.

Auferes malum. Calumniatorem vel calumniam.

21. *Animam pro anima.* Vitam pro vita, etc.

CAPUT XX.

Quinam imminente pugna sint domum remittendi: jura belli quomodo servanda: quæ arbores cædendæ ad machinas instruendas.

5. *Et non dedicavit eam.* Et nondum eam inhabitavit. Vox hebræa significat *dedicare*, *initiare*, eademque in templi, altarisque dedicatione usurpatur, et in genere quotiescumquè cum solemni aliquo ritu, vel convivio rei cujuspiam usus inchoatur.

6. *Necdum fecit eam esse communem.* In hebr. *necdum profanavit eam.* Commune Hebræis idem significat, quod immundum aut pollutum. Porro vitis et alia quævis arbor ante annum quintum censebatur quodammodo sacra; neque enim tribus annis primis licebat ejus fructus attingere, donec anni quarti fructus Domino fuissent consecrati, ut habetur Levit. 19. 24; quo facto, anno tandem quinto incipiebat fieri communis, et per communem usum quodammodo a sacro ad profanum usum transire. Simpliciùs dici potest hìc *commune* illud appellari, quod cùm priùs esset intactum, jam usu et tactu quodammodo profanatur: talis vinea, de qua in suos usus dominus nondum fructus decerpsit; est enim impolluta, et, ut sic loquar, quodam sensu quasi virgo.

7. *Et non accepit eam.* Necdum nuptias celebravit, aut domum non deduxit, aut eam adhuc habet virginem, nec eam attigit.

10. *Ad expugnandam civitatem.* Sermo est de civitatibus extra terram promissam.

Offeres ei primùm pacem. Invitabis ad deditionem pacificam et incruentam. * Nimirum ut Terentius ait:

Omnia priùs experiri, quàm arma, sapientem decet.

13. *In ore gladii.* Vide dicta Exod. 17. 13.

14. *Absque mulieribus.* A mulierum enim et infantium cæde in bello temperandum est, quanquam aliqui sunt casus in quibus etiam hi possunt interfici. Sic factum, Num. 31. 17. * *Puerum ætas excusat, feminam sexus*, ut ait Seneca lib. 3 de Ira, cap. 24.

Jumentis et cœteris. Cur enim ista vastentur, quæ nihil commerita sunt?

16. *Quæ dabuntur tibi.* Intra terræ promissæ terminos.

Nullum omnino permittes vivere. De hominibus tantùm hoc intellige, non de animalibus et jumentis.

19. *Arbores de quibus vesci potest.* Arbores frugiferas. * Pythagoras apud Jamblicum præcipiebat ἥμερον φυτον, καὶ ἔγκαρπον μήτε βλάπτειν, μητε φθειρειν, *stativam et fructiferam arborem nec lædere, nec perdere.*

Quoniam lignum est. Quia tibi in bello nocere non potest.

CAPUT XXI.

Leges de homicidio occulto, muliere in bello capta, filio contumaci, et eo qui suspensus est in ligno.

2. EGREDIENTUR *majores natu et judices.* Præmissâ tamen de auctore cædis inquisitione sedulâ. Majores verò natu et judices, de quibus hic sermo, erant magistratus oppidorum vicinorum agro in quo cædes facta erat.

Metientur. Si constabat de locorum distantia, non erat necessariò adhibenda dimensio.

3. *Et quam viciniorem cæteris esse perspexerint.* In hanc enim cædis præsumptio cadebat ratione vicinitatis.

Quæ non traxit jugum. Fortasse ad indicandum occisorem virum fuisse sinè jugo legis, quales Scriptura vocat filios Belial. Vide dicta supra, cap. 13. 13. Vitula hæc cædenda homicidæ typum gerebat, in cujus locum, cùm ille non reperiretur, mactabatur.

4. *Ad vallem asperam atque saxosam.* Hebr. *ad vallem ethan*, quod tamen nomen proprium non est, sed appellativum, significans locum quemcumque depressum, et ut additur, inaratum et incultum. Locus hic asper et confragosus occisoris animi duritiem refert; cavitas vallis malitiæ profunditatem designare potest.

Cædent in ea cervices vitulæ. Nulla in hac cæde censenda est fuisse ratio sacrificii.

5. *Accedentque sacerdotes.* Non ut judicent, cùm reus inventus non sit, sed ut manus lavent super vitula simul cum magistratu civitatis ac senioribus.

Et benedicant in nomine ejus. Vide dicta cap. 10. num. 8.

Omne negotium. Lis, controversia.

6. *Lavabuntque manus suas super vitulam.* Vitulâ interfectâ in valle, cadaver hominis fortasse jacere potuit in agro; vel ergo cadaver deportatum ad vallem vitulæ, vel vitula ad locum cædis ubi cadaver.

7. *Nec oculi viderunt.* Nescimus auctorem cædis; si sciremus, non pateremur inultum.

8. *Redemisti.* Educens de Ægypto.

Et ne reputes sanguinem. Ne populo imputes innocentis cædem, ab eoque pœnas repetas.

Auferetur ab eis. Senioribus populi.

Reatus sanguinis. Non erunt rei effusi sanguinis, non illis imputabitur peccatum, nec illius pœnam luent.

9. *Tu autem alienus eris*. Alloquitur Moses populum, cui homicidium, si non expietur, imputabitur.

11. *Volueris que habere uxorem*. Sermo est de ea quæ ad judaicam religionem transire parata est; alioqui Judæis vetitum erat cum gentilibus matrimonia jungere.

12. *Radet*. Cur istæ usurparentur cæremoniæ, varia dicuntur. Probabilius eas pertinere ad luctum et funebrem habitum, quod etiam satis patet ex num. 13 ubi illi indulgetur ut per unum mensem patrem ac matrem suam fleat.

Cæsariem. Permittitur hoc gentili captivæ, ut gentis suæ more raso capite mortuos fleat; alioqui enim Hebræis id erat vetitum Deut. 14. 1.

Circumcidet ungues. Fortasse etiam hoc servabatur a gentilibus in mœroris argumentum. Textus hebr habet, *faciet ungues*, quod videtur significare, crescere sinet. At LXX et Vulgatus et Philo, resectos ungues significant.

13. *Deponet vestem*. In luctu vestis mutabatur. 2. Reg. 14. 2, dicitur: *Lugere te simula, et induere veste lugubri*.

Uno mense. Tamdiu enim mortuos lugere solebant, ut patet in funere Aaronis, Num. 20. 30, et Mosis, Deut. ult. 8.

14. *Non sederit animo tuo*. Non placuerit.

Quia humiliasti eam. Pudicitiam ejus deflorando * Es hæc qualiscumque expletæ libidinis pœna, quòd dominu belli jure factus, feminam cognitam nec vendere pote rat, nec ad serviles operas adigere, sed aut ducere eam debebat, aut liberam dimittere.

* 16. *Substantiam.... dividere*. Jus ergo pater habebat assignandi cuique filiorum suas portiones donando, sive testando, quæ valebant usque ad jubilæum. Ecclesiastici 33. 24, dicitur: *In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitûs tui distribue hæreditatem tuam*.

17. *Dabitque ei.... cuncta duplicia*. Hoc enim jus duplicis in hæreditate portionis præ cæteris fratribus afferebat jus primogenituræ.

Principium liberorum. Vide similem dicendi formulam explicatam Genes. 49. 3.

* 18. *Filium contumacem*. Quia lex satis dura, et, ut loqui solemus, odiosa, strictam accipit interpretationem, ut scilicet non porrigatur ad filiam, nec ad puerilem ætatem, quòd malitiæ non adeo sit capax, nec ad filios emancipatos.

Coercitus. Parentum monitionibus, reprehensionibus, castigationibus.

19. *Ad portam judicii.* Olim enim juxta portas civitatum prætoria constituebantur, et judicia exercebantur; cujus rei passim exempla occurrunt in Scripturis.

22. *Appensus fuerit in patibulo.* Quod ambiguum est an intelligendum sit de affixione in cruce, an de suspensione per funem intercluso spiritu, ut modo passim fieri solet. Latè hìc Bonfrerius de hoc disputat.

23. *Quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno.* Homo suspensus ob genus supplicii infame Deo quodammodo est exsecrabilis, et maledictus, quia Dei etiam ipsius judicio summâ infamiâ notatus. Et ipsa mors per suspendium in dedecus quodammodo Dei, et ignominiam cedit, quòd homo ad Dei similitudinem factus, tanquam luce hac indignus tam atroci turpique supplicio fuerit afficiendus.

CAPUT XXII.

De misericordia exercenda in res proximi; de veste alterius sexûs; de invento nido; de circumdando tecto domûs; de non commiscendis rebus diversi generis; de signis virginitatis; de adulterio; de corrupta in urbe, vel in agro; de uxore patris non ducenda.

1. BOVEM *fratris tui.* Sub bove intellige equum, mulum, et alia animalia; par enim omnium est ratio.

Et præteribis. Negliges, quasi non videris.

2. *Etiamsi non est propinquus.* Imò verò etiamsi sit inimicus, ut disertè habetur Exod. 23. 4.

5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea.* Ratio est quia dedecet et contra dignitatem est virilis sexûs, si vestem muliebrem assumat. Adde quòd hæc vestitûs mutatio multis nequitiis viam aperiret.

6. *Nidum avis inveneris.* Ratio hujus legis fuit ut per eam inducerentur Judæi ad pietatem et misericordiam etiam in bestias exercendam, *quò faciliùs*, ait Tertullianus lib. 2 contra Marcion. 17, *in pecudibus et bestiis præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.*

7. *Ut bene sit tibi.* Provocans in te vicissim divinam benignitatem et misericordiam.

8. *Facies murum tecti per circuitum.* Tecta domo-

rum apud Judæos fiebant plana ut in ipsis ambulare et versari liceret. Jubet ergo ut septo et peribolo claudatur ea area quæ in tecto est, ne quis lapsu de tecto devolvatur.

9. *Sanctificentur.* Est antiphrasis : polluantur, non tam legali contaminatione quàm physica, corrumpendo et perdendo utrumque dum nimia densitate sibi mutuò officiunt.

10. *In bove simul et asino.* Ratio est quia eorum vires sunt inæquales; itaque asinus associatus bovi plùs æquo gravaretur; et quia totum onus in eum recumberet aratri, propter humilitatem corporis ipsius.

11. *Vestimento quod ex lana linoque.* Vide Levit. 19. 19.

12. *Funiculos in fimbriis.* Vide dicta Num. 15. 38.

14. *Objiciens ei nomen pessimum.* Quod vitium sibi afferri sit passa.

Non inveni virginem. Cùm tamen se pro tali venditasset.

17. *Signa virginitatis.* Linteum sanguine tinctum, quem ex primo congressu cum virgine ab illa profluere aiunt medici.

18. *Verberabunt illum.* De more Judæorum, scilicet inflictis quadraginta, uno minùs, flagellorum ictibus. Vide infra, cap. 25. 3.

19. *Et non poterit dimittere eam.* Si ipsa in conjugio perseverare voluerit, ut ait Philo.

22. *Si dormierit vir cum uxore alterius.* Vide Levitic. 20. 10.

23. *Si puellam virginem desponderit vir.* De desponsata de futuro intelligenda est hæc lex, ut a præcedenti sit diversa; vel certè de præsenti, sed necdum cognita.

24. *Quia non clamavit.* Ex illo enim clamoris neglectu consensisse præsumitur.

Uxorem. Mox futuram.

26. *Puella nihil patietur.* Ex loci enim circumstantia præsumitur non consensisse, sed vim passam esse.

27. *Clamavit.* Præsumitur clamasse, vel certè a clamore cessasse, quòd nullum auxilium speraret.

28. *Apprehendens.* Vim inferens, ut habent LXX. Est casus diversus ab illo qui habetur Exod. 22. 16: ibi enim agitur de concubitu non vi extorto, sed fraude, blanditiis, promissis matrimonii impetrato.

Res ad judicium venerit. Delata a parente vel curatore, seu eo cujus interest.

29. *Quinquaginta siclos.* Ob injuriam in ipsum violenta filiæ defloratione admissam.

Et habebit eam uxorem. Philo, lib. de specialibus Legibus addit a constupratore dotem puellæ constituendam, quod ex alio casu simili, Exod. 22. 16, fit verisimile.

30. *Uxorem patris sui.* Eamdem legem habes Lev. 20. 11.

CAPUT XXIII.

De iis qui ab ecclesia Dei arcendi sunt, vel in eam admittendi; de pollutione nocturna; de loco ad necessaria naturæ deputando; de servo fugitivo; de mercede prostibuli; de fugienda usura erga fratres; de voto; de vinea et segete proximi.

1. NON *intrabit... ecclesiam Domini.* Intrare ecclesiam idem est quod in civium numerum censeri, et de populo israelitico reputari, perinde ac si ex duodecim patriarchis oriendus esset, atque ideò utì et cæteros cives munerum et dignitatum publicarum capacem fieri. Hac igitur lege sancitur ne quis eunuchus in israeliticum populum admittatur, quantumvis judaismum complecteretur.

2. *Mamzer, hoc est, de scorto natus.* LXX, *ex meretrice*, ἐκ τῆς πόρνης. Fortassis sermo est tantùm de alienigenis mamzeribus; hos enim inter suos, viles et contemptibiles propter pudendos natales, non vult admitti in ecclesiam, etiamsi religionem judaicam suscipiant, nisi post decimam generationem.

Usque ad decimam generationem. Inclusivè. Undecimus ergo nepos ex mamzere, diuturnitate temporis abstersâ maculâ, ingredi poterat.

3. *Ammonites et Moabites.* Hi nunquam in ecclesiam admittebantur: intellige, nisi tam præclara essent viri alicujus Ammonitæ vel Moabitæ merita, ut contra rationem videretur eum a Dei populo repellere. Sic admissus Achior, Judith 14. 6.

6. *Nec quæras eis bona.* Cum eis non communicabis quoad convictum et commercia temporalia.

7. *Frater tuus est.* Iisdem majoribus natus, Isaac scilicet et Abraham.

Advena fuisti in terra ejus. Et aliquo tempore ibi populus benignè habitus est.

8. *Tertia generatione.* A suscepta lege judaica.

9. *Custodies te ab omni re mala.* Ab omni flagitio, et injustitiâ, et peccato; militia enim magnam occasionem et licentiam pravè agendi suppeditat.

10. *Egredietur extra castra.* Bonfrerius hoc intelligit de templo aut atrio, ita ut qui sacerdos, v. g, pollutus fuisset, extra hæc septa egredi deberet; qui verò intus non esset, pollutione prohibente ingredi non posset.

11. *Lavetur aquâ.* Non ea lustrali, cujus compositio describitur Num. 19; sed aqua vivente, fluviali scilicet, vel fontana.

12. *Habebis locum extra castra.* Id constitutum partim ob naturalem honestatem, partim ob sanitatem.

13. *Paxillum.* Breve aliquod instrumentum ad effodiendam terram.

Cùmque sederis. Cùm alvum dejeceris.

14. *Quo relevatus es.* Excrementa.

Enim Deus tuus ambulat in medio castrorum. Scilicet propter arcam.

15. *Non trades servum domino suo.* Si dominus mancipium suum injustè vexet, ne tradas donec ira resederit.

17. *Non erit meretrix.* Prohibentur meretrices quæ pretio vulgant corpora et prostibula.

18. *Non offeres mercedem prostibuli.* Ut solebant ethnici apud quos meretricius quæstus idolis consecrari consueverat.

Nec pretium canis. Pariturae canem generosum, v. g., venaticum ex quo qui proles expetunt, Domino pretium dant : hoc pretium ut indecorum offerri prohibetur; vel nomine canis publica meretrix intelligitur, quæ cynicâ ac prorsus caninâ impudentiâ corpus vulgat.

Quidquid illud est quod voveris. Quasi dicat : non solùm non offeres pecuniam illam, sed nec aliam quamlibet rem quam voveris, pretio illo comparabis.

20. *Sed alieno.* Deo concedente, qui omnium Dominus est, et illa cui voluerit, dare potest.

Commŏdabis. Mutuo dabis.

21. *Non tardabis reddere.* Nisi fortè voti exsecutio certo cuidam tempori fuerit alligata; tunc enim in illud differri potest.

24. *Ingressus vineam.* Eadem ratio videtur de aliis aliarum arborum fructibus.

CAPUT XXIV.

Libellus repudii permittitur : misericordia in debitores pauperes commendatur : non neganda, aut differenda merces operario : de judicio in causis et advenæ pupilli : de reliquiis messis et vindemiæ.

1. HABUERIT. LXX, *cohabitaverit*. Chaldæus, *concubuerit*.

Propter aliquam fœditatem. Sive vitium sit corporis, sive animi, quæ fœditas quædam moralis est.

Scribet libellum repudii. Quo citra peccatum, Deo ita dispensante, solvebatur matrimonium. Erat autem hic liber charta, vel schedula quæpiam, quam maritus dabat uxori, eique potestatem faciebat abeundi quò vellet et nubendi cui vellet.

2. *Alterum maritum duxerit*. Quod soluto matrimonio priori licitè facere poterat.

4. *Quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino*. Quia ex conjunctione cum secundo marito indecentia quædam existit, sinè qua non possit ad priorem maritum redire : videretur enim primus maritus non ex animo in repudium consensisse, sed potiùs alteri eam, in temporariam separationem consentiendo, concedere voluisse, ut corpore uxoris suæ abuteretur. Itaque reditus hic ad primum virum damnatur, et abominabilis Domino dicitur. * Antequam tamen cum secundo consummatum esset matrimonium, recipere illam non erat vetitum.

Ne peccare facias terram tuam. Ne simili permissione et conniventia terra vestra peccatis polluatur.

5. *Vacabit... domui suæ*. Ut opportunus et tempestivus conjugii usus conjugibus concedatur, et amor inter eos magis firmari possit. Similis lex habetur supra, cap. 20. 7.

6. *Inferiorem et superiorem molam*. Sensus est non esse auferenda pignoris loco ea sinè quibus homo vivere non potest, cujusmodi sunt tam inferior mola quàm superior: alterutrâ enim sublatâ frumentum commoli non potest.

Quia animam suam apposuit tibi. Hebr. et LXX, *quia animam suam dat in pignore*, id est, rem sinè qua vitam tueri non potest.

7. *Sollicitans fratrem suum*. Ut videlicet frater, id est, proximus se ei subjiciat, eumque sequatur ad alieni-

genas quibus eum vendat, vel *sollicitans*, id est, vexans eum, in servitutem rapiendo. In hebræo, chaldæo, LXX habetur, *cùm repertus fuerit vir furans animam.*

8. *Ne incurras plagam lepræ.* Quam Deus immittet, si sacerdotum imperiis protervè inobediens fueris: hoc enim supplicio solebat Deus rebellionem et protervíam in sacerdotes vindicare: habes exemplum in Maria sorore Mosis, Num. 12. 10, et in Ozia rege, 2. Paral. 26. 19.

10. *Non ingredieris domum.* Ratio legis est ne creditor quam rem velit pro libito accipiat in pignus, fratremque contristet; sed electio pignoris tota debitori permittatur.

12. *Non pernoctabit apud te pignus.* In hebræo, chald. et LXX, *non dormies in pignore ejus*, seu, *cum pignore*; quod intellige, si ejusmodi sit ut illo ad dormiendum ac sese nocte tegendum pauper indigeat, ut si stragulum aut vestimentum sit. Voluit Dominus tam brevi concessione pignoris avertere creditores ne illa a debitoribus acciperent, quæ licèt quotidie accepta, quotidie reddenda essent.

13. *Et habeas justitiam.* Misericordiam, quæ aliquando in Scripturis justitia appellatur, quia justorum est propria; cùm e contrario viscera impiorum sint crudelia, ut dicitur Proverb. 12. 10.

15. *Et ex eo sustentat animam suam.* Pauperes enim operarii in dies vivunt, ipsi, et ipsorum familiæ.

16. *Unusquisque pro peccato suo morietur.* Dei tamen jussu, qui vitæ et mortis est Dominus, aliquando filii propter peccata parentum necati sunt, ut filii Achan, Josue 7. 24, et filii Saulis, 1. Reg. 28.

17. *Non pervertes judicium advenæ et pupilli.* Hi enim injuriæ magis opportuni esse solent.

18. *Memento quòd servieris in Ægypto.* Ut malis eruditus, aliis compatiaris; et, ut memor beneficii divini quo ex Ægypto eductus es, hac recordatione ad obediendum Domino exciteris.

19. *Quando messueris.* Jubetur hìc et Levit. 19. 9, ut spicilegium et racematio, ut etiam olivæ, quæ post collectionem in arboribus reliquæ fuerint, relinquantur pauperibus. Josephus, 4. Antiq. 8, ait etiam deditâ operâ aliquid pauperibus fuisse dimittendum.

CAPUT XXV.

Quot plagis reus cædendus : bovi trituranti os non alligandum : semen fratri suscitandum : pœna mulieris viri rixantis verenda apprehendentis : de justitia in ponderibus et mensuris ; de Amalecitis delendis.

2. PROSTERNENT. LXX, καθιεῖς αὐτὸν : *inclinabis eum*, scilicet ad humilem columnam.

3. *Ut quadragenarium numerum non excedant.* Ita D. Paulus : *Quinquies*, inquit, *quadragenas unâ minùs accepi*, 2. Cor. 11. Judæi, ne quadragenarium numerum excederent, etiam intra illum se continebant, 39 plagis tantùm inflictis.

4. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges.* Bobus olim utebantur ad trituram, ut patet ex illo Osee 10. 11 : *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Vetat ergo ligari os bovi trituranti, quia par est ut animalia laborantia comedant. Hoc loco utitur Paulus 1. Cor. 9. 9, ad probandum prædicatores Evangelii ex sua prædicatione vivere posse ; quamvis enim ad litteram de bobus hæc lex intelligatur, primaria tamen Dei intentio in mysticum sensum ferebatur, quem explicat S. Paulus loco citato.

5. *Quando habitaverint fratres simul.* Id est, quando ejusdem tribûs et familiæ fratres fuerint, qui in eodem loco habitare solent, videlicet ubi familiæ est hæreditas; sive hi utrumque parentem eumdem haberent, sive alterum duntaxat, sive aliter ejusdem familiæ fratres dici potuerint.

Suscitabit semen. Prolem quæ fratris defuncti nomen et stirpem propaget.

6. *Nomine illius.* Fratris defuncti. Hebr. est, *primogenitus stabit nomine fratris sui.* Nomine, id est, loco fratris sui. Sic Booz filium ex Ruth susceptum non appellavit Mahalon, quo nomine prior Ruth maritus vocabatur, sed Obed. Ratio verò totius hujus legis fuit ne familiarum israeliticarum numerus minueretur, nec hæreditates tribuum et familiarum confunderentur, quod accidisset si viduæ alienis viris nupsissent ; bona enim sua in exteras familias transtulissent.

7. *Ad portam civitatis.* Ubi judicia exercebantur.

9. *Tollet calceamentum de pede ejus.* Hæc cæremonia, ut etiam consputatio, ad ignominiam inurendam

pertinebat. Aliqui censent hanc calcei depositionem juris sui spoliationem aut cessionem significare.

Qui non ædificat domum. Id est, familiam ; qui non suscitat prolem fratri suo.

12. *Abscides manum illius.* Ratio hujus pœnæ est, tum quia pudendum et ignominiosum est hoc muliebre facinus; tum quia læso hoc membro, generationis et posteritatis fons omnis intercipitur.

13. *Diversa pondera.* Sic Proverb. 20. 10, dicitur : *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum.*

18. *Quomodo occurrerit tibi.* Historiam habes Exod. 17 ; nulla tamen ibi mentio de cæso extremo agmine : quod ibi dictum non est hic suppletur a Mose.

Et non timuerit Deum. Populum Dei violando, et a tergo, et ex insidiis invadendo.

19. *Delebis nomen ejus sub cœlo.* Idem Exod. 17. 14, præcipitur, et factum postea a Saule, 1. Reg. 15.

CAPUT XXVI.

Primitiæ ac decimæ ubì et quibus persolvendæ, et quâ verborum formâ : excitat Moses Israelitas, ut Deo serviant et obediant.

1. *Obtinueris eam.* Quod factum est septimo anno ab ingressu in Chanaan.

2. *Primitias.* Annuas, quæ in festo Tabernaculorum offerendæ erant, ut patet Num. 18. 12. Vide ibi dicta.

Pones in cartallo. Cartallus cophinus est seu corbis in angustum desinens in ima sua parte.

4. *Ponet ante altare.* Quadam oblationis specie.

5. *Syrus.* Laban socer Jacobi, qui habitabat in Mesopotamia Syriæ, Genes. 28. 5.

Qui descendit in Ægyptum. Non statim, sed aliquot post annos.

In paucissimo numero. Septuaginta hominum, filiorum scilicet suorum ac nepotum.

Crevitque in gentem magnam. Vide Exod. 1. 7.

7. *Humilitatem nostram.* Humiliationem, afflictionem.

8. *In ingenti pavore.* LXX, *in visionibus magnis.*

10. *Adorato Domino Deo tuo.* Humiliando se coram altari, et orando ut Deus eum dirigat in bono.

11. *Epulaberis.* De his epulis dictum supra, cap. 12. num. 7.

12. *Quando compleveris decimam cunctarum frugum.* De his decimis vide Deut. 14. 28.

13. *Quod sanctificatum est.* Decimas quas sanctificari, id est, separari, et tibi in pauperibus alendis offerri mandasti.

* *Abstuli ... de domo mea.* Integras extuli, et hùc attuli, nec quidquam ex his domi remansit.

14. *Non comedi ex eis in luctu meo.* Non comedi ex eis immundus existens, ex luctu et funere, quod illicitum est; neque enim quæ in victimas pacificas oblata sunt, ea immundi gustare possunt, ut patet Levit. 7. 20.

Nec separavi ea in qualibet immunditia. Non solùm ego immundus non fui, sed etiam quod obtuli mundum exstitit; a qualibet immunditia illud removi secrevique, ne contaminaretur.

Nec expendi ex his quidquam in re funebri. Vetitum enim erat ex his decimis Deo sanctificatis detrahere, aut in usum profanum, aut in convivium, pompamve funebrem, sepulcri erectionem, etc., impendere.

16. *Ex toto corde.* Omni animi studio et contentione.

17. *Dominum elegisti hodie, ut tibi sit Deus.* Renovando et confirmando fœdus antea cum Deo factum.

19. *Et nomen.* Et famam.

CAPUT XXVII.

De altari lapideo erigendo et lege lapidibus inscribenda, et cœremonia benedictionis in monte Garizim, et maledictionis in monte Hebal.

2. INGENTES *lapides.* Fortasse duodecim pro numero duodecim tribuum; nec fuerunt iidem hi lapides cum lapidibus altaris.

Levigabis eos. Hebr. *linies*, vel *incrustabis eos calce.*

3. *Omnia verba legis hujus.* Deuteronomii scilicet. * Id propterea factum, ut hoc novo ritu fœdus cum Deo instauraretur in primo terræ promissæ ingressu, et Israelitæ his solemnibus benedictionum pollicitationibus ac maledictionum interminationibus, ad accuratiorem legis divinæ observationem excitarentur.

5. *De lapidibus quos ferrum non tetigit.* Rationem hujus præcepti vide supra, Exod. 20. 24.

7. *Comedesque ibi, et epulaberis.* De pacificis scilicet hostiis sacro epulo instituto.

8. *Planè et lucidè*. Clarè et distinctè.

9. *Hodie factus es populus Domini Dei tui*. Explicatum hoc præcedenti cap. num. 17.

12. *Hi stabunt ad benedicendum populo*. Vide dicta cap. 11. 29.

Joseph. Ephraim et Manasse.

14. *Levitæ*. Sacerdotes.

Excelsa voce. Ut exaudiri possent saltem a primis qui responderent, Amen, quos reliquus totus cœtus voce consona comitaretur.

15. *Sculptile*. Idolum e ligno aut lapide, quod fit sculpendo aut dolando.

Conflatile. Idolum ex metallis, quæ conflantur et in idoli figuram conformantur.

Ponetque illud in abscondito. Ut clam colat. Hæc ergo maledictio etiam in peccantem occultè jacitur.

Omnis populus. Sex tribus designatæ ad conclamandum benedictionibus cùm benediceretur, et sex aliæ cùm malediceretur.

16. *Qui non honorat*. Hebræa vox et græca significantior est: nam significat eum, qui contemnit, despicit, ignominiâ afficit, ἀτιμάζων.

17. *Qui transfert terminos proximi sui*. Ut quæ illius sunt occupet, illo submoto.

18. *Cæcum*. Sic Levitici 19. 14: *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum*.

19. *Pervertit*. Perversè judicando in gratiam potentioris.

20. *Revelat operimentum lectuli*. Res turpis pudenter et honestis verbis exprimitur.

25. *Ut percutiat animam*. Ut vitam auferat.

CAPUT XXVIII.

Multiplex benedictio promittitur legem servantibus; violantibus verò multiplex maledictio intentatur.

1. *Si autem audieris*. Convenit materia hujus capitis cum cap. 26 Levitici: in utroque enim, et benedictiones legum observatoribus, et maledictiones violatoribus inferuntur.

Excelsiorem cunctis gentibus. Felicitate, opibus, imperio.

3. *Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro*. Hoc est, in omnibus bonis, seu quæ habueris in civitate, seu quæ in agro prosperaberis.

4. *Benedictus fructus ventris tui.* Feliciter liberos procreabis. * Eximiè impletum est hoc in B. Virgine Christi matre.

5. *Reliquiæ tuæ.* Quæ ex bonis asservanda in futurum reposueris; hoc enim significare videtur propriè vox hebræa, vel certè locum in quo ista reponuntur.

6. *Ingrediens et egrediens.* In omnibus actionibus et negotiis tuis.

7. *Per septem fugient.* His verbis significatur pavor et perturbatio, cùm scilicet sinè consilio et ordine res geritur, et quæ cuique sese obtulerit ad fugam via, sinè ulteriori discussione arripitur.

9. *Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum.* Constituet, stare faciet, sive habebit te constanter pro populo suo, vel perget habere te pro populo electo suo.

10. *Quòd nomen Domini invocatum sit super te.* Quòd populus Dei sis et voceris.

12. *Thesaurum suum optimum.* Sic et Job. 38. 22, dicitur: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?*

Fenerabis. Mutuum præ opibus dare multis poteris.

13. *Constituet te Dominus in caput, et non in caudam.* Hoc est quod dixerat num. 1, *excelsiorem cunctis gentibus*: est forma dicendi adagialis.

15. *Audire.* Obedire.

16. *Maledictus eris in civitate.* Vide supra, num. 3.

20. *Famem.* Vocem hebræam מארח *meerach*, alibi S. Hieronymus vertit egestatem, vel penuriam. LXX alicubi verterunt, κατάραν *maledictionem.* Alii vertunt *corrosionem* sive *infortunium.*

Esuriem. Vocem hebræam מהומה *mehuma*, D. Hier. aliis locis vertit *interfectionem*, *cædem*, *interitum*, *pavorem*, *terrorem*, *tumultum*, *insaniam.*

Increpationem. LXX, *consumptionem*; radix enim, ex qua vox hebræa deducitur *increpare* et *perdere* significat: bene noster vertit, *increpationem;* nam increpatio Dei qua in aliquem iratus insurgit, consumptionis causa est.

22. *Ardore.* LXX ἐρεθισμὸν habent, quæ vox significat *irritationem*, *pruritum*, *rosionem*, quæ in corpore ex ardore provenire solet.

Æstu. Vox hebræa etiam *siccitatem* significat et gladium.

Rubigine. Qui morbus est segetum, qui oritur vento orientali ingrediente spicas. LXX, ὤχραν vel ὤχριαν, id est

est, pallorem, verterunt, alibi ἀνεμοφθορίαν, *venti* sive *aeris corruptionem*.

23. *Sit cœlum.... æneum*. Ut non pluat imbrem, quò sata irrigentur, sed durum sit æris instar.

Terra.... ferrea. Dura, arida, sterilis ac si esset ferrea.

24. *Imbrem terræ tuæ pulverem*. Ut, cùm aquâ pluviâ indigeas, quâ mollescat solum, omnia contraria tibi contingant, arido pulvere, loco imbris, delato.

26. *Sitque cadaver*. Extremæ cujusdam calamitatis apud Judæos habebatur sepulcro caruisse, et a bestiis devoratum fuisse.

27. *Ulcere Ægypti*. De quo ulcere vide Exod. 9. 9.

Et partem corporis, per quam stercora egeruntur. Hæmorrhoidas intelligit, vel alium ani morbum. Videtur ille esse quem passi leguntur Philisthæi 1. Reg. 5. num. 6, 9, 12, quandoquidem omnibus iis locis eadem vox hebræa habetur, quæ hoc loco est.

28. *Amentia et cæcitate*. Cæcitate mentis.

29. *Palpes in meridie*. Etiam hæc de mentis tenebris accipienda sunt.

Non dirigas vias tuas. Inopiâ consilii res tuas malè et imprudenter tractes, tibique proinde infeliciter omnia eveniant.

30. *Et non vindemies eam*. Hebr. *et non profanes eam*. Vide supra, cap. 20. num. 6.

31. *Immoletur*. Mactetur, occidatur: ne itaque intelligas hoc de sacra aliqua immolatione.

32. *Et deficientibus ad conspectum eorum*. Ita ut oculi tui tabescant conspecta dura filiorum servitute.

Non sit fortitudo in manu tua. Ad eos eripiendos.

36. *Diis alienis, ligno et lapidi*. Sive exemplo indigenarum provocatus, sive regum illius regionis imperio ac terrore compulsus, quod Israelitis contigisse cognoscimus, Dan. 3.

37. *Eris perditus*. Hebr. chald. *eris in desolationem, proverbium et fabulam*.

40. *Defluent*. Decident ante maturitatem.

43. *Advena.... ascendet super te*. Hebr. *advena ascendet super te sursum sursum, tu autem descendes deorsum deorsum*.

44. *Ipse fenerabit tibi*. Ipse erit dives, tu pauper.

Ipse erit in caput, et tu eris in caudam. Vide supra, num. 13.

46. *Signa atque prodigia*. Insignes atque portentosæ calamitates.

47. *Propter rerum omnium abundantiam.* Id est, cùm tamen Deus bona omnia affluenter suppeditaret, quæ res meritò abs te hoc in Deum obsequium deposcebat.

48. *Jugum ferreum.* Gravissimum, durissimum. * Hæc per Chaldæos eis contigisse, et quidem in pœnam idololatriæ, ostendit Jeremias cap. 5. n. 15, et totis Threnis.

49. *In similitudinem aquilæ volantis cum impetu.* Quæ ut aquila celerrimè et violentissimè advolat, ut te deprædetur. Innuitur hìc dominatus Babyloniorum, et Nabuchodonosor, qui Ezech. 17. 3, comparatur aquilæ.

50. *Gentem procacissimam.* Hebr. *gentem fortem facie*, perfrictæ frontis, barbaram, audacem et inhumanam.

53. *Comedes fructum uteri tui.* Id factum est in excidio Jerusalem sub Tito.

54. *Luxuriosus.* Luxui et deliciis deditus.

Invidebit. Ne det, negabit, vel abscondet reliquias filii præ fame devorati.

57. *Illuvie secundarum.* Membranarum quibus fœtus involvitur in matris utero.

De medio feminum ejus. Partem corporis significat ex qua fœtus erumpit cùm in lucem prodit.

* *Comedent enim eos.* Vide Thren. 4. 10, et 4. Reg. 6. 28, et quæ Josephus narrat in obsidione hierosolymitana.

64. *A summitate terræ.* Ab extremitate.

65. *Deficientes oculos.* Tabescentes præ tristitia.

66. *Vita tua quasi pendens.* Eris semper de vita tua dubius.

68. *Reducet te Dominus classibus in Ægyptum.* Non jam terrestri itinere, ut aliqua spes sit elabendi, sed navibus, ut effugere non possis.

Et non erit qui emat. Tam multi eritis, et tam vilia capita vos esse existimabunt. Hegesippus, lib. 5 Excidii, cap. 47, ita de Judæis scribit post captam a Tito Hierosolymam : *Plurimi venales, sed pauci emptores : quia Romani in servitutem Judæos dedignabantur, nec Judæi supererant qui redimerent suos.*

CAPUT XXIX.

Pergit Moses Hebræos adhortari ad Dei legem servandam, partim beneficiis et promissis commemorandis, partim minis et terroribus incutiendis.

1. *Verba fœderis.* Innovati, instaurati, et juramento firmati. Vide infra, num. 12.

2. *Vocavitque Moyses omnem Israel.* Omnes rursus adesse jussit; neque enim verisimile omnia quæ hoc libro habentur a Mose uno spiritu, nulla interposita quiete, esse dicta.

3. *Tentationes magnas.* Punitiones et flagellas Ægyptiorum.

4. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens.* Quia vos cor, aures, oculosque mentis clausistis; unde vitio vestro factum est ut non intelligeretis magnitudinem divinorum beneficiorum, et quænam essent partes officiumque vestrum erga Deum.

5. *Non sunt attrita vestimenta.* Vide dicta supra, capit. 8. num. 4.

6. *Panem non comedistis.* Quia manna fuit illis in cibum. Aliquando tamen edisse panem et vinum bibisse credibile est, sed non frequenter, cùm agerent in deserto.

Ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester. Qui norim servos meos alere mirabili modo, etiam cùm frugum aut carnium copia deest.

9. *Ut intelligatis universa quæ facitis.* Prudenter agatis.

10. *Vos statis hodie cuncti.* Oportebat enim ut omnes ad susceptionem legis et fœderis convenirent, quia quod omnes attingit ab omnibus probari debet.

Principes vestri. Principes tribuum.

Doctores. Quos supra, cap. 16. num. 18, appellavit magistros. Vide ibi dicta.

11. *Et advena.* Multi enim Ægyptii eos sequebantur. Aliqui etiam erant mancipia ipsorum Hebræorum.

Exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas. Quos necessarium ministerium adesse non patitur. In hebræo tamen, chaldæo, et LXX est, *a lignorum cæsore usque ad comportantem aquam tuam;* quasi nullus planè abfuerit. D. Hieronymus videtur particulam מִן *min* pro *præter* accepisse.

12. *Ut transeas in fœdere.* Ut fœdus ineas. Vox illa, *transeas*, videtur indicare renovationem fœderis per

transitum inter partes divisas victimarum, ut factum in fœdere Dei cum Abraham, Genes. 15. 10. Vide ibi dicta.

Et in jurejurando. LXX, *in imprecationibus.* Vide dicta eodem cap. 15. Genes. num. 10.

13. *Ut suscitet te sibi in populum.* Vide dicta cap. 28. 9.

* 15. *Præsentibus et absentibus.* Cum iis qui nati sunt et nascentur. Fœdus enim est ad gentem totam pertinens. Sic dicunt reges se dare feuda huic et posteris ejus qui nondum nati sunt.

16. *Per medium nationum.* Idumæos, Madianitas, Ammonitas, Moabitas.

18. *Sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.* Sit quispiam qui sibi et aliis sit causa idololatriæ, quæ fel et amaritudo appellatur, vel quia Deo ingratissima, vel quia idololatris fructus amaros procreat, videlicet gravia supplicia.

19. *Benedicat sibi in corde suo.* Falsa spe lactet se, et sibi cuncta prospera polliceatur, seque impunitum fore existimet.

Et ambulabo. Licèt ambulavero.

Et absumat ebria sitientem. Proverbium est. In hebræo est, *ut addatur ebria sitienti.* LXX habent, *ut non simul perdat peccator innocentem.* Cornelius particulam, *non*, a textu LXX tolli posse putat, cùm non sit in hebræo, et sensus erit : peccator sibi promittat impunitatem, et cùm ipse sit ebrius iniquitate, integrum et innocentem absumat; vel, ut alii legunt, assumat in communionem sui criminis, eum sollicitando et trahendo ad idololatriam. * Ne ebria trahat secum sobriam ad saltandum. Bonfrerius putat in hoc proverbio subintelligendam vocem substantivam *terra; absumat terra ebria sitientem*, et sensum esse : terra pluviis inebriata perdat seipsam, quæ priùs sitiens erat. Habetque locum proverbium hoc, quotiescumque quis quidpiam desiderat, quod, cùm deinde illi conceditur, perniciem illi creat. Ad rem nostram applicando adagium, sensus erit : qui sibi impunitatem promittit, sibique indulgendo sceleribus quodammodo, et idololatriâ, quam sitiebat, sese inebriat, grande malum sibi accerset, et se planè perdet.

20. *Furor ejus fumet.* Verti potest, *nasus ejus fumet:* vox enim אַף *aph*, iram et nasum, qui sedes est iræ, aut in quo eminet, significat : loquitur de Deo humano more.

23. *Sulphure et salis ardore comburens.* Hæc enim sterilem terram faciunt. Sic Judic. 9. 45., Abimelech Sichimam destructam sale seminat, ut sterilis efficiatur.

In exemplum. Ad similitudinem.

26. *Quos nesciebant*. Quos antea non colebant nec cognoscebant pro diis.

Quibus non fuerant attributi. Quibus non fuerant ipsi tanquam pars, possessio, hæreditas, vel proprium peculium attributi.

29. *Abscondita Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris usque in sempiternum*. Hæc flagella futura, prævisa et decreta a Deo, sint abscondita Deo, ut scilicet ea non norit, ut infligat nobis; hæc, inquam, flagella, quæ minitans intentavit et prænuntiavit nobis et filiis nostris, ut eorum metu legem ejus servemus in sempiternum.

CAPUT XXX.

Pergit concionari Moses, promittitque eis reditum ex captivitate, si ad legem Dei redeant. Docet legem Dei eis esse ad manum: proponit eis vitam et mortem, bonum et malum; et ad hoc testes invocat cœlum et terram.

1. BENEDICTIO *sive maledictio*. Benedictio, si legem servaveris; maledictio, si violaveris.

4. *Si ad cardines cœli fueris dissipatus*. Cœli cardines sunt poli arcticus et antarcticus, vel quælibet mundi extrema plaga.

6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum*. Cordis desideria noxia auferet.

8. *Reverteris*. Vel ad terram tuam, vel ad Deum.

9. *Revertetur enim Dominus*. Qui antea per peccata aversus fuerat eosque deseruerat.

Ut gaudeat super te in omnibus bonis. Ut delectetur tibi beneficia præstando.

11. *Mandatum hoc*. Tota hæc Deuteronomii lex.

Non supra te est. Ut possis te excusare, quasi nequeas et nosse quæ præcipiuntur, et effecta dare.

14. *Sed juxta te est sermo*. Habes legem Dei ad manum, ut in corde ac memoria habere discendo, et ore pronuntiare possis.

15. *Proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario malum et mortem*. Huc allusit Ecclesiasticus 15. 17: *Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam*.

19. *Testes invoco*. Sic et Isaias suam prophetiam a

simili invocatione exorditur, et paulò post Moses, cap. 32, suum canticum.

20. *Ipse est enim vita tua et longitudo dierum tuorum.* Ipse est qui hæc tibi largitur.

CAPUT XXXI.

Moses Josue sibi sufficit in populi ducatu : Deuteronomium scribi jubet, et in arce servari.

1. ABIIT *itaque Moyses, et locutus est.* Id est, addidit ergo, vel cœpit loqui Moses verba quæ sequuntur; Hebræi enim per *egredi*, *abire*, *surgere*, sæpe intelligunt *incipere*.

2. *Egredi et ingredi.* Ducem agere.

3. *Dominus ergo Deus tuus transibit ante te.* Arca Dei præcedet te, sicut et postea factum Josue 3; imò et Deus invisibiliter præibit, ut inimicos tuos prosternat.

Josue iste transibit ante te. Præcedet, ducis munus exercens.

9. *Legem hanc.* Deuteronomium.

Et tradidit eam sacerdotibus. Horum enim erat legem scire, ac populum docere, et in anno remissionis populo prælegere.

Qui portabant arcam. Qui portare poterant, si volebant, et de facto aliquando studio pietatis et religionis contestandæ et exercendæ causâ portabant; cùm alioqui hoc munus levitarum esset. Additur hoc de arca, quia liber hic, ut infra habetur, num. 26, in latere arcæ poni debebat.

10. *Anno remissionis.* Septimo quoque anno. De anno remissionis vide Exod. 23. 11.

13. *Filii quoque eorum.* Parvuli qui nihil adhuc noverunt, ideoque pariter ignorant hanc Dei legem.

14. *State in tabernaculo testimonii.* In atrio ante ostium tabernaculi, quia tabernaculum ingredi soli poterant sacerdotes.

Ut præcipiam ei. Ut rerum gerendarum præcepta illi tradam.

17. *Abscondam faciem meam ab eo.* Vultum benevolum, protectionem aliaque beneficia subtraham.

19. *Canticum istud.* Quod sequenti capite describitur.

Sit mihi carmen istud pro testimonio. Quod vel eorum improbitatem et ingratitudinem coarguat, vel punitionem infligendam contestetur, ne se vel non de flagi-

tio admonitos, vel de suppliciis non præmonitos queri possint.

20. *Detrahentque mihi.* Spernent me, contumeliis afficient. In hebr. chald. et LXX habetur, *exasperabunt me.*

21. *Respondebit ei canticum istud pro testimonio.* Eos de improbitate redarguet, et meritò puniri ostendet.

Scio enim cogitationes ejus. LXX, *malignitatem.* Vox hebræa animi figmentum et imaginationem significat, quasi dicat: scio non deesse qui mala cogitent, non obstantibus tot maledictionibus, contestationibus.

Hodie. Junge *scio. Scio hodie.*

23. *Præcepitque Dominus Josue.* Hoc loco primùm incipit Dominus alloqui Josue, ut ei auctoritatem apud populum adjungat, et ut jam Mose morituro ei populi præfecturam confirmet.

26. *In latere arcæ.* Non tamen intra arcam.

27. *Contentionem tuam.* Rebellionem, contumaciam, cervicis duritiem.

28. *Invocabo contra eos cœlum et terram.* Testes futuros tantæ impietatis.

29. *Per opera manuum vestrarum.* Actiones vestras.

30. *Audiente universo cœtu.* Domino senilem vocem adaugente, ut ad omnium aures deferri posset.

Verba carminis hujus. Sequentis cantici.

CAPUT XXXII.

Canticum Mosis, quo Dei recenset beneficia, populique ingratitudinem sæpius a Domino castigatam: jubetur Moses montem Abarim conscendere, ut promissam terram contempletur.

* 1. AUDITE, *cœli.* Testes invocat semper mansuros, et eos per quos Deus sua judicia erat exsecuturus. Vide supra, cap. 5. 26, et cap. 28. 12 et 23. Æneas apud Virgilium lib. 12:

> Esto nunc, sol, testis, et hæc mihi, terra, precanti.

Deinde Latinus:

> Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro.

2. *Concrescat.* Defluat, distillet; nam vox hebræa propriè distillare significat. Porro D. Hier. vertit, *concrescat*, quia ut e cœlo stillent pluviæ necesse est priùs vapores concrescere.

Ut pluvia. Quemadmodum enim pluvia plurimis minutis guttis defluens terram infundit; ita cantici hujus plures sententiæ sæpius repetitæ et cantatæ corda Hebræorum molliant, penetrent ac bene afficiant.

3. *Date magnificentiam*. Magnificate, magnitudinem ejus prædicate.

4. *Omnes viæ ejus judicia*. Omnia quæ agit justa sunt.

6. *Et non filii ejus*. Id est, facti sunt.

In sordibus. Propter sordes, peccata scilicet et idololatriam.

5. *Qui possedit te*. Tanquam propriam hæreditatem, et peculium.

7. *Memento dierum antiquorum*. Hebr. *dierum seculi*, Revoca in memoriam dies ex quo mundus esse cœpit.

Cogita generationes singulas. Quæ sibi successerunt, illas percurrendo, et quid in illis acciderit reputando.

Dicent tibi. Beneficia scilicet quæ in sequentibus commemorantur.

8. *Quando dividebat Altissimus gentes*. In Babel, hominibus in varias terræ plagas divisis.

Quando separabat filios Adam. Aliis aliò dimissis.

Constituit terminos populorum. Jam tunc cogitavit de populo israelitico, et decrevit illi attribuere terram populorum Chananæorum.

Juxta numerum filiorum Israel. Quæ regio numero filiorum Israel par esset, illisque alendis sufficeret.

9. *Pars autem Domini populus ejus*. Quasi dicat, nec hoc contentus, voluit sibi populum hunc peculiariter eligere, quem foveret et ornaret.

Funiculus hæreditatis. Portio peculiaris Dei: alluditur ad modum dividendæ et mensurandæ terræ, ductis funiculis, ut olim fiebat.

10. *Invenit eum in terra deserta*. Non fortuitò, sed ex destinato, ut eum sibi adjungeret, et perpetuò devinciret.

Circumduxit eum. Per desertum.

Et docuit. Dando legem et vitæ præcepta, vel castigationibus erudiendo.

Quasi pupillam oculi. Diligentissimâ et intentissimâ curâ.

11. *Sicut aquila provocans ad volandum*. Docens et instituens ad volatum

Et super eos volitans. Ut exemplo proposito volare condiscant. Sic Hebræi in Ægypto quasi nidulo conclusi non audebant egredi; Deus verò illos excitavit ut inde quodammodo evolarent.

Portavit in humeris suis. Peculiare hoc est aquilis;

aliæ enim aves, cùm pullos suos transferunt, unguibus apprehendunt.

12. *Dominus solus dux ejus fuit.* Per columnam nubis et ignis.

13. *Super excelsam terram.* Non sitûs eminentiâ, sed soli fertilitate. Loquitur Moses de re futura tanquam de præterita, respiciens tempus quo canticum hoc erat ab Israelitis decantandum.

Mel de petra. Apes enim in cavis petris, et cavernulis in tofo excavatis sponte mellificant, et in Palæstina et alibi.

Oleumque de saxo durissimo. Oleis etiam in confragosis locis feliciter provenientibus, et magnam baccarum copiam fundentibus.

14. *Cum adipe agnorum.* Agnis optimis et pinguissimis.

Et arietum filiorum Basan. Arietum pinguium in regionis Basan pascuis inerrantium.

Cum medula tritici. Tritico electissimo et præstantissimo.

Sanguinem uvæ. Vinum rubore sanguinem referens.

15. *Incrassatus est dilectus.* Opibus, deliciis, luxu.

Salutari suo. Hebr. *salute sua.*

In diis alienis. Eos colendo.

17. *Dæmoniis et non Deo.* Dæmoniis qui non sunt Deus.

Diis quos ignorabant. Qui ante ignoti illis erant.

Novi recentesque venerunt. Dii novi humana adinventione introducti sunt.

19. *Filii sui et filiæ.* Israelitæ et Israelitides.

20. *Abscondam faciem meam ab eis.* Misereri et benefacere desinam.

Et considerabo novissima eorum. Exitus calamitosissimos eis immittam, et eorum interitu me pascam.

21. *In eo qui non erat Deus.* Idolum colendo quod divinitate carebat.

In vanitatibus suis. Idolis quæ vanitates et mendacia passim in Scriptura appellantur.

In eo qui non est populus. Provocabo eos ad invidiam et zelotypiam, eligens mihi ecclesiam ex gentibus quas Hebræi ne populi quidem nomine dignantur. Vel *qui non est populus*, scilicet Dei.

22. *Ignis succensus est in furore meo.* Ira mea supra modum exarsit.

Et ardebit usque ad inferni novissima. Nihil relinquet intactum, ad ipsas etiam extremas inferni regiones perveniet. Sunt locutiones metaphoricæ et hyperbolicæ.

Montium fundamenta comburet. Montium profundissimas radices comburet, easque in sterilitatem vertet.

23. *Sagittas meas.* Plagas quibus eos quasi sagittis configam.

Complebo in eis Hebr. *consumam*, vel *exhauriam* : tam multas calamitatum sagittas immittam ut pharetra mea quodammodo exhauriatur.

24. *Devorabunt eos aves.* Sermo est de hominibus viventibus qui ab avibus quantumvis rapacibus devorari non solent; quanquam carnivoras aliquas, ut aquilas et vultures, aliquando in homines involasse incredibile non est, et si Deus immittat, sanè proclive.

Cum furore. Pagninus vertit, *cum veneno.*

Trahentium super terram. Trahentium se, quod reptilia faciunt, serpentes scilicet.

26. *Dixi : Ubinam sunt?* Hebr. *exterminabo eos.* LXX, *disperdam eos*, ut scilicet de eis quæri possit: Ubinam sunt?

Cessare faciam ex hominibus memoriam. Delebo memoriam.

27. *Sed propter iram inimicorum distuli.* Distuli propter inimicos iratos et vindictæ cupidos, quibus si justitiæ meæ ministris in hac ultione usus fuissem, eam non mihi, ut sequitur, sed sibi arogarent, quasi suis viribus effecissent.

28. *Gens absque consilio est.* Qui sibi victorias tribuunt absque consilio et prudentia sunt.

29. *Utinam saperent.* Divinam in hoc manum agnoscentes.

Ac novissima providerent. Quid ipsis tandem propter superbiam hanc aliaque scelera eventurum sit.

30. *Quomodo persequatur unus mille.* Quî fieri possit, nisi divina virtute cui proinde victoria adscribenda est.

Vendidit eos. Vendere in Scriptura non infrequenter significat tradere.

Conclusit illos. In manibus scilicet inimicorum suorum.

31. *Non enim est Deus noster ut dii eorum.* Qui peccata dissimulet et non puniat.

Et inimici nostri sunt judices. Cujus rei inimici nostri testes esse possunt, qui divinæ ultionis vim experti sunt ipsi, et quid peccantes Israelitæ passi sunt, non ignorant.

32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ.* Populus hic, qui fuerat mihi vinea electa,

factus est vinea Sodomorum, degenerans in vitia, et pessimus evadens.

Uva eorum uva fellis. Fructus quos producunt, opera scilicet eorum fellea sunt, amara, pessima.

33. *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Non tantùm sunt mala eorum opera, sed venenata, et præsentissimam afferentia perniciem, alios scilicet inficiendo, et ad impietates trahendo.

34. *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?* Non propterea quòd ultionem differo scelerum populi oblitus sum; hæret memoria illorum, et tandem in vindictam erumpet.

35. *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.* Meum est, qui justus sum, hæc ulcisci, quod faciam suo tempore.

Ut labatur pes eorum. Ut corruant et pereant.

36. *Judicabit.* Ulciscetur et puniet.

Et in servis suis miserebitur. Puniet noxios; puros a scelere et integros non eodem cum impiis excidio involvet. Vel quos punivit, pœnitentiâ tandem ductos, iterum fovebit, quippe servos ac filios suos.

Videbit quòd infirmata sit manus. Videbit eos omnem planè potentiam defecisse ad resistendum, scilicet inimicis.

Et clausi quoque defecerunt. Mœnibus et arcibus inclusi.

Residuique consumpti. Ad paucitatem redacti.

37. *Et dicet.* Per prophetas suos.

Ubì sunt Dii eorum? Idola gentilium, in quibus sperastis.

38. *De quorum victimis comedebant adipes.* Insultando hoc dicit; nam in vero et ordinato Dei cultu omnis adeps victimarum a nemine comedi, sed soli Deo adoleri debebat, ut patet Levitic. 3. 17.

Et bibebant vinum libaminum. Quod soli Deo libari et effundi debebat.

39. *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Quos voluero.

40. *Levabo ad cœlum manum meam.* Id est, jurabo. Hæc et sequentia usque ad versum 43 videntur dirigi ad hostes populi judaici.

Vivo ego in æternum. Per vitam meam, quæ æterna est, juro.

41. *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Cùm paravero gladium ultionis meæ, ut sicut fulgur terreat, et citissimè penetret.

Et arripuerit judicium manus mea. Cœpero exercere judicium et ultionem.

42. *De cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis.* Puniam gentes propter fusum cruorem occisorum Israelitarum, et propter eosdem Israelitas in captivitatem abductos, et propter nudata capita rasione in morem mancipiorum, eorumdem Israelitarum gentibus inimicorum.

43. *Laudate, gentes, populum ejus.* O gentes, dum hæc intelligitis, laudate populum Domini, eò quòd tam propitium et justum habeat Dominum.

Sanguinem servorum suorum. Siquidem et boni cum malis in communi plaga affligebantur et cædebantur. Vel per suos intelligit resipiscentes, quos tamen inimici vexare pergebant.

44. *Ipse et Josue.* Ita ut in canendo adjutorem haberet Moses Josuam, jam in imperio collegam et successorem, idque eo fine ut Josue condisceret officii sui esse populum ab omni idololatria avertere.

46. *Ponite corda vestra.* Animum advertite.

Quæ ego testificor. Seriò prædico, adhibitis testibus cœlo et terrâ.

47. *Ut singuli in eis viverent.* Per eorum observationem feliciter viverent.

49. *Abarim, id est, transituum.* Vox *transituum* a D. Hieron. addita est ut explicaret quid significaret *Abarim.*

In montem Nebo. Nebo erat jugum vel cacumen montis Abarim.

50. *Jungeris populis tuis.* Morieris, congregaberis ad populum tuum, ut alibi loquitur Scriptura.

51. *Quia prævaricati estis.* Vide num. 20.

52. *E contra.* E regione.

CAPUT XXXIII.

Moses moriturus benedicit Israeli et singulis tribubus, eisque ventura prædicit.

1. *Homo Dei.* Homo divinus, homo totus ad Dei voluntatem factus.

2. *Dominus de Sinai venit.* Cùm inde nobis legem dedit et promulgavit.

De Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan. Dicitur de Seir ortus, et de Pharan apparuisse, quòd

ab ea parte, in qua ad montem Sinai existentibus Hebræis cernebantur juga montis Seir et Pharan, quæ in eadem eremo conspicua erant, visus sit primò divinus splendor apparere, et paulatim ad montem Sinai accedere, ubi tandem resedit, totumque montem nebulâ, fumo, igne complevit.

Sanctorum millia. Angelorum scilicet.

Ignea lex. Quia Deus eam ex igne, seu monte igneo et ardente dedit Israeli. Dicitur lex ista in dextera ejus esse, ad modum scilicet dantis, vel eam dare volentis.

3. *Dilexit populos*. Vel positus est numerus pluralis pro singulari; vel per populos intelligit israeliticas tribus quarum unaquæque integri populi instar habebat. Hæ tribus vocantur populi et gentes, Genes. 48. 19.

Omnes sancti in manu illius sunt. Totus populus Dei cultui dedicatus, illique sepositus et sanctificatus, sunt in manu, id est, potestate et gubernatione Dei.

Et qui appropinquant. Verti potest, *qui appropinquaverunt*.

Pedibus ejus. Ad radices montis, ex quo a Deo lex dabatur. * Verùm quia ex hebræo etiam verti potest, *ipsi juncti sunt ad pedem tuum*, sensus esse potest, *ipsi sunt discipuli tui*; mos enim discipulorum sedere ad pedes magistrorum est. Vide Act. cap. 22. num. 3: et sequitur explicatio, *accipient de doctrina illius*.

Accipient de doctrina illius. Verti potest, *acceperunt de doctrina illius*, sanctam scilicet legem qua ad omnem honestatem vitam componerent.

4. *Hæreditatem multitudinis Jacob*. Hoc est, quæ quasi hæreditario jure sit ad Jacobi posteros transitura, et in eo populo permansura.

5. *Erit apud rectissimum rex*. Verti potest, *fuit apud dilectum rex*, et sensus erit, habuit dilectus populus regem, hoc est, ducem, gubernatorem ac legislatorem Mosen, qui ut rex monarchico modo Israel gubernavit. Vel sensus est: habebit reges populus dilectus, quod factum est in Saule et aliis deinceps.

6 *Vivat Ruben et non moriatur*. Allusum est ad prædictionem Jacob qui de Ruben dixerat: *Effusus es sicut aqua, non crescas*. Genes. 49. 4. Confirmat hoc Moses docens non fore quidem delendam tribum illam de populo Israel, sed numero capitum non admodum augendam.

7. *Audi, Domine, vocem Judæ*. Tribûs Judæ precantis ut promissâ terrâ potiri liceat.

Et ad populum suum introduc eum. Et ad terram, quam occupatura est, introduc eam.

Manus ejus pugnabunt pro eo. Populo expellendo, et ineunda possessione terræ.

Et adjutor illius. Deus scilicet.

8. *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo.* Supple, data est. Virum sanctum appellat Aaronem, quia sanctificatus per consecrationem in pontificem. Huic datam perfectionem et doctrinam, quæ gestabat in rationali, habemus Exod. cap. 28. num. 30. Laudat ergo Moses tribum Levi a pontificatu illi concesso.

Quem probasti in tentatione. Deus Aaron et Mosen, eorumque fiduciam tentavit et exploravit, cùm populus in Cades propter aquæ defectum murmuravit, de quo vide Num. 20. 12, et ibi dicta.

Et judicasti. Judicatus est Aaron, quia terrâ promissionis propter illud peccatum exclusus est, ut etiam Moses.

Ad aquas Contradictionis. Ubì contradixit et murmuravit populus.

9. *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos.* Quasi dicat: levitæ in punitione idololatrarum, qui vitulum adoraverant, Exod. cap. 32. num. 28, non sunt miserti amicorum, cognatorum, fratrum ac filiorum, matrum aut patrum, sed eos æquè ac alios idololatras occiderunt.

Hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt. Pactum cum Deo initum, Exod. 24. 8.

10. *Judicia tua, ó Jacob, et legem tuam, ô Israel.* Nectenda hæc cum superioribus per appositionem, quasi dicat: hi custodierunt pactum et eloquia tua, quæ nihil aliud sunt quàm judicia et lex tua.

Ponent thymiama in furore tuo. Ad te placandum: quod et fecisse Aaronem legimus Num. 16. 47.

11. *Benedic, Domine, fortitudini ejus.* Laudatur bellica fortitudo levitarum, quæ maximè enituit in Machabæis.

12. *Amantissimus Domini.* Quemadmodum Jacob Benjamin eximiè dilexit, ita et Dominus: quare ex hac tribu primus rex Israeli datus est Saul, et in finibus Benjamin ædificatum est templum.

Habitabit confidenter in eo. Hebr. *super eum*, Dominum scilicet, cùm, ut dixi, intrà fines suos templum haberent Benjamitæ, et Dominum in eo habitantem.

Quasi in thalamo... morabitur. Dominus in templo.

Et inter humeros illius requiescet. Chaldæus vertit,

et in terra ejus habitabit majestas Domini. Dicitur Deus super humeros Benjamin requiescere, quia futurum erat ut templum Dei super edito monte Moria exstructum ad eum modum emineret, quo caput eminet super humeros.

13. *De benedictione Domini terra ejus.* Terra ejus a Deo erit benedicta, mirè fertilis et amœna; convenit tota hæc benedictio utrique tribui Manassis scilicet et Ephraim, sed præcipuè Ephraim.

De pomis cœli. Optimis fructibus, ob clementiam cœli et benignos in terram illam influxus.

Et rore atque abysso subjacente. Facit enim ad fertilitatem ros decidens in sata, et fructus, et aquarum profunda fluenta juxta arbores decurrentia, juxta illud Psalmi 1. 3 : *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

14. *De pomis fructuum solis ac lunæ.* Hæc enim duo astra ad bonitatem et maturitatem fructuum maximè concurrunt : luna de nocte humorem subministrando; sol diurno calore humorem excoquendo.

15. *De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum.* Laudat fructus a soli bonitate; meliores enim sunt ii qui in supinis collibus, quàm qui proveniunt in planitie. Colles dicuntur æterni et montes antiqui, quia cum ipsa terra a Deo creati sunt.

16. *Et de frugibus terræ.* Campestris et planæ.

Et de plenitudine ejus. Abundantia et copia.

Et super verticem Nazaræi. Joseph, qui cur dictus sit Nazaræus, vide supra, cap 49. Genes. 46.

17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* His verbis regni israelitici, quod in tribu Ephraim præcipuam sedem habuit, gloria et fortitudo describitur. Taurus, qui in armento dominatur, regis symbolum est. Dicitur primogenitus ut alludatur ad primogenitorum jus quod ablatum a Ruben consecutus est Joseph.

Cornua rhinocerotis cornua illius. Cornua in Scriptura sæpe sunt fortitudinis symbolum; hinc Psal. 74 extollere et confringere cornua est potentiam extollere et deprimere. Nominatim verò rhinocerotis cornua celebrantur, ut cùm dicitur Num. 23. 22 : *Cujus fortitudo similis est rhinoceroti.*

Hæ sunt multitudines Ephraim, et hæc millia Manasse. Quibus hæ benedictiones conveniunt.

18. *Lætare, Zabulon, in exitu tuo.* Occasione expor-

tationis mercium; nam Zabulon proximus mari mercaturæ addictus fuit.

Et Issachar, in tabernaculis tuis. Tentoriis, casis, mapalibus agricolarum ac pastorum vitam securam et quietem ducentium.

19. *Populos vocabunt ad montem.* Lætè, et alacres hæ duæ tribus; quippe divitiis et terræ fructibus abundantes, ascendent statis temporibus ad templum, et sua alacritate alias tribus ad idem officium religionis provocabunt.

Victimas justitiæ. Quæ immolantur, ut legis præscripto satisfiat.

Qui inundationem maris quasi lac sugent. Opibus et deliciis externis, quæ navibus invehuntur, affluent : convenit hoc etiam Issachar, quæ tribus, dato Zabuloni frumento, etc., opes illas marinas vicissim accipiebat.

Thesauros absconditos arenarum. Vel aurifodinas intelligit, vel thesauros ac gemmas ab exteris allatas, quæ e terra, vel arenis extrahi et colligi solent.

20. *Benedictus in latitudine Gad.* Vel latitudine terræ spatiosæ, quam trans Jordanem accepit : vel per latitudinem prosperitatem intelligit.

Quasi leo requievit. Hostes suos non timens.

Cepitque brachium et verticem. Fortes adversarios suos, et reges eorum.

21. *Vidit principatum suum.* Excellentiam quamdam, suam præ aliis tribubus agnovit, et eâ gavisus est.

Quòd in parte sua. In finibus suis.

Doctor esset repositus. Moses sepultus esset, licèt locus nesciretur.

Qui fuit cum principibus populi. Qui Moses in egressu ex Ægypto, et vaga per desertum peregrinatione, dux et comes cœterorum populi principum fuit.

Et fecit justitias Domini et judicium suum cum Israel. Justè rexit populum juxta divinam legem.

22. *Dan catulus leonis.* Vel ad totam tribum, vel ad Samson peculiariter refertur.

Fluet largiter. Tribus Dan terram suam sortita est ad meridiem Judæ, aliqua tamen pars hujus tribûs, relicta possessione sibi attributa, aliam sibi sedem quæsivit, et extrema terræ promissæ ad aquilonem et Libanum incoluit, ubì et urbs nomine Dan exstitit. Non procul ab hac urbe duo fontes Jor et Dan oriuntur qui Jordanem efficiunt : quia ergo fluvius hic terræ sanctæ præcipuus est, dicitur Dan fluere, hoc est, aquas suppeditare ad faciendum flumen, et terram rigandam.

De

De Basan. In regione Basan, quæ et Batanæa dicitur, lacus exiguus est qui *Phiala* dicitur, ex quo aquæ per subterraneos meatus influunt in fontem Dan, ex quo postea Jordanis.

23. *Nephthali abundantiâ perfruetur.* Fuit enim regio ejus amœnissima et uberrima.

Mare et meridiem possidebit. Delicias et opes quæ per mare advehuntur, quasi dicat : nihil deerit huic tribui, solum habebit uberrimum, et insuper aliunde deliciis abundabit, a Sidoniis, Tyriis ac Phœnicibus conterminis suis importatis.

24. *Benedictus in filiis Aser.* Propter copiosam et decoram prolem.

Sit placens fratribus suis. Ejus virgines ad connubia expetentur ab aliis tribubus.

Tingat in oleo pedem suum. Tanta olei copia abundabit ut eo etiam pedes lavare possit, ut Job. 29. 6, dicebat : *Quando lavabam pedes meos butyro.*

25. *Ferrum et æs calceamentum ejus.* Claviculis ferreis et æreis in calceis ad ornamentum infixis.

Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. Senectus viridis et vegeta, juventuti non absimilis.

26. *Rectissimi.* Dilecti populi Israelis.

Ascensor cœli auxiliator tuus. Qui cœlum inhabitat, et illi quodammodo inequitat.

Magnificentiâ ejus. Magnâ ejus sapientiâ et potentiâ.

27. *Sursum.* Scilicet in cœlo.

Et subter brachia sempiterna. Brachia sua æterna extensa ad opem ferendam nobis qui inferiores sumus.

Conterere. Est imperativus passivus, non dicet tantùm, sed faciet, conteretque ; nam dicere Dei est efficax.

28. *Confidenter, et solus.* Etiam solus absque alio præsidio securus erit.

Oculus Jacob in terra frumenti et vini. Oculi Israelitarum contemplabuntur terream feracem vini et frumenti, quam possidebunt.

Cœlique calligabunt rore. Ros per stillas fluit ; et si quando copiosus sit, caligine et nebula solem obtegit, donec, rore subsidente, sol nobis reddatur. Promittit ergo copiam roris.

29. *Salvaris in Domino.* Per Dominum.

Scutum auxilii tui. Scutum ad auxilium tibi ferendum.

Et gladius gloriæ tuæ. Neque enim solùm scuto protegeris ab hostibus, sed gladio etiam illos impetes.

Negabunt te. Resistent, contradicent tibi, subjici nolent.

Eorum colla calcabis. Eosque coges tibi ignominiosa subjectione parere.

CAPUT XXXIV.

Moses ex Nebo contemplatus Chananæam moritur, sepelitur, plangitur; succedit ei Josue in populi ducatu.

1. *De campestribus Moab.* In quibus hactenus Israelitarum castra trans Jordanem stationem habuerunt.

Super montem Nebo, in verticem Phasga. Nebo mons altissimus montium Abarim. Phasga vertex sublimissimus montis Nebo. Eò ascendit, quia inde latè patebat prospectus promissæ terræ.

Terram Galaad. Latè capitur terra Galaad pro tota ea terra quam Rubenitæ, Gaditæ, Manassitæ possederunt trans Jordanem.

Usque Dan. Usque ad eam urbem quæ postmodum a Danitis possessa, dicta fuit Dan, cùm antea *Lesem*, vel *Lais* diceretur. Vide superiori cap. num. 22.

2. *Et universum Nephthali.* Quæ scilicet Nephthalitis attribuenda erat. Idem intellige de aliis tribubus Ephraim, Manasse, Juda, etc.

Usque ad mare novissimum. Mare Mediterraneum ad occidentem.

3. *Et australem partem.* Quam tribus Juda et Simeon terminabant.

Latitudinem campi Jericho. Hæc cum sua longissimi campi planitie in tribu Benjamin exstitit.

Civitatis Palmarum. Jericho, quæ sic alibi appellatur Jud. 1. 16, et 3. 13, et 2. Paral. 28. 15. Ita dicta a multitudine palmarum.

Usque Segor. Juxta Asphaltitem lacum, in quem se recepit Loth. Genes. 19. 23.

5. *Mortuusque est ibi Moyses.* Ultimum hoc caput Deuteronomii, aut saltem mortem Mosis, alii ab Esdra, alii, quod verisimilius, a Josue scriptam existimant.

* *In terra Moab.* In terra quæ olim Moabitarum fuerat, sed postea ab Amorrhæis occupata vetus nomen adhuc retinebat.

6. *Et sepelivit eum.* Dominus angelorum ministerio.

Contra Phogor. E regione ejus loci in quo Phogor idolum colebatur.

Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Id propterea factum a Deo, ne Israelitæ ad idololatriam propensi eum pro deo colerent.

8. *Flèveruntque eum.* Justa funebria illi persolverunt. * Idque triginta diebus, quot dies etiam Aaronis et Mariæ luctui impensos narrat Josephus, lib. 4 Antiq. capit. 4. Alioqui luctus septimo die finiebatur, Eccles. cap. 22. num. 13.

9. *Repletus est.* Repletus fuerat; factum enim hoc est aliquantò ante mortem Mosis.

Posuit super eum manus. Posuerat.

10. *Sicut Moyses.* Hoc est, similis Mosi quoad ea quæ sequuntur.

Quem noscet Dominus facie ad faciem. Cum quo Deus ita familiariter ageret et colloqueretur.

11. *Quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti.* Cui Deus concessit tot signa et prodigia facere, propter quæ facienda miserat eum.

LIBER JOSUE.

Auctor hujus libri incertus est : quidam tribuunt Isaiæ, alii Esdræ, alii Samueli, alii Eleazaro Aaronis filio, alii, quod probabilius est, ipsi Josue.

CAPUT PRIMUM.

Jubet Josue populum, ut se paret ad transmittendum Jordanem in diem tertium; et tribus Ruben, Gad, et dimidiam Manasse, ut, quod priùs promiserant, reliquos Israelitas armati præcedant.

1. *Et factum est post mortem Moysi.* Post funebrem scilicet ejus luctum, qui totos triginta dies tenuit. Deut. cap. 34. num. 8. Salianus tamen id contigisse putat, dum adhuc justa persolverentur Mosi, quia ex textu videtur celeritas indicari, cui obstat triginta dierum mora.

Servi Domini. Fuit Moses Dei servus, quia tota vita sua Deo servivit, omnesque suas actiones, studia et cogitationes ad illius cultum et voluntatem contulit.

Ministrum Moysi. Qui familiæ Mosis præpositus fuerat, qui in sacris precibus illi aderat, qui nunquam ab illius latere discedebat, omnes ejus observans nutus, ut quæ juberet effecta daret.

3. *Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* Vide dicta Deut. 11. 24.

4. *A deserto et Libano.* Describit fines terræ promissæ, de quibus vide dicta Deut. 1. 7.

* *Omnis terra Hethæorum.* Vel per Hethæos omnes septem Chananæorum nationes intelligit, ut vult Abulensis; vel, ut placet Masio, peculiaris Hethæorum mentio fit, quòd illos ut pote cæteris bellicosiores magìs Hebræi formidarent. Incolebant enim Hethæi Hebron et vicina loca in quibus Enacim gigantum posteritas et reliquiæ versabantur, ut patet num. 13. 23. Itaque animandus fuit dux et populus, ut etiam fortissimos Hethæos se superare posse confiderent.

5. *Nullus poterit vobis resistere.* Ita resistere, ut victoriam ferat.

Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. Quoad gratiam et auxilium; quoad familiaritatem verò, inferiore quo-

dam modo; nam Deut. 34. 10, dicitur : *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem*, etc.

7. *Ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram.* Phrasis in Scripturis frequens, qua quicumque deflexus significatur a lege divina.

Et intelligas cuncta quæ agis. Chald. et rabbini vertunt, *ut prosperè agas in cunctis quæ agis.* Sed hebræum verbum etiam valet prudentem esse, beneque rem intelligere. Sanè plurimùm luminis a sacris Litteris et divina lege prudentia mutuatur.

8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo.* Os et faciem significare potest, et eam partem quæ est loquendi instrumentum. Volumen ergo legis frequentissimè præ oculis habere jubetur Josue, et quæ in illo continentur corde meditari et ore loqui.

Sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Sanctorum virorum jugis exercitatio hæc est, de quibus David Psal. 1. 2 : *In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo. Hic enim finis est meditationis. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Ad Rom. cap. 2. num. 13.

Tunc diriges viam tuam. Feliciter et prospere tibi fluent omnia. Sic meditanti in lege divina eadem promittitur prosperitas. *Et erit tanquam lignum, etc., et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Ps. 1. 3.

Et intelliges eam. Vide dicta n. 7.

9. *Ecce præcipio tibi.* Verti potest, *numquid non præcipio tibi?* Quæ interrogatio magnam vim habet, quasi dicat : aspice quisnam sit qui bono et alacri animo te esse jubet. * Etiam de fortitudine leges præcipere docet Aristoteles, lib. 5 Moral. cap. 3, v. g., de non deserendis ordinibus, de armis non abjiciendis, etc.

Noli metuere, et noli timere. Hoc illud est quod apud Isaiam legimus cap. 41. 10 : *Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus : confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei.*

* 10. *Principibus populi.* Summis singularum tribuum magistratibus.

11. *Præparate vobis cibaria.* Manna adhuc depluebat singulis diebus: jubentur ergo copiosiùs illud colligere, usitataque tunsione et coctione præparare. * Vel certè præter manna, quod tantæ multitudini alendæ

adhuc necessarium erat, permittit Josue ut alios cibos quærant et parent, quos scilicet nancisci potuerint.

* *Post diem tertium transibitis.* At aliquantò post transierunt cùm cap. sequenti missi sunt exploratores, iique per triduum latuerint in montibus, et post reditum illorum adhuc per triduum transitus dilatus sit, cap. 3. 1. Resp. τὸ *transibitis* significare, ex hoc loco recedetis ut transeatis. Vel hæc dicuntur per hysteron proteron; nam missio exploratorum, et totum cap. secundum præponi debet huic Josue præcepto per castra divulgato, ita ut tres dies, quorum hìc fit mentio, sint iidem cum illis tribus diebus qui habentur cap. 3. 1. Ita Abulens. et alii.

13. *Mementote sermonis.* Revocat Josue in memoriam Rubenitis et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse, quibus conditionibus terram trans Jordanem possederint, non quòd eorum voluntati diffideret, sed quia etiam sponte currentes incitare consultum est; nam licèt *fremens* (*equus*) *sorbeat terram*, tamen, *ubi audiverit buccinam, dicit : Vah!* Job. 39. 25.

14. *Ante fratres vestros.* In prima acie, primoque loco in viis ac præliis.

Omnes fortes manu. Relictis tamen domi iis qui ad civitatum regionisque custodiam necessarii erant.

15. *Contra solis ortum.* Orientem versùs.

17. *Tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.* Duplex esse potest sententia, prima exceptiva; in omnibus obediemus, modò tu Deo consentanea et legi præcipias; 2. verior, optativa seu votiva; utinam tibi Dominus adsit, ut adfuit Mosi.

18. *Qui contradixerit .... moriatur.* Deus in rebelles solebat animadvertere : adhuc tamen sibi hanc legem dicunt, ut qui obedire detrectaverint, morte plectantur.

CAPUT II.

Exploratores Jericho ingrediuntur, et latent apud Rahab meretricem, cui impunitatem promittunt; et fune per fenestram demissi, ad suos revertuntur incolumes.

1. *Duos viros exploratores.* Probabile est missos fuisse, durante adhuc luctu. Vide dicta cap. 1. num. 1. Olim Moses, Num. 13, miserat duodecim, sed tunc omnia pacata erant, ac proinde minor suspicionibus locus

nunc cautiùs agendum fuit. Duo missi, ut se consilio et mutua ope juvarent.

In abscondito. Ipsis etiam Israelitis ignorantibus, clam populo.

Considerate terram. Non Chananæam totam, sed proxima loca in quæ populus ingressurus erat, ac nominatim Jericho. * Ut cognoscatis quæ sint hostium consilia, et qui ad resistendum animi.

Qui pergentes ingressi sunt. Jordanem exploratores vel natatu transierunt, vel vadatione; nam Jordanis vada legimus Jud. 3. 28, et c. 12. n. 5, et ita fieri potuisse indicatur hoc capit. num. 7, cùm dicitur : *Per viam, quæ ducit ad vadum Jordanis.* * Deo etiam facile fuit de lintre aliquo incolarum custodiâ destituto providere. Excubias Chananæorum non admodum intentas, facilè fefellerunt; nam Jerichuntini in tanta hostium propinquitate metu soluti agebant, vel potiùs desides, stultèque securi.

Mulieris meretricis, nomine Rahab. Negant aliqui fuisse meretricem, voluntque vocabulum hebraicum significare *cauponariam*, *hospitalariam*; vel ut loquitur D. Aug. lib. 10 Civitat. capit. 18, *stabulariam.* Verius est fuisse meretricem, quod patebit aliis locis Scripturæ, in quibus eadem vox occurrit consideranti. Hebraica vox est זונה *zonah.* * Hæc est Rahab cujus mentio in genealogia Christi, Matth. 1. 5.

Quieverunt apud eam. Manserunt. LXX, κατέλυσαν vertunt, quod apud aliquem divertere et morari significat. Verti etiam potest, *dormierunt.*

2. *Nuntiatumque est regi.* Eadem die qua appulerant exploratores, ut vult Serarius, vel sequenti, ita ut noctem unam in domo Rahab dormierint, die sequenti urbem lustrarint, vespere verò delati sint, ut vult Cajetanus.

4. *Abscondit.* In solario scilicet inter lini stipulas, ut dicitur num. 6. Solarium est suprema domûs pars, soli exposita. Ea in Palæstina modicè declivis erat, ac ferè plana, ut ibi ambulare liceret, et spatiari, et etiam vestes ad solem expandere, etc. Lini stipulæ sunt linum nondum stupariis malleis subactum, et ab aceribus purgatum. Hebræus habet, *lignum lini*, LXX λινοκαλάμην dixerunt, *lini calamos.*

Nesciebam unde essent. Non una in re mentita est Rahab, sed mendacium officiosum fuit, et culpa levis. * Fortasse etiam putavit mendacium officiosum culpâ vacare.

6. *In solarium.* De hoc dictum numero præcedenti.

* 7. *Ad vadum Jordanis.* Quia sicubi transituri erant Jordanem, illic putabantur vado transituri.

Porta clausa est. Urbis scilicet, ne exploratores fugerent, si fortè alicubi laterent; vel quia nox appetebat.

8. *Necdum obdormierant.* Fortasse timore discusso, alioque satellitibus digressis, sese ad quietem composuerant exploratores.

9. *Novi quòd Dominus.* Noverat ex admirabilibus rebus quæ de Israelitis passim spargebantur, et illustratione divina; ejus enim fides commendatur a D. Paulo ad Heb. cap. 11. num. 31.

Irruit in nos terror vester. Non naturalis tantùm, sed a Deo etiam immissus, quod promissum fuerat Levit. 26. 36 : *Dabo pavorem in cordibus eorum,... terrebit eos sonitus folii volantis, etc.*

Elanguerunt. Hebr. *liquefacti sunt*, in modum scilicet nivis tabescentis, aut ceræ quam solvit ignis. LXX habent versic. 11, *mente emoti sumus*, ἐξέστημεν.

11. *In cælo sursum, et in terra deorsum.* Immensus est, omnia pervadit loca, et tam quæ sursum sunt in cœlo, quàm quæ deorsum in terris, pro arbitratu suo moderatur.

12. *Ego misericordiam feci vobiscum.* Vox hebraica חסד *chesed*, in Scripturis latissimè patet, ut beneficentiam complectatur, quæ in alios confertur, sive meriti sint, sive immeriti, sive miseri, sive non miseri.

Detisque mihi verum signum. Quod ubi vobis vestrisque monstravero, verè ac certò tuta sim, ego meique omnes.

13. *Salvetis.* LXX, ζωγρήσατε, vivos capite, vivos servate.

Et eruatis animas nostras a morte. Communi urbis excidio et civium cæde eripiatis.

14. *Anima nostra sit pro vobis in mortem.* Jurandi formula quasi dicat : devovemus vobis animam nostram ad mortem. Malè nos perdat Deus, si fidem fefellerimus, quam vobis damus. * Non dubitant exploratores pro Josue polliceri quod æquitas postulabat, ut scilicet benemeriti beneficium reponeretur. Servata est hæc fides infra, cap. 6. 25. Similem historiam vide Judic. 1. 25.

Si tamen non prodideris nos. Sed salvos dimiseris, et nemini indicaveris nos hìc latere, aut salvos fore, qui in domum tuam se receperint, ne fortè nimis multi confluant, et vitâ indigni.

Misericordiam et veritatem. Sincerè agendo, et optima fide, et, quæ promisimus, ad unguem effecta dando.

15. *Demisit ergo eos per funem de fenestra.* Vox hebraica חבל *chebel*, significat funem non quemcumque, sed fortem, qui ex pluribus compositus est. Fuit verò ex serico, aut lino coccinei coloris; nam ille idem funis quo de fenestra dimissi sunt exploratores, idem in signum relictus, ut domui illi parceretur.

17. *Innoxii erimus.* Carebimus culpâ, et pœnam non merebimur.

18. *Funiculus iste.* Funis tenuis ex multis filis tenuibus complicatus, quamvis exilis sit, ponderi tamen corporis humani sustinendo par esse potest, ut experientia docet.

19. *Sanguis ipsius erit in caput ejus.* Suo vitio peribit. * Jure belli cadunt, qui in urbe capta resistentibus se adjungunt.

Redundabit. Quasi dicant, nos rei erimus homicidii. Chald. *culpa necis ejus in caput nostrum.*

20. *Erimus mundi.* Immunes, non tenebimur juramento.

21. *Appendit funiculum coccineum in fenestra.* Statim appendit, fortasse ut videre possent exploratores modum quo, dum expugnanda urbs esset, pensurus esset, signumque illud apprimè noscent, nec ullus errori locus in re tanti momenti relinqueretur.

34. *Tradidit Dominus.* Quod jam futurum erat quasi factum narrant, ob spem certissimam.

CAPUT III.

Alveum fluvii Jordanis miraculo siccatum Israelitæ arca præeunte transmittunt.

1. De *nocte consurgens.* Nox hic est antelucanum tempus quod noctis quidem extremum est, sed tenebricosum adhuc, et admodum matutinum; hoc enim est quod LXX vertere solent ὀρθρίζειν, et Lucæ 21. 38, dicitur *manicare.*

De Setim. Aberat Jordanis 60 stadiis a Setim: octo stadia unum milliare italicum conficiunt.

Morati sunt ibi tres dies. Ibi, id est in Setim, et Jordanis ripâ; nam ad Jordanem una tantùm nocte mansisse, ea scilicet quæ consecuta est diem qua eò appulerant, patet ex textu hebræo, in quo sic habemus, *venerunt ad Jordanem ipsi, et omnes filii Israel, et*

pernoctarunt ibi, *antequam trajicerent*, *et factum est a fine trium dierum*, *et transierunt præcones*, *etc.* Ita Serarius, Masius, Cajetanus et alii.

2. *Quibus evolutis.* In utroque scilicet loco, et post eorum dierum promulgationem cap. 1 factam.

Præcones. Eadem vox quæ, cap. 1. num. 10, redditur, *principes populi*, hic vertitur, *præcones*. LXX habent, γραμματεῖς, *scribæ.*

3. *Sacerdotes.... portantes eam.* Ordinariè arcam ferebant levitæ, ex lege Levitici, num. 4. 15; poterant tamen, si vellent, ferre sacerdotes. Id quater factum reperitur in Scriptura: hoc cap. 3. num. 6; infra, cap. 6; 1 Paral. 15, et 2. Reg. 15. 29.

Sequimini præcedentes. Eos qui arcam præferebant. * Mortuo Mose columna nubis dux viæ evanuerat.

4. *Spatium cubitorum duûm millium.* Servando quidem diligenter, quantùm potuit, distantiam, morali tamen modo; alioqui nimiùm fuissent anxii in ea metienda, et in hebræo est, ut etiam in chaldæo, *circiter duo millia cubitorum.* * Id factum reverentiæ causâ. Cùm e castris ad arcam sabbatis maximè iri deberet, hinc sumpserunt argumentum sapientes definiendi iter sabbati in ipsa lege non definitum: vide act. 1. 12.

5. *Sanctificamini.* Parate vos per sanctitatem, seu sanctè: fortasse etiam significatur ut purificent se, vestes lavent, ab uxoribus abstineant; hunc enim sanctificationis modum præscriptum videmus, cùm in monte Sina lex promulgata est, Exod. 19. num. 10 et 15.

Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Sistendo lapsum fluminis, etc.

6. *Tollite arcam.* Josue sacerdotibus imperat, quia spiritu prophetiæ agebatur, et quia a Deo expressè ut ita faceret jubebatur; legimus enim num. 8: *Tu autem præcipe sacerdotibus*, *etc.*

7. *Hodie incipiam exaltare te.* Nihil enim adhuc, quod supra naturæ ordinem admodum videretur, per ipsum fecerat Dominus, facturus deinceps.

8. *Cùm ingressi fueritis partem aquæ Jordanis*, *state in ea.* Partem Jordanis intelligit mediam, vel ipsum fluvii alveum. Vide cap. 4. num. 10.

9. *Accedite huc.* Videtur tunc Josue in medio castrorum fuisse, ibique populi concionem convocasse.

10. *Dominus Deus vivens.* Vita ex actione ac motu potissimùm agnoscitur; dicitur ergo Deus vivens, quia suâ efficientiâ omnia moderatur et gubernat, et potissimùm quia cultorum suorum necessitatibus adest, illisque opem fert.

In medio vestrî est. Vobis adest ut auxiliator.

* *Chananæum.* Hæ sunt septem gentes a Chanaan filio Cham oriundæ, quæ totam illam terram a Jordane usque ad mare Mediterraneum occupabant.

12. *Parate duodecim viros.* Hi duodecim iidem sunt cum iis de quibus initio sequentis capitis, ad hoc delecti, ut lapides ex Jordanis alveo tollant. Alii probabiliter putant delectos esse ut sacerdotes portantes arcam comitarentur. Ita Cajet. et Magalianus.

13. *Sacerdotes qui portant arcam.* Sacerdotes, quia ex alia stirpe quàm Aaronica esse non poterant, tunc ad summum fuisse circiter viginti quatuor putat Serarius hìc. Duo satis erant ad ferendam arcam; et probabile in hoc transitu Jordanis Eleazarum fuisse et Ithamar, Aaronis filios, vel Eleazarum et Phinees ejus filium. Aliqui tamen putant quatuor arcæ gestandæ necessarios fuisse.

15. *Tempore messis.* Triticeæ, * vel hordeaceæ, quæ non, ut apud nos, mense junio fit in Palæstina, sed aprili exeunte, aut maio ineunte. Vide Plin. lib. 18. cap. 18, hoc de Ægypto affirmantem.

Jordanis autem ripas alvei... impleverat. Causa fluminis incrementi est quòd vere messis tempore solvantur nives Libani, ex quo fluit Jordanis.

16. *Apparebant procul.* Aquæ se porrigebant a trajectionis loco usque Adom, et tumor ille montis instar se habebat, ac proinde a longè aspiciebatur. Vel sensus est, aquæ ita intumuerunt ut ex urbe Adom, et Sarthan cumuli illi videri possent.

Ab urbe quæ vocatur Adom. Hanc urbem collocat Adrichomius in tribu Ruben, non procul ab orientali Jordanis ripa, paululùm ultra torrentis Carith australiorem in Jordanem influxum. Masius Tiberiadis stagno vicinam esse ait.

Sarthan. Adrichomius inter urbem jam dictam, et inter Bethabaram ponit; Masius longè superiùs aquilonem versùs.

In mare Solitudinis. Hebr. *mare Salis;* dicitur etiam mare Mortuum, quòd aqua in eo sit crassa et iners, * quòdque nullos alat pisces, aut cochleas, ac ne vermes quidem, aut serpentes, ut tradit D. Hieronymus in cap. 47 Ezechielis. Num. 34. 3, appellatur *mare Salsissimum.* A nostro interprete hìc bene dicitur *mare Solitudinis*, quia circumjacens terra sterilis, graveolens et virosa est, ideoque deserta et solitaria.

17. *Super siccam humum.* Vel enim Jordanis alveus

arenosus et glareâ plenus erat, ideoque statim post aquarum defluxum aridus; vel divina virtute factum est ut planè siccaretur, et facilis transitus absque pedum inquinatione Israelitis pateret.

Accincti. Parati, expediti.

Omnisque populus per arentem alveum transibat. Magna diei pars transeundo absumpta est, præsertim cùm maxima fuerit multitudo Israelitarum et proselytorum, et lapides bis duodeni, alii excipiendi, alii statuendi in fluminis alveo fuerint. Serarius putat unâ aut alterâ post meridiem horâ transitum absolutum fuisse.

CAPUT IV.

Transito Jordane duodecim lapides ex alveo fluminis efferuntur ad posterorum memoriam et in Galgalis constituuntur; totidemque in ipso alveo, ubì arca steterat, eriguntur.

2. SINGULOS *per singulas tribus.* Etiam unus ex tribu Levi electus, et pariter unus ex tribu Joseph, quæ bipartita in tribus duas Manasse et Ephraim, atque ita duodecimum numerum non excesserunt.

3. *Durissimos lapides.* Rabbini etiam maximos fuisse fabulantur. Certum est non majores fuisse quàm quos viri singuli asportare inde usque ad Galgala possent. Durissimi eliguntur lapides, quia constituendi in signum æternum posteris erant, atque ideo ejus generis quærendi, qui non facile vetustate solverentur.

6. *Signum.* Rei hoc loco gestæ.

Cras. Futuro tempore.

9. *Duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo.* Non coacervatos, aut in aræ formam, sed singulos per se, ut etiam factum a Mose, Exod. 24. 4; sic enim magis apparebat duodecim tribuum distinctio.

Usque in præsentem diem. Ex hoc loco aliqui colligunt Josue non esse hujus libri scriptorem. Sed ut bene dicatur, *usque in præsentem diem*, satis est, si aliquo tempore post lapides erectos Josue historiam suam scripserit.

10. *Stabant in Jordanis medio.* Probabile est stetisse facie versùs austrum conversa, hoc est, versùs inferiorum aquarum fugam; sic enim faciem ad populum transeuntem vertebant, eique animum præsentiâ suâ addebant, et aquas a tergo impendentes, Domini præsentiâ securi, despiciebant.

Et dixerat ei Moyses. Eo modo, et eâ obedientiâ et alacritate quam semper ei Moses præceperat et commendarat.

11. *Ante populum.* Vel spectante populo, coram populo, vel ante populi agmen modo supra præscripto, ut scilicet bis mille cubitorum spatio, arcam pone sequerentur. * Vel sensus est, post transitum Jordanem arca et sacerdotes in primo fuerunt agmine, non in medio, quemadmodum in deserto.

12. *Sicut eis præceperat Moyses.* Num. cap. 32. 28.

* 13. *Quadraginta pugnatorum millia.* Ex tribu Ruben, Gad et Manasse; quæ tamen tribus multò plures ad arma tractanda aptos numerabant, ut patet ex cap. 26. lib. Num.

19. *Populus autem ascendit de Jordane.* Ascendentibus de Jordane nulli hostes occurrunt, quia, ut dixerat Rahab, cap. 2. num. 9: *Elanguerunt omnes habitatores terræ.* Vide ibi dicta. Probabile est in ipso aditu promissæ terræ, eam salutasse Israelitas et lætitiæ signa edidisse. Quòd si intrantes domum, eam salutare jubet Christus, Matth. 10. 12, et dicere: *Pax huic domui;* quidni terram sanctam futuram populi sedem salutaverint, Deoque adorato precati fuerint ut bene omnia succederint, et eidem pro beneficio gratias egerint?

Castrametati sunt in Galgalis. Hunc locum castris figendis elegit Josue, vel divino monitu, vel quia licèt ulteriùs eo die progredi potuissent, erat tamen prudentiæ militaris sensim progredi, ne a tergo hostis relinqueretur. Alioqui etiam locus salubris erat, et aquis vicinus et silvis ex quibus ligna peti poterant.

20. *Posuit Josue in Galgalis.* Non longè a tabernaculo sub dio, ut ab omnibus conspici possent, hi etiam lapides seorsim statuti, non in acervi formam, aut altaris. Vide dicta num. 9.

25. *Fortissimam Domini manum.* Potentiam. LXX, δύναμιν.

CAPUT V.

Circumcisio diu intermissa repetitur: Paschæ festum celebratur: deficit manna, frugibus terræ vescuntur: angelus apparet Josue armatus, et evaginato gladio.

2. *Fac tibi cultros lapideos.* Nunc quidem lapideis cultris facta est circumcisio, ut disertè habemus in textu; alioqui etiam ferreis, aut chalybeis fieri poterat. * Vide dicta Genes. cap. 17. num. 12.

Et circumcide. Non ipsemet circumcidit; qui enim potuisset tantam multitudinem? nec etiam fuit necesse adhibere sacerdotes aut levitas. Circumcidebant ergo omnes quotquot in Ægypto olim fuerant circumcisi, et probabile ipsum Josue aliquos circumcidisse, ut etiam Eleazarum, domesticos nimirum, quod fecerat Abraham, Genes. cap. 17. num. 23, qui *tulit... Ismael filium suum, et omnes vernaculos domûs suæ:... et circumcidit, etc.*

Secundò filios Israel. Sensus est, revoca consuetudinem circumcidendi, longo tempore in deserto intermissam. * Indicta est autem hæc circumcisio, quia legis cæremonias in usum revocari volebat Deus, quæ non nisi a circumcisis obiri poterant; nec decebat Israelitas incircumcisos morari inter Chananæos pariter incircumcisos; data enim est circumcisio ut per eam Judæi a gentilibus distinguerentur. Vide dicta Genes. 17. 12.

3. *In colle Præputiorum.* Loco sic postea dicto ob hanc circumcisionem, vel potiùs quòd illuc projecta sint, et sepulta præputia.

5. *Populus autem.... incircumcisus fuit.* Omissa est in deserto circumcisio, ne infantibus recens circumcisis motu crearetur vitæ periculum. Fieri enim poterat ut repente se commoveret nubes, et statio mutanda esset.

6. *Donec consumerentur.* Hæc fuit occasio intermittendæ circumcisionis, quòd scilicet Dominus in deserto populum detineret, donec omnes, qui non audierant vocem Domini, etc., consumerentur; causam verò quàm proximè assignavi num. 5.

* 7. *In locum successerunt patrum.* Adepti sunt ea promissa quibus patres eorum exciderant.

9. *Opprobrium.* Præputium: probrosum enim erat apud Hebræos, si quis aut esset incircumcisus, aut diceretur. Vel opprobrium, quòd dicebant Deum eductos ex Ægypto non posse, aut nolle introducere in terram promissam. Huc spectat illud Exod. 32. 12: *Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret e terra;* et fortasse ideo Ægypti opprobrium dicitur, quod Ægyptii, qui cum Israelitis erant, tam longæ peregrinationis per desertum pertæsi aut clam, aut etiam palam Judæis opprobrarent.

Galgala. Dicitur a גלל *galal*, quod *volvere, devolvere*, ac *removere* significat, ita ut Galgal sit locus devolutionis, ablationis et remotionis, præputii nimirum, aut opprobrii Ægyptiorum, juxta expositionem allatam.

10. *Fecerunt Phase.* Pascha scilicet, quod ab ejus

solemnitate instituta tertium fuit. Primum enim actum est in Ægypto, Exod. 12; secundum in deserto Sinai, anno secundo exitûs ex Ægypto, Num. 9. 2, et sequentibus; secutis verò peregrinationis annis in deserto omissum est.

11. *Polentam*. Far sive hordeum tostum ex spicis eo anno collectis.

12. *Defecitque manna*. Imber ille mannæ defecit, quia jam ex terræ frugibus ciborum copia suppetebat.

13. *Vidit virum stantem*. Angelum quem aliqui Gabrielem putant, plures verò Michaelem, qui princeps exercitûs Domini dicitur apud Danielem, cap. 10. 13.

Tenentem gladium. Quia belli cum Chananæis inchoandi a Deo nuntius veniebat, et adjutor.

Noster es, an adversariorum? Id est, Judæusne es, an Chananæus.

14. *Nunc venio*. Ut novo et singulari modo te tuosque adjuvem, ut per solitudinem juvi et in transitu Jordanis.

15. *Cecidit Josue*. Demisit se pronum in terram, ut angelo exhiberet reverentiam.

Loquitur. Loqui vult, mandare vult.

16. *Solve, inquit, calceamentum*. In personæ quam alloqueris, et loci in quo stas, reverentiam.

CAPUT VI.

Israelitæ arcam deferentes urbem Jericho sæpius circumeunt; mœnia cadunt, urbs capitur et evertitur; Rahab cum suis servatur: instauratori urbis maledicitur.

2. JERICHO *autem clausa erat atque munita*. Chald. *erat Jericho foribus occlusa ferreis, et ahenis obserata vectibus.*

Et nullus egredi audebat aut ingredi. Quod non solùm significat urbis portas fuisse clausas, sed excubitores etiam et custodes additos.

2. *Dixitque Dominus ad Josue*. Angelus qui illi apparuerat, cap. 5. num. 13.

4. *Sacerdotes tollant septem buccinas*. Erant hæ septem sacerdotum tubæ ex earum genere, quarum usus erat in annorum jubilæorum indictione, Levit. cap. 25. num. 9; nam hìc in hebræo vocantur tubæ יובלים *jo-*

belim, et LXX vocant ἱερὰς σάλπιγγας, *sacras tubas*, quòd tempore sacro jubilæi eas inflarent sacerdotes: quoad materiam, ex cornu arietis erant.

Præcedant arcam fœderis. Iidem sacerdotes qui in Jordanis transmissione arcam tulerant, videntur hìc arcam circa Jericho tulisse; neque enim causa ulla est cur aut pauciores, aut plures, aut alios esse dicamus. Fuerunt ergo Eleazar et Ithamar, aut hujus loco Phinees.

* *Septiesque.* Probabile est tunc septimum circulum censeri debuisse absolutum, cùm sacerdotes, et arca, et Josue populi princeps ad locum, unde inchoata esset supplicatio, septimò revertissent; hi enim erant pompæ pars potior.

Sacerdotes clangent buccinis. Voluit Dominus clangi buccinis, ut ostenderet bellum hoc Israelitis tristitiæ nihil, gaudii verò plurimùm allaturum. 2. Vult clangi ut in jubilæo, quia ut eo tempore omnes redibant ad possessionem suam, ita nunc illi ad promissam terram.

5. *Concisior.* Sonus consisus est, cùm morulâ aliquâ interrumpitur, ac repetitur. In hebræo et chaldæo solùm est, *protractior* aut *longior;* verùm id quando fit, subinde conciditur sonus, seu interrumpitur.

Conclamabit omnis populus. Ad terrendos hostes, ad incitandos Israelitas, ad invocandum etiam Deum, et in lætitiæ argumentum.

* *Vociferatione maxima.* Vox hebræa lætam festivamque vociferationem significat. Græci vocant ἀλαλαγμὸν, barritum Vegetius et Tacitus.

9. *Reliquum vulgus arcam sequebatur.* Viri, mulieres, juvenes, senes, ægyptii etiam proselyti turbæ immixti.

12. *De nocte consurgente.* Summo mane.

15. *Circuierunt urbem... septies.* Circuitiones omnes tredecim fuerunt, non, ut quidam rabbinus computat, quatuordecim.

17. *Sitque civitas hæc anathema.* Quæ de anathematismo urbis et Rahab conservatione hìc dicuntur primùm populo mandata et explicata fuisse probabile est, nunc autem in memoriam tantùm revocata. Jubetur autem civitatem esse anathema, hoc est, funditus deleri.

Domino. Ad honorem Domini, vel quasi dicat, consecretur Domino. Chald. *ante Dominum.*

18. *Cavete ne... quippiam contingatis.* Omnia enim abolenda, ædes incendendæ, homines cujusvis ætatis aut sexûs occidendi, domui tantùm Rahab parcendum; metalla

metalla verò et metallica servanda, et in Domini ærarium inferenda.

Castra Israel sub peccato sint. Peccati pœnam luant.

20. *Muri illico corruerunt.* In hebr. supra, num. 5 est, *cadet murus urbis sub se;* inde putant rabbini, terrâ dehiscente muros descendisse, et illa voragine integros conditos fuisse fabulantur : cecidit murus, ut habet vulgatus noster, LXX et recepta opinio. Hebræi textûs sententiâ est, mœnia in eodem quo stabant loco ruisse, et super se procidisse.

21. *Interfecerunt omnia.* Hebr. *anathema fecerunt.*

A viro usque ad mulierem. Vide dicta Deut. 20. 14. Parcendum ordinariè mulieribus, senibus, infantibus, cùm hi resistere non possint. Deus tamen, qui vitæ et mortis Dominus, aliter fieri jusserat : itaque hoc casu locum habet quod dicitur Psal. 136. 9 : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.*

23. *Extra castra Israel manere fecerunt.* Dum urbs incenditur, et illi in castris tentorium paratur : vel probabiliùs, dum a pristino gentilitatis ritu et contagio unà cum suis expiatur.

24. *Absque auro et argento.* Servatum aurum, argentum, metalla fortasse in templi olim fabricandi impensas.

25. *Fecit Josue vivere.* Servavit.

26. *In primogenito suo fundamenta illius jaciat.* Sententia est, in urbis hujus restauratorem animadvertet Deus hâc pœnâ, ut omnes ejus emoriantur liberi, primogenitus quidem cùm jacere cœperit fundamenta, in aliis deinceps partibus alii, in ultima verò, id est, in portis statuendis, ultimus, seu natu minimus. Harum postea dirarum vim expertus est Hiel de Bethel, ut habemus 3. Reg. 16. 34.

CAPUT VII.

Ad urbem Hai cladem accipiunt Hebræi ob furtum Achan, qui, sortes Domino dirigente, deprehensus, lapidibus obruitur, omnisque ejus familia, et suppellex igne absumitur.

1. ACHAN. LXX, *Achar*, ut etiam in vulgata nostra appellatur 1. Paral. 2. 7. Hebr. עכר *hacar*, turbare significat, quam vocem nominis Achan originem esse indicat Josue hoc cap. num. 26.

Filius Charmi. Achanis accuratè describitur genealogia : 1. ut distingueretur ab aliis, si qui fortè idem nomen haberent; 2. propter eam, quæ postea narranda erat, inquisitionem sontis, in qua per tribus, familias, domos, et capita ad ipsum ventum est; 3. ut parentum memoria aliquâ infamiæ notâ aspergatur, ad quos malè educati filii nonnulla culpa pertinet; 4. ut augeatur infamia peccantis, qui ex tam illustri tribu ortus est.

Tulit aliquid de anathemate. Quid hoc fuerit dicitur infra, num. 12.

2. *Hai.* Oppidulum Amorrhæorum ; alterum verò ejusdem nominis Ammonitarum erat, cujus mentio Jerem. 49. 3.

Bethaven. Nomen urbis et deserti, cujus mentio infra, cap. 18. 12.

Bethel. Sic dictam ob causam quæ Genes. 28. 19, habetur; priùs dicebatur Luza.

5. *Usque ad Sabarim.* Sabarim significat fracturas, confractiones, contritiones, ab hoc eventu fortasse, ut alibi videbimus factum, imposito nomine. Chald. et LXX, *usque dum contererent*, seu *confringerent eos*.

Instar aquæ liquefactum est. Quæ facillimè cedit, huc illuc fluctuat : ita qui animo consternati sunt, malis cedunt, animo fluctuant.

6. *Scidit vestimenta sua.* Fuit olim in magni doloris significationem vestium hæc laceratio perusitata : passim habes exempla in Scriptura, Jud. 11. 35, 1. Reg. 4. 12, Job 1. 20, 1. Mach. 2. 14, et alibi.

Coram arca Domini. Cùm Josue non esset pontifex, Sancta Sanctorum ingredi non poterat. Oravit ergo pronus ex proximo quo potuit loco, ad locum obversus, ubi erat arca.

Senes. Ita vocantur tribuum et familiarum principes, licèt fortasse non omnes essent ætate senes.

Miseruntque pulverem super capita. Etiam hoc in luctu usitatum, et alibi hujus ritus exempla in Scriptura. Sic Mardochæus, Esther. 4. 1, scidit vestimenta, et capiti cineres aspersit. Usitata etiam aliis gentibus pulveris hæc inspersio, et vestium laceratio. Virg. 12. Æneid.

. . . . , . . . it scissa veste Latinus,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

7. *Ut traderes nos in manus Amorrhæi.* Vel sensus est permissivus, quasi dicat, ut sineres nos in Amorrhæorum manus incidere ab iisque perdi; vel consecutivus, quasi dicat, quia nos trans Jordanem duxisti, ecce jam

evenit ut Amorrhæorum objiciamur furori, et ab iis cædamur et pereamus.

Utinam, ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem. Id est, ut aliqui cœperunt ibi trans Jordanem sedes sibi quærere. Hoc voto non videtur peccasse Josue, quia ita ex magno affectu locutus est, nec quasi inconsultè locutus, est a Domino reprehensus.

8. *Mi Domine.* Hebr. *in me, Domine*, quasi dicat : in me, Domine, oculi et aures tuæ intentæ sint et conversæ.

Quid dicam? Quid cogitabo?

9. *Quid facies magno nomini tuo?* Quod ab hostibus nostris traducetur, quasi non potueris tuos salvos præstare, et a periculis eripere.

* 10. *Surge.* Nullus hic deprecandi locus, neque nisi pœnâ sontis expiari potest populus.

11. *Sunt.... mentiti.* Omnes enim spoponderant se nihil ex anathemate ablaturos, cap. 6. num. 18. 19; nunc verò factum secus.

* *Inter vasa.* Domesticam supellectilem.

12. *Pollutus est anathemate.* Hebr. *populus ipse factus est anathema*, ut etiam habent LXX; et sensus est, exitio devoti sunt Israelitæ, et digni qui anathematis instar e medio penitus tollantur.

Donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. Hebr. et LXX, *nisi disperdideritis anathema e medio vestri.*

13. *Sanctifica populum.* Modo supra exposito, cap. 3. num. 5, per vestium scilicet lotionem, corporum, animorumque castimoniam, et noctis illius secubitum.

14. *Accedetisque manè singuli per tribus.* Masius probabiliter censet pro qualibet tribu earum principes se stetisse, eodemque modo familiarum, sive gentium capita, tandemque domorum patresfamilias, ultimo loco omnes qui ad eam familiam pertinebant. Probabile etiam est totum Israelem convenisse, ut sortitioni interesset, et divini indicii et judicii exitum cerneret.

16. *Applicuit Israel per tribus suas.* Fortasse inscriptis earum nominibus in schedulis.

18. *Invenit Achan.* Evenit enim quod Salomon ait in Proverbiis cap. 16. 33: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.*

19. *Fili mi.* Appellat filium; sunt enim principes boni subditorum suorum patres. Sic Abraham divitem illum in infernum demersum filium vocat : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 16. 25.

Da gloriam Domino Deo. Modus Hebræis usitatus, quo solebant rei tanquam per Deum adjurari, solemni ritu interrogari; admoniti iis verbis stare se coram Deo, reverendam sibi ejus esse majestatem ; ne ergo coram illo mentirentur, quia omnia probè sciret, quasi judicantes illum esse ignarum humanarum rerum (quæ magna in Deum erat injuria;) hunc potiùs illi honorem deferrent, ut confitendo illius reverentiâ veritatem, ostenderent se credere nihil illum ignorare.

20. *Verè ego peccavi.* Singula verba ab animo dolente profecta suam emphasim habent.

Domino Deo Israel. Peccavi Domino, id est, contra Domini præscriptum, vel, solo Domino conscio, quemadmodum et David dicebat, Ps. 50. 6 : *Tibi soli peccavi*, quia licet in Uriam peccasset, is tamen injuriæ sibi illatæ ignarus erat.

21. *Pallium coccineum valde bonum.* Vox hebraica אדרת *addereth*, vestem non quamcumque, sed fortem, splendidam et magnificam significat. Aquila et chaldæus habent, *vestem babylonicam*. Porro *Babylon*, ut ait Plin. lib. 8. cap. 48, *docuit diversos colores picturæ intertexere.*

Ducentos siclos argenti. Siclus unus quatuor regalibus hispanicis respondet.

Regulamque auream. Virgulam auream linguæ instar, laminam auream.

Contra medium. In medio.

23. *Ante Dominum.* Arcam Domini.

24. *Filios quoque et filias.* Probabile hos notasse quid pater egisset, eoque veluti emolumento insigni delectatos, et sic etiam ob propriam noxam interiisse. Si per ætatem, aut ignorantiam facti sceleris participes non fuerunt, sinè culpa, sed non sinè causâ, ob crimen scilicet patris, occisi sunt, ita jubente Deo qui vitæ et mortis Dominus est.

Boves et asinos. Quod factum ad summam facinoris detestationem.

25. *Quia turbasti nos.* Alludit ad etymon nominis Achan, de quo dictum supra, num. 1.

Lapidavitque eum. Et etiam combussit, ut expressè habetur in hebræo. Serarius putat primò combustum, tum in illius cineres ingestos lapides, et acervum illum, de quo n. sequenti, excitatum. Porro Achan, temporario exstinctum igne, ab æterno liberatum, cœloque re-

ceptum, graves auctores censent * ob insignem pœnitentiam et humilem sceleris confessionem.

26. *Super eum*. Super Achan solum.

Vallis Achor. Id est, *turbationis*.

CAPUT VIII.

Expugnatur urbs Hai, cujus rex in crucem agitur. Deuteronomii lex lapidibus inscribitur. Populus in duas divisus classes ex montibus Garizim et Hebal benedictiones et maledictiones proclamat.

1. NEQUE *formides*. Chald. *neque frangaris*.

4. *Ponite insidias*. Non omnia triginta millia, quæ noctu præmisit Josue, posita sunt in insidiis; magnus enim is numerus in eam rem, sed ex eo numero tantùm quinque millia de quibus num. 12.

* *Eritis omnes parati*. Ut cùm tempus fuerit, irrumpatis in urbem.

* 9. *In medio mansit populi*. In castris.

* 10 *Recensuit socios*. Fortasse ut post pugnam constaret neminem desideratum.

Cum senioribus. Quorum major rei militaris erat experientia, ut eorum consilio, quantùm opus esset, juvaretur.

* 13. *Ad aquilonem*. Ad aquilonarem urbis partem.

* 15. *Per solitudinis viam*. Per viam quæ ducit ad desertum.

18. *Leva clypeum*. Super hastam videlicet alligatum, ut fieret conspicuus iis qui erant in insidiis, juxta condictum. Non quòd qui latebant in insidiis viderent clypeum, sed, ut fieri solet, aliqui agebant excubias in edito loco, unde signum clypeo datum videre poterant, et eos qui latebant in insidiis admonere.

* 19. *Succenderunt eam*. Partem urbis intellige quæ vergebat ad septentrionem.

20. *Hi qui simulaverunt fugam*. Ex quibus nulli desiderati sunt.

* 22. *Medios hostium*. Hostes qui medii erant inter Israelitas.

24. *Ad deserta tendentem*. Dum simulat fugam per viam solitudinis, ut dicitur num. 15.

* 28. *Tumulum sempiternum*. Longissimi temporis; nam post aliquot secula videtur restituta, cùm illius mentio habeatur lib. 1. Esdræ, cap. 2. 28, et lib. 2. c. 7. 32, et 11. 31.

29. *Suspendit in patibulo*. LXX lignum hoc patibu-

lare διδυμον, scilicet *geminum*, appellant, quod crucem significat ex duobus lignis commissam. Licèt autem admodum infame esset hoc crucis suspendium, meritò tamen eo mulctatus rex Hai, quia malè acceperat Israelitas, et victoriâ insolentior factus fuerat, et quia principibus Chananæorum majus debebatur supplicium, qui suorum scelera adeo non vindicabant, ut potiùs eis pravo exemplo et peccandi licentiâ præirent.

Usque ad vesperam et solis occasum. In quo legem Deut. 21. 23, servavit Josue.

In ipso introitu civitatis. LXX, εἰς τὸν βόθρον *in fossam*: superingesti verò lapides, ut factum fuerat cum Achan, cap. 7. num. 6.

30. *In monte Hebal.* Hebal et Garisim montes prope Sichem siti sunt, quod patet ex judic. cap. 9. 7.

31. *De lapidibus impolitis.* Idem præcipitur Deut. 27. 5. Cur verò ad altare adhiberentur lapides non dolati dixi Exod. 20. 24.

32. *Scripsit super lapides Deuteronomium.* Pro multitudine rerum describendarum, numerus etiam lapidum acceptus est; fortasse fuerunt 12, pro tribuum numero.

33. *Omnis autem populus.* In ipsa valle stabant ex sacerdotibus aliqui, qui arcam fœderis gestabant; deinde circum hos alii sacerdotes, ac levitæ omnes; circum hos tertiò stabant majores natu, et duces, et judices, tandem deinceps tribus omnes ascendendo versùs montium cacumina.

* *Ut advena, ita et indigena.* Tam proselyti qui advenæ dicuntur, quàm Israelitæ.

Benedixit populo Israel. Vel per se ipsum ut propheta, vel per sacerdotes.

34. *Et cuncta quæ scripta erant.* In hebræo et LXX est, legit omnia verba legis, benedictionem et maledictionem, juxta omne quod scriptum est in libro legis.

CAPUT IX.

Josue decipitur a Gabaonitis, quibus impunitatem pollicetur; sed fraude retecta et populi altaris famulitio addicuntur.

1. TRANS *Jordanem.* Respectu terræ Moab.

Magni maris. Maris Mediterranei.

Juxta Libanum. Qui mons est in aquilonari parte terræ sanctæ.

3. *Qui habitabant in Gabaon.* Quæ, et quanta esset civitas Gabaon, et quales habitatores ejus, dicitur in

sacro textu, cap. 10. 2. Propriè Gabaonitæ erant ex Hevæorum gente. Si tamen Amorrhæorum nomen, ut aliquando fit, generatim sumatur, ipsi quoque inter Amorrhæos sunt recensendi: sic Gabaonitæ Amorrhæi dicuntur 2. Reg. 21. 2. Ex D. Hier. fuit Gabaon in tribu Benjamin. * Josephus lib. 7 Antiq. cap. 10, ait Gabaonem 40 stadiis Hierosolymâ abfuisse; lib. autem 2 de Bello judaico cap. 23, quinquaginta.

5. *Pittaciis*. Pittacium apud Celsum lib. 3. cap. 10, panniculus est qui medicamento illitus malè affectæ parti applicatur. Latiùs deinde sumitur pro corii, ut hìc, aut alterius materiæ segmento.

In frusta comminuti. Vox hebraica significat mucidos, et varii coloris maculis quasi punctis affectos.

9. *In nomine Domini Dei tui*. Famâ mirabilium rerum exciti, quas pro vobis fecisse dicitur Deus vester.

14. *Susceperunt igitur de cibariis eorum*. De pane, ut scilicet viderent num, sicut legati aiebant, esset ille tam aridus, et in micas redactus, aut mucidus, tractarentque manibus, et dentibus etiam fortassis explorarent. Alii putant Israelitas de cibariis Gabaonitarum in fœderis signum comedisse.

Os Domini non interrogaverunt. Divinum oraculum non consuluerunt.

15. *Fecitque Josue cum eis pacem*. Fuerant prohibiti Israelitæ pacem cum iis populis facere, qui sedes ipsis a Deo assignatas occupabant. Hoc autem ita accipiendum erat, nisi ipsi sacra Judæorum suscipere vellent, et bona sua Hebræis, quibus Dei voluntate debebantur, relinquere. Et quidem, quod ad religionem attinet, cum se mirabilibus a Deo patratis excitos, et in nomine Domini venire profiterentur, etiam a religione israelitica se non abhorrere significabant. Quod verò pertinet ad bona, se Israelitarum servos appellant, et mortem tantùm deprecantur. Itaque potuit Josue pacem cum Gabaonitis facere.

16. *Post dies autem tres*. Jam Gabaonitarum fraus retegitur, ex quo apparuit parum prudenter se in hac re gessisse Israelitas, ac 1. peccatum quòd in re tam gravi Dominum non consuluerunt; 2. quòd nimis facilè dictis a Gabaonitis crediderunt, et nimis propere negotium confecerunt; 3. quòd nimiùm sua quapiam laude visi sunt capi et oblectari, dum ex tanto intervallo dissitis regionibus ad se legatos destinatos audiunt, præsertim tam demissè agentes, et pacem postulantes.

Audierunt quòd in vicino habitarent. Fortasse a

frumentatoribus et pabulatoribus, qui in vicina loca excurrebant, vel ex Rahab meretrice, aut consanguineis ejus.

17. *Caphira, et Beroth, et Cariathiarim.* Hæ civitates Gabaon subjectæ fuisse videntur, ut colligitur cap. 10. num. 2.

18. *Eò quòd jurassent.* Poterant quidem Israelitæ datam fidem Gabaonitis non servare, quia errore decepti fuerant, nec in pacem cum tam vicinis populis consenserant; nihilominus, vel juramenti reverentiâ, vel quia se teneri ejus religione crediderunt, vel quia ut ita facerent inspiravit aut jussit Deus, rectè fidem datam non violarunt. * Optimè quadrant hìc verba Livii lib. 3: *Nondum hæc quæ nunc tenet seculum, negligentia Dei venerat, nec interpretando sibi quisque jusjurandum, et leges aptas faciebat; sed suos potiùs mores ad eas accommodabat.*

21. *In usus universæ multitudinis.* Abulensis putat etiam ad privatorum usus Gabaonitas ligna cædere et comportare debuisse, saltem usque ad terræ divisionem. Alii plures veriùs sentiunt ligna et aquam eos ministrasse tantùm ad publicos usus tabernaculi et altaris; cui cùm serviebant, ecclesiæ serviebant, et universæ multitudini. * Porro Gabaonitæ postmodum Nathinæi dicti sunt, 1. Par. 9. 2, 1. Esdræ 8. 20, et alibi.

23. *Sub maledictione eritis.* Servitutis scilicet vili ministerio addictæ.

Non deficiet de stirpe vestra ligna cædens. LXX habent, *non deficiet ex vobis servus.* Porro lignorum cæsores, et aquarum bajuli ut extrema et vilissima populi portio numerantur Deut. 29. 11; ubi enim dicitur, *exceptis lignorum cæsoribus*, verti potest cum LXX, *usque ad lignorum cæsores*, quasi dicat, a principibus usque ad vilissimos.

27. *Usque in præsens tempus.* An aliquando fuerint Gabaonitæ obligatione ferendorum lignorum soluti, incertum est. Olim celebrabant Hebræi festum quoddam, quod Xylophoriam vocat Josephus lib. 2 Captivit. cap. 31, quo populus sponte ligna offerebat, ne deficerent in usum altaris, et ejusdem oblationis lignorum mentio fit in Nehemia, cap. 10. num. 34. Quod ad aquas ferendas spectat, licèt Gabaonitarum labor fortasse fuerit imminutus per probaticam piscinam, et per aquas fontanas quas in templo aliqui fuisse volunt, adhuc tamen, ad complendos lateres et conchas, et alia hujusmodi, illo-

rum ministerium opportunum, ac fortasse etiam necessarium fuit.

In loco quem Dominus elegisset. In quo aut tabernaculum habuisset, aut templum.

CAPUT X.

Quinque reges Gabaon oppugnant, cum quibus Josue congressus solem precibus sistit, insignem victoriam reportat. Reges in crucem agit, alios plures urbibus eorum excisis interficit.

1. ADONISEDEC. Quod nomen *regem justitiæ* significat.

3. *Misit ergo Adonisedec.* Convocat Adonisedec alios reges, vel quòd ipse medius esset inter Gabaon, quæ se dediderat, et castra Israelitarum; vel quòd cæteros dignitate præcelleret. Arias Montanus putat penes hunc regem fuisse in alios reges potestatem ad lites componendas, et ad causas et negotia majoris momenti; atque ideo convocare alios juris illius fuisse.

Hebron.... Jerimoth.... Lachis.... Eglon. Quæ civitates in tribu Juda postea fuerunt.

4. *Quare transfugerit.* Quòd transfugerit.

7. *Ascenditque Josue de Galgalis.* Reliquit tamen stativa illa in Galgalis, eo munita præsidio quo adversus repentinas incursiones et casus opus erat.

10. *Conturbavit eos Dominus.* Fortitudine ac metu exanimavit.

In Gabaon. In agro Gabaonis.

11. *Lapides magnos.* Lapidosam grandinem, lapidum durorum instar; talis fuit enim hæc grando, ut habetur hoc eodem versiculo, in quo appellantur lapides grandinis, et LXX dixerunt, λίθους χαλάζης; sic etiam Ecclesiasticus, cap. 46. 6. Attriti sunt ergo Chananæi plagâ quæ in Pharaonem et Ægyptios fuit septima, Exod. 9. 23. 24.

De cœlo. Aere nimirum, qui sæpe in Scriptura cœlum dicitur; sic volucres cœli, etc.

12. *Sol, contra Gabaon ne movearis.* Verè stetit sol, quod et disertè dicitur in cantico Habacuc, cap. 3. 11: *sol et luna steterunt in habitaculo suo.*

13. *In libro Justorum.* * Videtur fuisse liber versu conscriptus de gestis heroum et virorum sanctorum veteris Testamenti. Metricè scriptum indicat Davidis lamentatio ex eodem libro Justorum desumpta, quæ ha-

betur 2. Regum, cap. 1. 18, quæ dictionem poeticam redolet. Ita Bonfrerius hìc. Alii putant fuisse librum in quo ritus continebantur, quo scilicet modo functiones variæ tam in bello quàm in pace fieri rectè possent ac deberent juxta legem, in quo etiam libro varia ad historiam pertinentia continerentur. Inchoatus fortasse sub Mose ad dirigendam praxim in variis actionibus reipublicæ; deinde variis temporibus, ut in hujusmodi libris fit, variis additamentis auctus.

In medio cœli. In cœlo ipso : * sic Abulensis, Em. Sa et Magallanes in hunc locum. Itaque non significatur æqualiter solem distasse ab oriente et occidente, sed tantùm inter hos duos terminos constitisse.

Spatio unius diei. Variæ circa hoc sunt sententiæ. Veriùs videtur stetisse solem horas duodecim, ita ut lux ejus diei esset horarum 24, lucis verò ac noctis totum spatium simul sumptum, horarum 36.

14. *Non fuit antea nec postea tam longa dies.* Ne Ezechiæ quidem tempore, cùm sol decem lineis per gradus, quos descenderat, reversus est, Isai. 38. 8; vel enim umbra tantùm, quàm projiciebat gnomon, retrocessit, sole cursum suum tenente; vel, si sol ipse regressus est, spatium temporis adhuc minus fuit; sunt enim qui doceant non unaquaque linea horam unam contineri, sed dimidiam tantùm, aut quadrantem; et si concedamus unamquamque lineam horæ unius indicem fuisse, sol tamen et umbra non est sensim regressa eo modo quo progredi solet, sed uno quasi momento decem illas horas confecit, et rursus solito modo remetiri cœpit : itaque totum spatium diei ac noctis triginta quatuor horarum fuit, non 44. * Adde sacrum scriptorem tantùm dicere non fuisse antea nec postea, scilicet usque ad tempus, cùm hæc scriberet, tam longam diem. Fieri etiam potest ut regressus solis tempore Ezechiæ contigerit prope solstitium hibernum, quo tempore horæ inæquales, quibus utebantur Hebræi, breviores multò erant quàm æstivæ.

Obediente Domino. Verbum hebraicum שמע *scamagh*, audire, exaudire et obedire significat. Hanc tertiam significationem noster interpres et LXX, qui usi sunt voce ἐπακούειν, secuti sunt, quæ versiones vim et efficacitatem orationis magis explicant.

15. *Reversusque est Josue.... in castra Galgalæ.* Revertebatur in Galgala, sed auditis, quæ de regum latebra hostiumque residuorum numero nuntiabantur, aliud consilium cepit, prout explicatur versu 17 et seq.:

sicque hostes insequi jubet, mandatque ut, cùm receptui caneretur, Macedam convenirent. Sicque hoc ipso die non est reditum in Galgala, sed stativa nocturna prope Macedam fuerunt.

21. *Integro numero*. Nullo planè desiderato.

Mutire ausus est. Sese illis vel minimùm opponere.

24. *Ponite pedes super colla regum*. Ut scilicet impiis meritas pœnas infligeret, et ut Israelitis animum adderet, et in magnam spem divinorum promissorum consequendorum erigeret.

26. *Percussitque Josue, et interfecit eos*. Non gladio, sed cruce, ut sequitur.

Super quinque stipites. Ut supra, cap. 8. num. 29, de rege Hai dictum est.

27. *Cumque occumberet sol*. Vide dicta cap. 8, loco cit.

Posuerunt super os ejus saxa ingentia. Ne quis cadavera ad honorificam sepulturam asportare posset, et ad rei memoriam perpetuam.

28. *Eodem quoque die*. Fortassis sensus est, eodem tempore; nam difficile intellectu videtur tam multa oppida inter se distantia tam citò capi potuisse, et ea quæ narrantur fieri tam brevi spatio. Ita Serarius. * At si sol, ut vult Bonfrerius, stetit ante meridiem, non mirum ea omnia quæ narrat sacer textus perfici potuisse.

Parvas reliquias. Nullos omnino reliquos fecit.

40. *Omnem terram montanam et meridianam atque campestrem, et Asedoth*. Significatur tam terræ situs quàm qualitas per binas veluti oppositiones : prior est terra montana et campestris; posterior est meridiana, aprica scilicet, et soli exposita, atque idcirco aridior; et Asedoth, quæ vox aquarum effusiones significat, hoc est, loca aquis abundantia et irrigua. Aliqui volunt Asedoth esse loci nomen proprium.

41. *Cadesbarne*. Est Judææ terræ limes extremus, versùs austrum.

Gosen. Vel urbs fuit in montosis Judææ locis, ut infra, cap. 15. 51; vel pinguis quispiam, herbidus et compascuus locus, illius instar quem suis in Ægypto fratribus tradidit Joseph, Genes. 47. 11.

CAPUT XI.

Rex Jabin et alii plures reges, urbes, populi expugnantur a Josue.

1. *Asor.* Quæ postea ad tribum Nephthalim pertinuit, infra, cap. 19. 36, sita fuit versùs Libanum montem, non procul a Cæsarea Philippi.

* *Misit ad Jobab.* Erant enim omnes hi reges subditi regis Asor, ut patet ex hoc capite num. 10.

2. *Ad reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis.* In jugis Libani, qui est in aquilonari parte Judææ.

In planitie contra meridiem Ceneroth. Ceneroth est urbs quæ postea dicta est Tiberias, juxta lacum qui in Scriptura dicitur mare Tiberiadis, et mare Cenereth, Num. 34. 11, et Deut. 3. 17; et mare Genesareth, Marci 6. 53, et alibi. Dicitur hìc Ceneroth in plurali numero, vel per enallagen, vel quòd essent duæ Ceneroth, vel ut non solùm lacui adjacentes agri significarentur, sed etiam paulò remotiores.

In campestribus. Fortasse Aulonem intelligit, vel vallem Illustrem, quæ et campus regius dicta est. Vide Genes. 12. 6, et 14. 17, et Deut. 11. 30.

Dor. Dor ab antiquis dicta Dorus, vel Dorum, vel Dora, meminit Steph. de Urbibus, Ptolomæus, et Plin. lib. 5. cap. 19. * Sita fuit in tribu Manasse cis Jordanem, infra, cap. 17. 11.

Juxta mare. In hebræo est, *a mari.* Quod idem est ac ab occidente.

3. *Chananæum.* Hìc Chananæum intellige prout specialem Chananææ gentis populum efficit.

Ad radices Hermon. Qui mons est pars Libani. Alius est etiam Hermon mons apud torrentem Cisson, non procul a Gelboe.

In terra Maspha. Maspha speculam significat: plures autem loci sic appellantur in Scriptura. Hæc de qua nunc est sermo in Libano fuisse videtur.

4. *Multus nimis.* Admodum multus. * Josephus vult fuisse peditum trecenta millia, equitum decem millia, e curribus verò pugnantium viginti millia.

Sicut arena, quæ est in littore maris. Hyperbole.

Equi quoque et currus immensæ multitudinis. In hebræo et græco, *multi valde.*

5. *Ad aquas Merom.* Est Jordanis lacus inter illius

ortum, et stagnum Genesareth. * Vide Josephum lib. 4 Belli cap. 1, et Adrichom. in tribu Nephthalim, num. 11.

6. *Hac eadem hora*. Hebr. *in tempore hoc*.

Subnervabis. Nervos incides, pedum scilicet et crurum. LXX dicunt, νευροκοπήσεις. * Id propterea jussit Deus, quòd non in equitatu, sed in Dei tutela spem suam locare vellet Hebræos. Psal. 19. 8 : *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini nostri invocabimus*.

Currus. Falcatos, aut alio modo ad bellum instructos.

8. *Usque ad Sidonem magnam*. Nota urbs in ora maris Mediterranei.

Aquas Maserephoth. Masius vertit *ustrinas aquarum*, alii, *combustiones aquarum*. Volunt aliqui has fuisse salinas ; alii, calidarum aquarum ebullitiones; alii, fuisse vitrarias fornaces ; quam sequitur sententiam Serarius propter quasdam conjecturas quas apud ipsum lege.

Campumque Masphæ. De Maspha dixi num. 3.

12. *Omnes per circuitum civitates*. Ex libris tamen Regum scimus sub Davide et Salomone quædam Chananæorum loca primò in ditionem Hebræorum venisse. Sensus ergo nostri textûs est, omnia expugnasse Josue, quæ oppugnavit; vel omnia cepisse dicitur, non quoad singula, sed quoad maximas et generales ejus partes, verbi gratiâ, montanam, meridianam, etc.

16. * *Montemque Israel*. Id est, montem Samariæ, qui post secessionem decem tribuum *mons Israel* dictus est. Vel montem Bethel in quo Jacob scalæ visionem habuit, ita ut mons a Jacob patriarcha, qui Israel etiam dictus est, nomen sortiatur.

20. *Ut indurarentur corda eorum*. Indurationis causa directè et per se est homo, qui suapte sponte, prorsusque liberè divinis inspirationibus acquiescere non vult. Deus verò indirectè tantùm, impropriè et per accidens causa est, quia scilicet indurationem illam permittit. * Induratio autem hæc in eo posita erat, ut statuerent se armis tueri, et nullam deditionis conditionem admittere.

21. *Interfecit Enacim*. Gigantes, posteros Enac.

23. *Tradidit eam in possessionem filiis Israel*. Hoc postea factum est infra.

CAPUT XII.

Enumerantur reges a Mose et Josue devicti.

1. *A torrente Arnon.* Fluvius est Moabitas sejungens ab Amorrhæis cis Jordanem positis, ut ex lib. Num. cap. 21. 31, patet. * Duobus terminis hic recensitis claudebatur tota illa regio trans Jordanem, torrente quidem Arnon ad meridiem, monte autem Hermon ad septentrionem. Eosdem terminos habes Deut. 3. 8, et 4. 48.

2. *Ab Aroer.* Vide cap. sequenti dicta ad num. 25. Describitur latitudo regni Sehon.

Jaboc. Est torrens dividens Galaaditidem ab Ammonitarum finibus.

3. *Ad mare Ceneroth.* Vide dicta supra, cap. 11. num. 2.

Bethsimoth. Est limes septentrionalis campestrium Moab. Vide cap. seq. num. 20.

Asedoth, usque Phasga. Vide cap. seq. num. 20.

* 4. *De reliquiis Raphaim.* Sic et Deut. 3. num. 11, dicitur : *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum.*

In Astaroth. Vide cap. seq. num. 31.

In Edrai. Vide ibidem.

In Salecha. Quæ dicitur Salcha, Selcha, Salchar, et Salchata. Vide Adrichomium in tribu Manasse.

5. *Gessuri.* Gessur regia civitas, quæ regioni vicinæ nomen dedit, ut Gessuri diceretur. Porro Gessuri regio israeliticæ terræ, quæ trans Jordanem est, versùs septentrionem terminus fuit.

Machati. Quæ et Maacha, urbs Amorrhæorum, sita juxta regionem Gessuri et montem Hermon.

7. *A Baalgad.* Alias Baalgath, mons item et urbs in campo Libano, sub monte Hermon sita.

In Seir. Nomen montis et oppidi in eo siti. Est mons excelsus trans Jordanem ad orientalem plagam terræ Hus situs. Nomen habuit mons hic ab Esau qui Seir etiam dictus est, hoc est, pilosus, hirsutus.

9. *Rex Jericho unus.* Primus ponitur rex Jericho, quia cum eo primùm, transito Jordane pugnatum est, ut supra vidimus.

Rex Hai. Res gestas contra regem hunc vidimus supra, cap. 8.

10. *Rex Jerusalem.* Adonisedec, de quo supra, cap. 10.

Rex Hebron. Quæ civitas est in sortis Judæ umbilico, ad Jerusalem austrum versùs, millibus 32 secundum Hieron. distans. Vide infra, cap. 14. n. 15.

11. *Rex Jerimoth*. Jerimoth, Lachis et Eglon civitates sunt in sorte Judæ.

12. *Rex Gazer*. Quæ civitas est in sorte Ephraim.

13. *Rex Dabir*. Alio nomine *Cariathsepher*, id est, *civitas Litterarum*.

Rex Gazer. . . . *Herma* . . . *Hered*. . . *Odullam*. . . . *Maceda*. Hæ quinque civitates numerantur in sorte Judæ.

16. *Rex Bethel*. Bethel non fuit capta vivente Josue, sed post illius mortem: vel ergo rex occisus est, urbe ejus intacta; vel hìc reges numerantur qui vel vivente, vel mortuo Josue ab Israelitis interfecti sunt. Vide Judic. 1 ubì de Bethel capta.

17. *Rex Taphua...Opher*. . . . *Aphec*. Taphua urbs in tribu Juda, ut patet infra, cap. 15. 34. Opher nescitur ad quam tribum spectaverit, quia non numeratur, in sortitione terræ sanctæ. Aphec est in tribu Aser, ut constat ex cap. 19. 30, juxta regionem Philisthinorum.

18. *Rex Saron*. . . *Madon*. . . *Asor*. Asor, cujus rex erat Jabin, nominatur in sorte Judæ, cap. 15. 23. Madon verò et Saron nulla mentio, nisi sit Seron in sorte Issachar, infra, cap. 19. 19.

20. *Rex Semeron*. . . *Achsaph*. . . *Thenac*. Semeron est in tribu Zabulon, ut patet ex cap. 19. 15. Achsaph in tribu Aser, nec multùm distat a Semeron. Thenac in Manasse occidentem versùs, ut patet infra, cap. 17. 11.

21. *Rex Mageddo*. . . *Cades* . . . *Jachanan*. Mageddo est in tribu dimidia Manasse, prope Thenac. Vide Judic. 1. 27. Cades in Galilæa est in sorte Nephthalim, ut patet infra, cap. 19. 37 et 20. 7. Erat una ex civitatibus refugii. Jachanan urbs ad Carmelum, postea levitis attributa.

23. *Rex Dor*. Vide supra, cap. 11. num. 2.

Rex gentium Galgal. Rex gentium dicitur, quia intra fines sui regni clientes habebat ex gentibus Chananæorum, qui in ejus ditione domicilium habebant. Distabat Galgal a Jericho stadiis decem. Vide dicta supra, cap. 5. num. 9.

24. *Rex Thersa*. In sorte Ephraim 3. Reg. 16. 6 et 8. Baasa et Ela reges Israel in hac urbe habitasse dicuntur.

Omnes reges triginta unus. Nam duo, quos Moses occidit, ad hanc summam non pertinent. Phrasi Scripturæ, etiam unius oppidi aut exigui tractûs domini, reges appellantur.

CAPUT XIII.

Partitio occupatæ regionis tam cis quàm ultra Jordanem in duodecim tribus.

2. *Quæ necdum sorte divisa est.* Hebr. potiùs significare videntur multùm terræ nondum occupatæ relictum esse, sed bene noster interpres, nam et quæ occupata erant, et quæ occupanda, sorte erant dividenda.

* 2. *Galilæa.* Hæc regio jam in ditionem Israelitarum venerat, supra, cap. 10, in bello quod ad aquas Meron gestum est, et vox hebraica גלילות *geliloth*, quæ hìc habetur, terminos, limites, aut fines significat: quare suspicatur Bonfrerius D. Hieronymum scripsisse *geliloth*, vel *galila Philisthiim*, quasi nomen proprium esset, et postea propter vocabuli similitudinem vocem *Galilæa* in textum irrepsisse.

Universa Gessuri. Terra quam Gessuræi occupaverant, a mari scilicet per aquilonarem oram secundum Syriam. De istis ergo Gessuræis agitur, non de illis qui Amalecitis vicini erant, quos tandem Saul delere jussus est 1. Reg. 15. 3.

3. *A fluvio turbido.* Nilo scilicet: * loquitur sacer textus de termino terræ Philisthiim Ægyptum versùs, non autem de peculiari limite Gessuri.

* *Accaron.* Terminus terræ Philisthæorum ad septentrionem.

In quinque regulos. Ditiones scilicet quinque regulorum.

*4. *Usque Apheca.* Sermo est de Apheca quæ fuit in tribu Aser, infra, cap. 19. 30; nam alia fuit in tribu Juda, ut habemus hoc libro, cap. 15. 53.

* 5. *Donec ingrediaris Emath.* Id est, usque ad Emath, quæ urbs regia fuit Libano vicina ad partem borealem.

* 6. *Ad aquas Maserephoth.* De quibus vide dicta cap. 11. 8.

* *Veniat ergo in partem.* In hebræo est, *cadere fac Israel in hæreditatem*, id est, divide inter filios Israel.

* 8. *Cum qua.* Loquitur de tota tribu Manasse, non de parte illius dimidia tantùm.

9. *Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio.* Vel una tantùm fuit civitas in ripa Arnon posita, et in alveum usque ædificiis producta: vel quasi bipartita civitas, quarum partium altera in crepidine

crepidine torrentis, sive fluvii ; altera brevi intervallo dissita, in alveo inferiori posita esset. * Vide infra, hoc eodem cap. num. 25.

* *Campestria Medaba, usque Dibon.* Duæ fuerunt urbes in ditione Sehonis regis. Cessit prior Rubenitis, posterior Gaditis. Utriusque meminit Isaias cap. 15.

* 10. *In Hesebon.* Vide infra, num. 17.

* 11. *Et Galaad.* Urbem potiùs intellige quàm montem ejusdem nominis.

* *Gessuri.* Vide cap. præcedenti, num. 5.

* *Montem Hermon.* Qui erat in extremo aquilonari limite regionis trans-jordaninæ.

* *Salecha.* Extrema urbs juxta montem Hermon ad septentrionem.

12. *Ipse fuit de reliquiis Raphaim.* De gigantum stirpe, ut multi vertunt. Chald. vertit, *de reliquiis fortium.*

13. *Nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri et Machati.* Quia ad dandum sedes duabus tribubus cum dimidia, tunc satìs agrorum et urbium suppetebat, illis intactis.

* 16. *Ab Aroer.* Loquitur de termino extrinseco Rubenitarum ; nam Aroer fuit in tribu Gad.

17. *Hesebon.* De hoc sermo est num. 21.26. Dicitur eam priùs Moabitarum fuisse, et ab Amorrhæis bello captam.

* *Dibon.* Hæc Rubenitis tribuitur hoc loco ; Num. verò cap. 32. 34, Gaditis, quia ad utramque tribum secundum diversam suî partem pertinebat, cùm in tribûs utriusque confinio sita esset.

Bamothbaal. Id est, *excelsa Baal*, locus ex quo Balaam benedixit Israeli, Num. 22.

Baalmaon. Quæ et *Beelmeon*, civitas inclyta, Num. 32. 38, 1. Par. 5. 8, Ezech. 25. 9, et ibi Hier. qui testatur suo tempore fuisse vicum maximum Moab. *Baalmaon* significat *idolum populi.*

18. *Jassa.* Urbs in tribu Ruben, quam attribuerunt Israelitæ levitis. Prophetaverunt contra eam Isaias, cap. 15, et Jer. 48. D. Hier. de locis hebr. sua ætate illius memoriam affirmat in ruinis celebratam. Jassa *rixam* significat.

Cedimoth. Sive *Cademoth*, civitas levitarum, de qua 1. Paral. 6. 79, a qua solitudo ejusdem nominis : significat *incendium*, *curvationem mortis.*

Mephaath. Civitas levitarum, dicta etiam *Miphaath*, et *Mephet*, et *Maspha*. Significat *apparitionem aquarum.*

19. *Cariathaim.* Significat. *lectiones* seu *vocationes.*

De hac urbe prophetaverunt Jerem. 48. 23, et Ezech. 25. 9.

Sabama. Urbs validissima, quam fabricaverunt filii Ruben, cujus suburbana et territorium vineis abundabat. Significat *conversionem*, sive *captivitatem*, sive *canitiem*.

Sarathasar. Id est, *plasmatio matutina*, in monte convallis Bethphogor.

20. *Bethphogor*. Id est, *fanum Phogor*, civitas in qua idolum Phogor, id est, Priapi colebatur.

Asedoth, *Phasga*. Id est, *viculus collis*; hæ tamen duæ voces in correctis bibliis separantur, ut duorum locorum nomina sint, quorum alter sit dictus Asedoth, alter Phasga.

Bethiesimoth. Id est, *domus vastationum*. Eam vocat Adrichomius urbem inclytam in limite aquilonari campestrium Moab sitam.

21. *Universaque regna Sehon regis*. Sensus is est quem ex hebræo ita quidem vertunt, *atque omnes urbes planitiei quæ omnes fuerunt regni Sehonis*; neque enim totum regnum Sehonis attributum fuit Rubenitis, sed tantùm pars quædam.

* *Duces Sehon*. Non sunt hi eodem bello cum Sehone rege occisi, sed alio bello Madianitico, ut habemus Num. 31, ubi num. 8 eorum nomina memorantur. Dicuntur autem duces Sehonis, quia licèt Madianitæ essent, aliqua tamen ratione illi subjecti erant.

22. *Et Balaam filium Beor*. Quem scilicet mirabilia, quæ acciderant populo Israel cui benedixerat, ab idololatria abducere non potuerunt; eum cum suis exitio eodem involvit justa Dei vindicta.

23. *Terminus filiorum Ruben Jordanis*. Terminus scilicet occidentem versùs.

24. *Cujus hæc divisio est*. Tribus Gad ab austro Rubenitis confinis erat; ab ortu Ammonitis et montibus arabicis; a septentrione ultra Jaboc porrigebatur usque ad Manaim: unde quodam veluti descensu excurrebat ad ipsum Jaboc ostium, prope in ea extremitate lacûs Tiberiadis, quà Jordanis effluit.

25. *Terminus Jaser*. Terminus scilicet orientalis. Jaser significat *auxiliatricem*. Fuit olim in ditione Moabitarum, ut habemus ex Isaia 16. 8, et Jerem. 48. 32.

Et omnes civitates Galaad. Quæ scilicet non pertinent ad tribum Manassis; nam hæc etiam dimidiam partem habuit Galaaditis, ut dicitur num. 31.

Et dimidiam partem terræ filiorum Ammon. Lyra-

nus putat Amorrhæos partem ditionis Ammonitarum occupasse, eamque, pulsis Amorrhæis, Israelitis cessisse. Alioqui Israelitæ Ammonitarum regionem occupare vetiti fuerant propter Loth a quo genus ducebant. Masius tamen putat tantùm vetuisse Dominum Moabitis regionem auferri, quòd num. 22 illorum tantùm mentio fiat; sed utriusque populi par conditio fuisse videtur, cùm eadem ratio militet.

Ad Aroer. Quæ etiam Ar et Arnon, Moab et Rabbathmoab, hoc est, grandis Moab, dicitur, urbs sita ad ripam torrentis Arnon in confinio Moabitarum, Amorrhæorum et Ammonitarum.

Rabba. Ita dicta ob magnitudinem : alio nomine vocata fuit Ammon et Ammam, et urbs aquarum, quòd Jaboc amnis eam præterlabitur. Dicta deinde est Philadelphia. Urbs regia et metropolis Ammonitarum.

26. *Usque Ramoth*, *Masphe*. Nomen est loci unius : post Hesebon enim montes erant Ramoth Maspha dicti quos latinè *speculæ colles* appellare possumus. LXX, κατά τὴν Μασφὰ, *juxta Maspha*.

Betonim. Sive Bethanim.

27. *In valle quoque*. Civitates quæ hic recensentur. mediterraneæ erant, et intra planitiem ipsam sitæ. Betharam significat *domum excelsam ;* Bethnemra, *domus pardi ;* Socoth, *tuguria ;* Saphon, *circius*, quod nomen est venti cui exposita fortasse fuit urbs illa.

⋆ *Hujus quoque finis*. Hoc est, hæc Gaditis adscripta regio habet pro termino occidentem versùs Jordanem fluvium, usque ad extremam partem maris Genesareth austrum versùs.

⋆ *Trans Jordanem*. Dictum est hoc ad indicandum situm totius tribûs Gad.

30. *A Manaim*. Id est, *castra*. Hic Jacob obvios habuit angelos Dei, unde et loco nomen imposuit.

Jahir. Alii scribunt Jair. Significat *illuminans*, sive *illuminatus*.

31. *Astaroth*. Quæ etiam dicitur Astarothcarnaim. Regia sedes Og regis Basan.

Edrai. Quam S. Hier. suo tempore exstitisse ait, et Adar, sive Adaram fuisse dictam.

32. *In campestribus Moab*. Regio enim illa plana magna ex parte, et campestris erat, licèt montibus esset contigua. Dicuntur campestria Moab, quia antequam illa loca occuparent Amorrhæi, ea Moabitæ tenuerant.

33. *Ut locutus est illi*. Num. 18. 20.

CAPUT XIV.

Caleb ex divino promisso accipit Hebron in portionem hæreditariam.

1. ELEAZAR *sacerdos et Josue.* Quos cum aliis principibus terræ divisores constituerat Dominus, Num. 34. 17. Eleazar primo loco ponitur, ut princeps sacer, et hic et aliis locis. Aliquando tamen solus Josue nominatur, ut cap. 13. 7, et cap. 18. 3, 8 et 10.

Principes familiarum. Quorum nomina habes Num. 34, et deinceps. In hebræo est, *capita patrum ipsarum tribuum filiorum Israel.* LXX appellant, ἄρχοντες πατριῶν φυλῶν τῶν υἱῶν Ισραὴλ, vel ἀρχιφύλυς.

2. *Sorte omnia dividentes.* Quomodo sors ista sit instituta non constat ex Scriptura. Varii modi, sed omnes incerti, afferuntur a Serario in cap. 13. quæst. 12. Dicuntur omnia divisisse, quia etiam eas regiones diviserunt, quas nondum occupaverant, et cuique tribui portionem suam adscripserunt.

Sicut præceperat Dominus in manu Moysi. Num. 34. 13.

* 4. *Successerunt.* Non in jus aut possessionem, sed ut numerum duodenarium in tribuum sortitione explerent.

In duas divisi tribus. A Jacob patriarcha qui Genes. 48. 5, dixit Josepho : *Duo ergo filii tui..... Manasse, et Ephraim, sicut Ruben et Simeon reputantur mihi.*

6. *Locutusque est ad eum Caleb.* Antequam hæreditatem tribûs Juda sortiretur.

Filius Jephone. Aliqui putarunt Jephone non esse nomen proprium, sed appellativum, et sic dictum Caleb, quòd insigni polleret prudentia, et in murmure exploratorum sedando sapienter se gesserit; idem enim est *filius Jephone*, quod *filius diversionis*, sive *filius prudens*, sed falluntur; est enim nomen proprium. Vide Serar. in cap. 13 Josue, quæst. 3.

Cenezæus. Cenez aliqui volunt esse nomen loci, alii Jephone etiam Cenez dictum fuisse. * Credibilius videtur Cenez patrem Jephone fuisse, aut certè unum aliquem ex progenitoribus ejus, a quo Cenezæus sit appellatus.

De me et te. * Scilicet, nos duos tantùm in terram promissam ingressuros : vide Num. 14. 30 et 38.

7. *Nuntiavique ei, quod mihi verum videbatur.* Cùm interim alii exploratores inter populum terrores sererent, ut habemus extremo cap. 13 Num.

9. *Terra quam calcavit pes tuus erit possessio tua.* De hac promissione Calebo facta hìc tantùm expressè loquitur Scriptura; videtur tamen Num. 14. num. 24, comprehensa illis verbis: *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me inducam in terram hanc.... et semen ejus possidebit eam.*

Secutus es Dominum Deum meum. Ejus scilicet voluntati parendo.

10. *Quando ambulabat Israel per solitudinem.* Essetque in mansione Cadesbarne, ex qua missi sunt exploratores in terram Chanaan.

12. *Enacim.* Filii Enac, gigantes, * qui licèt a Josue exterminati fuissent, supra, cap. 11. num. 21, videntur tamen rediisse, et locum adversus Israelitas munivisse, Josue interim aliis bellis occupato.

13. *Benedixitque ei Josue.* Benedicere est boni quippiam in alium conferre, quo ille ornetur et augeatur.

Cariatharbe. Idem est Cariatharbe, ac si dicat græcè τετράπολις, id est, *civitas quatuor.* Aliqui ita dictam putant ab amplitudine, quòd scilicet aliis quatuor civitatibus par esse posset. Verius est Arba nomen fuisse gigantis qui eam incoluerit, eique nomen dederit, ut diceretur civitas Arbæ. Dicta deinde est Hebron, ut putat Serarius, a *societate* et *amicitia* quam cum ejus loci principibus viris iniit Abraham, Genes. 14. 13. *Hebron* enim latinè vertitur *societas* et *conjunctio.*

Adam maximus. Non Adam humani generis parens; sed alius quidam homo (Adam enim hominem significat) procerissimæ staturæ, ille nimirum Arba qui urbi nomen dedit, quod indicant hebræa quæ sic habent: *Et nomen Hebronis antiquitus erat Cariatharba. Hic homo magnus in Enacim ipse.* Sunt tamen qui putent de protoplasto sermonem esse, sed minùs probabiliter.

CAPUT XV.

Describuntur fines, et sors tribûs Juda: Othonieli in uxorem datur Axa filia Caleb ob expugnatam Cariathsepher.

1. EDOM. Idumææ. * Erat autem Idumæa deserto Sin contermina, ut habemus Num. 34. 3: quem locum vide.

Desertum Sin. Scribitur per tzade, et non est desertum illud in quod mense secundo ab egressu ex Egypto venerunt Israelitæ, quod per samech scribitur

Videtur desertum hoc Sin extra Judææ sortem fuisse, juxta australem terminum lacûs Asphaltitis.

2. *Maris Salsissimi.* Lacus Asphaltitis. * Describitur australis limes tribûs Juda, qua parti orientali jungitur.

A lingua ejus. Lingua sinum significat, seu promontorium aliquod hujus lacûs, et hoc videtur verius; nam LXX habent, λοφιὰν, *cervicem*, *dorsum*. Chaldæus verò, *cepha*, id est, *petram*.

3. *Contra ascensum Scorpionis.* Clivus est, vel mons in quo vel scorpionum copia, vel quædam eorum figura et similitudo.

4. *Ad torrentem Ægypti.* Rhinocolura, qui aliquando etiam Nilus dicitur, vel quia ab eo parum distat, vel quia cum eo per subterraneos meatus aquas communicat.

Mare Magnum. Mare Mediterraneum, * quod tam terræ promissionis quàm tribûs Juda terminus est.

6. *Bethhagla.* Hæc, Genes. 50. 10, dicitur area Atad: distat a Jericho tribus milliaribus, sita inter ipsam et mare Salsum, seu Mortuum.

Boen filii Ruben. Vel Ruben nomen alicujus Chananæi, vel si sit filius Jacob, dici potest Boen ad lapidem istum præclarum quippiam egisse, et loco nomen fecisse, quod est verisimilius.

7. *Galgala.* Diversa quibusdam videntur ab iis, in quibus Israelitarum castra fuisse dicuntur cap. 5. 9.

8. *Filii Ennom.* Vallis Jerosolymæ adjacens, sic dicta ab Ennom quodam Jebusæo.

Gehennom. Significat vallem contristantem, vel decipientem, vel vallem divitiarum. Idem est Gehennom, et Gehenna, quæ syriacè infernum significat.

Raphaim. Gigantum.

9. *A vertice montis.* Qui adjacentem vallem Raphaim prospicit.

Ad fontem aquæ Nephtoa. Cui ab aquarum perennitate nomen factum videtur; Nephtoa enim apertionem significat sive sculpturam.

Montis Ephron. Monti Ephron adjacentia.

10. *Usque ad montem Seir.* Est alius hic mons ab eo qui in Idumæa Seir appellatur.

11. *Partis Accaron ex latere.* Linea ad occidentem protensa Accaron urbem a meridie inclusam præterit.

In Jebneel. Urbem, quæ mari proxima etiam Jamnia nominatur: erant autem duæ civitates eodem nomine dictæ inter Diospolim et Azotum.

14. *Delevitque ex ea Caleb.* Supra, cap. 10. 37, dic-

tum fuerat Hebron captam a Josue, etc. Nunc autem cùm dicatur a Caleb expugnata, dicendum videtur fortasse Chananæos iterum illam occupasse, et a Caleb fuisse receptam. Lyranus putat Caleb verè ac propriè urbes istas cepisse; dici tamen Josue illas cepisse per anticipationem, quia ejus concessu et auctoritate illas postea cepit Caleb.

16. *Cariathsepher*. Civitas Litterarum, sic dicta vel quòd ibi academia esset instituta, in qua litteris daretur opera; vel quòd antiquorum fuisset archivium, in quo vetera scripta monumenta post diluvium collocare solerent.

17. *Frater Caleb junior*. Ducere potuit Axam, quia nuptiæ inter patruum et neptem prohibitæ non erant in lege veteri.

18. *Suspiravitque ut sedebat in asino*. Ex hebræo aliqui vertunt, *lapsa est desuper asinum*, id est, descendit, ut ad patris genua provoluta impetraret quod volebat. Alii vertunt, *et confixit se desuper asinum*, fingens languorem, aut mœstitiam, inclinata super jumentum.

* 19. *Da mihi benedictionem*. Possessionem, hæreditatem, dotem.

Terram australem. Acceperat dotis nomine terram ad austrum, quæ et propter sitûs conditionem, et quia carebat aquis, admodum erat arida et sterilis; petit ergo irriguam.

* *Irriguum superius*. Duplicis generis scaturigines; unas superiores, quibus clivosa; alias inferiores, quibus planiora loca irrigari possent.

32. *Omnes civitates viginti novem*. Plures esse apparebit numeranti. Varii varia respondent. Expedita responsio est, si dicamus civitates tantùm fuisse 29, reliquas, quæ simul cum civitatibus numerantur, villas eis adjacentes esse, quod sacer textus indicat, cùm ait: *Omnes civitates viginti novem et villæ earum*.

36. *Urbes quatuordecim*. Recensitæ sunt quindecim, sed ex numeratis aliqua villa fuit.

63. *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem*. Tenuerunt Jebusæi arcem Sionis usque ad tempora Davidis a quo expugnata est, ut patet 2. Reg. 5. 7.

Non potuerunt filii Juda delere. Videtur Jerusalem fuisse in tribu Benjamin, atque ideo illius expugnatio non pertinuisse ad tribum Juda. Sed responderi potest cum Serario, Josue cap. 18, q. 14, partem unam Jerusalem ad tribum Benjamin pertinuisse, eam scilicet,

quæ Salem dicebatur, et septentrionalis erat; australem verò, quæ dicebatur Jebus, fuisse tribûs Juda, quam postea, cùm occupare vellet Judas, debuit etiam aliam oppugnare; quod consentientibus Benjamitis factum est.

CAPUT XVI.

Sors et fines tribus Ephraim.

1. *CONTRA Jericho et aquas ejus.* Idem videtur esse cum eo quod dicitur cap. 18. 12 : *Pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ*, sive, ut alii vertunt, *ad latus Jericho a septentrione.*

Solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel. Vox *ascendit* non est referenda ad vocem *solitudo*, sed ad vocem *sors* positam hoc eodem versiculo, ut notant Masius, Montanus et alii.

2. *Et egreditur.* Funiculus scilicet mensorius, sive linea terminorum.

De Bethel Luza. De Bethel quæ priùs Luza dicebatur.

4. *Possederuntque.* Quidam vertunt, *diviserunt*; inter se scilicet duæ tribus Ephraim et Manasse.

5. *Et factus est terminus.* Ab hoc versu usque ad finem capitis describitur possessio tribûs Ephraim.

6. *Circuit terminos.* Serarius putat legendum, *circuit terminus.*

* 8. *In vallem Arundineti.* Vallem arundinibus abundantem. Quidam putant per hanc vallem decurrere torrentem Carith, apud quem latuit Elias 3. Reg. 17. 3.

In mare Salsissimum. Vocem salsissimum irrepsisse putat in textum idem Serarius : hìc sermo est de mari Mediterraneo. Mare Salsissimum in Scripturis appellari solet mare Mortuum, sive lacus Asphaltites. * Mare tamen Mediterraneum salsum dici etiam potest salsissimum, si comparetur cum aquis dulcibus maris, ut appellat Scriptura, Galilææ et aliis hujusmodi lacubus qui carent salsedine.

9. *In medio possessionis filiorum Manasse.* Assignatis partibus regionis tribui Ephraim et Manasse, cùm spectatis circumstantiis locorum apparuisset divisionem æqualem non esse, attributa sunt Ephraim quædam loca intra fines tribûs Manasse, ut inæqualitas illa tolleretur. Ita Magalianus. Alii aiunt lineam quæ duas has tribus disterminabat aliquando incurrisse in terminos Manasse, aliquando recessisse : hinc factum ut oppida

aliqua essent Ephraim, quæ lineâ rectâ ductâ, in tribu Manasse fuissent. Ita Lyranus quem sequitur Salianus.

10. *Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum.* Hoc ipsum commemoratur Judic. 1. 29, in quo peccarunt contra Domini jussum, qui jusserat gentes illas deleri. Deuter. 20. 17.

Usque in diem hanc. Longè postea venit civitas hæc in Israelitarum ditionem, cùm scilicet Pharao Ægypti rex eam expugnavit, et filiæ suæ, quæ Salomoni nupserat, in dotem dedit, ut habemus in Reg. historia, 3. Reg. 9. 16.

CAPUT XVII.

Sors et fines mediæ tribus Manasse. Queruntur Ephraimitæ ob angustias sortis suæ; eas ut armis laxent, suadet Josue.

1. *MACHIR primogenito Manasse.* Imò et unigenito; sed ita loqui solet Scriptura, ut etiam eos vocet primogenitos, qui fratres nullos habent. Sic Christus in Evangelio, Matth. 1. 25, dicitur Virginis primogenitus.

Vir pugnator. Scilicet in Ægypto ubì vixit.

Habuitque possessionem. Non ipse, sed qui ab ipso ducebant originem filii et nepotes.

Galaad et Basan. Trans Jordanem.

3. *Salphaad verò.* Historiam filiarum Salphaad habes Num. cap. 27: vide ibi dicta.

* 4. *Et principum.* Qui sortitioni cum Eleazaro et Josue præerant, quorum habentur nomina Num. 34.

5. *Funiculi Manasse, decem.* Familiæ erant sex, scilicet Abiezer, Helec, Esriel, Sechem, Semida et Hepher. Porro ex Hepher natus Salphaad qui masculos non genuit, sed filias quinque suscepit. Hisce quinque filiabus portio sua, sive, ut loquitur Scriptura, funiculus suus assignatus est; totidem verò masculorum funiculi erant; omnes ergo decem. Nota tamen quinque portiones, quæ filiabus Salphaad obtigerunt, simul sumptas uni æquales fuisse portioni masculorum; sic enim servatur in partitione justitia.

6. *Filiæ enim Manasse.* Filiæ Salphaad, de quibus dictum est.

* *Qui reliqui erant.* Qui non fuerunt de harum sex familiarum stirpe.

7. *Ab Aser, Machmethath.* Ab urbe Aser versùs

Machmethath. Describit autem terminos hujus dimidiæ tribûs cis Jordanem, incipiens a terminis australibus qui illi communes fuerunt cum Ephraimitis, quibus hi termini aquilonares erant.

* *Juxta habitatores fontis Taphuæ*. Hoc est, et procedit idem terminus nonnihil versùs meridiem, declinando juxta eos qui in terra Taphuæ apud fontem habitant.

* 8. *Etenim in sortem*. In hebræo est, *ipsius Manasse fuit terra Taphuæ : Taphua verò in termino Manasse filiorum Ephraim ;* et sententia est, agros et possessiones terræ Taphuæ fuisse Manassitarum ; et ipsam urbem Taphuam, licèt intra Manassitarum fines esset, fuisse tamen Ephraimitis ad habitandum datam.

* 9. *Descenditque terminus*. Tendit enim versùs mare per declive.

* *Torrentis*. Sive vallis ; est enim eadem vox in hebræo.

* *Exitus ejus*. Extrema pars termini pervenit ad mare Mediterraneum.

* 10. *Et conjungantur*. Si duæ tribus Ephraim et Manasse per modum unius sumantur, conjunguntur tribui Aser; alioqui si sumantur seorsim, sola tribus Manasse tribum Aser attingit.

* *Et in tribu Issachar*. Eodem modo intellige de duabus tribubus simul junctis. Solent autem hæ duæ tribus simul accipi in Scripturis, ut etiam appellari uno nomine, scilicet tribus Joseph, ut hoc cap. num. 17.

11. *Fuitque hæreditas Manasse in Issachar et in Aser*. Hoc est, habuit tribus Manasse juxta duas dictas conterminas tribus urbes et vicos qui hìc numerantur.

* *Bethsan*. Urbs illustris Jordani vicina, alio nomine Scythopolis dicta.

Et tertia pars urbis Nopheth. LXX, τὸ τρίτον τῆς Μαφετὰ, vel potiùs Νάφετὰ. Masius putat non de tertia urbis parte, sed tractûs, vel regionis sermonem esse : Serarius accipit verba ut sonant, præsertim cùm LXX consentiant, nec ratio urgens aliud suadeat.

12. *Nec potuerunt filii Manasse*. Cur delere non potuerint ratio habetur Judic. 2. 20 : *Quia*, inquit, *irritum fecit gens ista pactum meum, etc., ego non delebo gentes, etc.*

13. *Fecerunt sibi tributarios*. In quo peccarunt contra Domini præceptum. Deut. 20. 16. *De his autem civitatibus*, inquit, *quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittas vivere.*

14. *Filii Joseph.* Tribûs Ephraim et Manasse.

Sortis et funiculi unius. Questæ sunt tribus illæ, quòd ambæ simul, non plùs jam in datis, amplis alioqui portionibus, vacuæ, quietæ, et a Chananæis liberatæ terræ obtinerent, quàm si una tribus essent, vel quàm uni tribui satìs esset.

15. *Ascende in silvam.* Efficite ne habitetis angustè. Silvas succidite, hoc est, Pherezæos et Raphaim sedibus suis expellite, et vos illas occupate. Per vos stat quominus laxè habitetis.

16. *Ferreis curribus.* Falcatis, vel aliter ad usum belli instructis.

* 17. *Non habebis sortem unam.* Si audeas viribus tuis uti, et terminos tuos laxare excisis Pherezæis, etc.

18. *Transibis ad montem.* Montanam scilicet regionem.

CAPUT XVIII.

Accuratior terræ promissionis descriptio, et partitio per Geometras. Sors, et limites tribûs Benjamin.

1. CONGREGATIQUE *sunt.* Quicumque totius populi personam sustinebant: pontifex, sacerdos, proceres, seniores, familiarum capita et præcipui quilibet. In hoc autem conventu duo potissimùm tractata sunt, alterum de Domini movendo tabernaculo; alterum de ducendis hæreditatum residuarum sortibus.

In Silo. Quæ est urbs in tribu Ephraim.

Ibique fixerunt tabernaculum. Non in aliqua domo, ut putat Abulensis, sed sub dio, ut pluribus annis fuerat in deserto. Porro ratio cur ex Galgalis in Silo translatum fuerit tabernaculum hæc esse videtur, ut commodiùs illud adire possent filii Israel; nam Galgala erat quasi in ipso limine terræ sanctæ, ac proinde æquum fuit ut ad interiora transferretur.

Fuit eis terra subjecta. Domitis Chananæis.

2. *Septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.* Per aliquot annos interrupta est terræ divisio, vel quòd aliquibus e populo suspicio incidisset, quasi minùs bona fide, aut minori saltem peritia fieret divisio; vel quòd (ut colligitur extremo cap. superiori et vers. 3. seq.) timerent Chananæos qui nondum erant deleti.

* 4. *Describant eam.* Non solùm metiantur, sed etiam cujusque loci conditiones describant, feraxne sit, an sterilis, etc.

Juxta numerum uniuscujusque multitudinis. Ut æquam singulæ tribus pro ratione ipsarum multitudinis hæreditatem accipiant. * Probabile est etiam ex illis tribubus, quæ possessiones acceperant, descriptores et mensores electos; nam etiam ipsarum intererat æqualem fieri divisionem, et terminos ita constitui ut nullus querelis locus superesset.

* 5. *In septem partes.* Si magnitudinem spectes, inæquales; si pretium, quantùm fieri potuit, æquales.

Domus Joseph ab aquilone. Non respectu totius terræ promissæ, sed tribûs tantùm Juda.

6. *Mediam inter hos terram.* Reliquam terram quæ nondum distributa est. Serarius putat scriptum fuisse in latino textu *aliam*, non autem *mediam;* nam terra, quæ dividenda erat septem tribubus, non erat media inter tribum Juda, et duas tribus Ephraim et Manasse, excepta ea parte quæ uni tribui Benjamin obtigit, ut patet ex vers. 11. seq.

* *Coram Domino.* Coram tabernaculo.

7. *Quia non est inter vos pars levitarum.* Est ratio cur in septem tantùm partes dividenda sit terra, quia scilicet levitæ sortem non habebant in Israel, sacerdotio contenti et proventibus illi adjunctis.

11. *Ascendit sors.* De urna scilicet.

12. *Fuitque terminus.* Termini hujus tribûs septentrionales describuntur, qui ab Jordane porriguntur, non usque ad mare Mediterraneum, quod tamen lib. 5. cap. 3, asseruit Josephus, sed usque ad Atarothaddar.

14. *Et inclinatur.* Termini sunt occidentales a dicta jam urbe Atharothaddar usque ad Cariathbaal, urbem tribûs Juda.

Contra mare. Versùs occidentem; nam mare Mediterraneum erat ad occidentem terræ sanctæ.

15. *A meridie autem.* Notantur termini australes, sive ad meridiem, qui eidem erant tribui Juda aquilonares, sed contrario hic modo describuntur, ab occidente scilicet in orientem, ab urbe scilicet Cariathiarim usque ad eam Jordanis lingulam, seu sinum, quo in mare Salsum influit, num. 15, 16, 17, 18, et 19, ubi aquilonaris terminus maris ejusdem est australis terminus ipsius Jordanis, itemque australis Benjamitarum termini extremum in orientali parte.

* 18. *Et pertransit.* Sensus est, et inde deflectendo nonnihil ad aquilonem procedit ad campestria, seu planitiem, descenditque in ipsam planitiem.

* 19. *Bethhagla.* In hebræo est, *ad latus Bethhaglæ*, relinquendo Bethhaglam ad septentrionem.

20. *Qui est terminus illius ab oriente.* Jordanis scilicet.

* *In circuitu.* Per terminos suos circumcirca descripta, et per familias, quas habet, distributa.

21. *Fueruntque civitates ejus.* Notandum vel urbium istarum aliquibus alia etiam esse nomina, vel non omnes tribûs hujus urbes hic esse recensitas, cùm infra duæ, cap. 21, nominentur quæ hic prætermissæ sunt.

28. *Jerusalem.* Recensetur inter urbes tribûs Benjamin, quia urbis hujus pars, quæ erat ad septentrionem, ad Benjamin pertinuit; quæ verò ad meridiem, ad Judam. Abulensis putat vel urbis alterius permutatione Jerusalem a Benjamitis relictam tribui Juda; vel animi potiùs parvitate ac desperatione, cùm diffiderent a se Jebusæos expugnari unquam posse.

CAPUT XIX.

Sortes tribuum reliquarum, Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephthali, et Dan; sua quoque portio Josue conceditur.

2. *In medio possessionis filiorum Juda.* Quod quomodo intelligendum sit, vide num. 9.

Bersabee et Sabee. Est duplex nomen unius tantùm civitatis: alioqui non essent tantùm tredecim urbes, ut dicitur num. 6, sed quatuordecim, ut patet numeranti.

* 8. *Contra australem plagam.* Loquitur de totius tribûs Simeonis sitibus.

9. *Quia major erat.* In hebr. est, *quia fuit pars filiorum Juda multa præ ipsis*, id est, major quàm ipsis necessaria esset, aut quàm ipsis deberetur. Credibile est portionem Judæ attributam, geometrarum errore fuisse majorem; sunt enim artium initia ferè rudia, et necdum ars metiendi agros ad eam perfectionem, quam nunc habet, deducta.

10. *Terminus possessionis.* Hic est terminus occidentalis, pergendo ab austro aquilonem versùs, ab urbe scilicet Sarid usque ad torrentem, qui est e regione urbis Jechonam.

* 11. *Ad torrentem.* Qui est juxta Sidonem, quem Papida vel Belum auctores appellant. Vide Plin. lib. 5. cap. 19, et lib. 36. cap. 26, et Josephum lib. 2 Belli cap. 9.

12. *Et revertitur.* Hoc et sequenti versiculo des-

cribitur australis terminus ab occidente orientem versùs, progrediendo scilicet a Sarid usque ad urbem Remmon.

* *Egreditur*. Terminatur; hoc enim significat egredi et egressus, cujus non semel mentio fit in his finibus tribuum constituendis.

13. *Amthar et Noa*. Videntur hæ duæ urbes terminum orientalem constituere ab austro ad septentrionem, ab Remmon ad Noam.

14. *Vallis Jephthael*. Septentrionalis terminus ab oriente occidentem versùs, a Noa usque ad torrentem, in vallem nimirum Jephthael, usque ad mare Mediterraneum.* Hujus vallis mentio non habetur alibi in Scriptura nisi hoc capite.

* 15. *Et Bethlehem*. Hæc est diversa ab ea in qua natus est Christus, quæ ad tribum Juda pertinuit.

Civitates duodecim. Plures tamen numerantur in textu : quare, quod supra monuimus, dicendum celebriores interdum vicos numerari, qui tamen subtiliùs rem exigenti in civitatum numerum venire non possint.

18. *Fuitque ejus hæreditas*. Civitates sex, quæ duobus hisce versibus numerantur, fuerunt terminus australis tribûs Issachar.

Jezrael. Civitas omnium facilè princeps, de cujus valle vide cap. 16. num. 16.

20. *Rabboth*. Rabboth cum reliquis quatuor urbibus, quæ proximè numerantur, sunt terminus occidentalis ab austro ad aquilonem progrediendo. Serarius ait pervenisse hanc tribum usque ad mare Mediterraneum, quod ex eo colligit, quia mons Carmelus ex Josepho ad hanc tribum pertinebat; Carmelus autem ferè mari imminet.

21. *Enhadda*. Enhadda cum reliquis quatuor urbibus quæ hoc et sequenti versiculo recensentur, sunt terminus ejusdem tribûs ad aquilonem.

22. *Thabor*. Est nomen urbis, non montis, aliàs non constaret numerus urbium. Videtur tamen aut mons urbi vicinæ, vel urbs monti nomen dedisse.

* *Bethsames*. Quæ est alia ab ea quæ in tribu Juda, cujus mentio fit infra, cap. 21. 16.

Exitus ejus Jordanis. Terminatur tribus hæc Jordane ad orientem.

25. *Fuitque terminus eorum Halcath*. Tribûs Aser terminus occidentalis quadam ex parte ab aquilone in meridiem progrediendo.

27. *Ac revertitur*. Hoc est, latus australe ob oriente in occidentem.

Egrediturque ad lævam. Latus orientale ab austro in aquilonem, et hoc etiam versiculo continetur latus septentrionale ab oriente in occidentem, quia isti duo termini, orientalis et aquilonaris una veluti gyratione simul explicantur.

33. *Cœpit terminus de Heleph.* Terminus orientalis describitur tribûs Nephthali, qui a septentrione versùs austrum per urbes monstratur. Hæ verò cùm ad Jordanem ferè sitæ sint, fit, ut et ipse a suo exortu ac fonte Jordanis usque ad seipsum in Genesareth mare influentem rectè dicatur terminus orientalis.

34. *Revertiturque terminus.* Terminus australis ab oriente in occidentem, idem scilicet, qui Zabuloni erat aquilonaris; sed hìc urbibus duabus indicatur, quæ in ipsa tribu Nephthali sitæ sunt.

Et in Aser contra occidentem. Terminus occidentalis indicatur idem qui tribui Aser erat occidentalis.

Et in Juda ad Jordanem contra ortum solis. Non significatur tribum Nephthali esse conterminam tribui Juda, sed quòd facili et opportuna, vel per Jordanem navigatione, vel per ejus littus profectione jungantur, et quodammodo vicina et affinis sit tribui Juda, ita ut licèt sit versùs aquilonem extrema tribus Nephthali, per commercium tamen cum aliis tribubus propter iter facile et expeditum jungatur, et earum bona participet, et nominatim tribûs Juda. Terminus porro aquilonaris hujus tribûs erat Libanus mons.

38. *Civitates decem et novem.* Numeranti apparet plures esse, sed quomodo hoc intelligendum sit diximus hoc cap. num. 15.

41. *Et fuit terminus.* Termini tribûs Dan non aliter hìc explicantur, quàm aliquarum urbium, quæ tamen unum aliquem ordinem non tenent enumeratione, sed ex qua apparet maximam hujus tribûs partem tribûs Juda terminis inclusam fuisse ob eamdem scilicet causam, propter quam intra eosdem tribum Simeon receptam fuisse diximus hoc cap. num. 9.

50. *Juxta præceptum Domini.* Cujus mentio quædam fieri videtur supra, cap. 14. 6, illis verbis Calebi ad Josue : *Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne.*

Thamnathsaraa. Quæ Judic. 2. 9, dicitur Thamnathsare.

CAPUT XX.

Sex refugii civitates designantur, et jura ad eas confugientium describuntur.

2. *De quibus locutus sum.* Num. cap. 35, Deut. 19. Vide ibi dicta.

3. *Animam percusserit.* Hominem occiderit.

Nescius. Soli enim involuntarii homicidæ et culpâ carentes jure asyli gaudebant. Vide Deut. 19. 4.

Proximi, qui ultor est sanguinis. Cognati scilicet, cui permissum est occidere percussorem propinqui sui, absque alia judicis condemnatione, quocumque loco eum repererit.

4. *Stabit ante portam civitatis.* In portis enim civitatum prætoria constituebantur, et ibi exercebantur judicia.

5. *Nec ante biduum, triduumve, ejus probatur inimicus.* Ex quo capi potest conjectura non dolo, sed casu occisum. Quod dicitur, *ante biduum, triduumve*, in hebr. est, *ab heri et nudius tertius*, quod phrasi Scripturæ idem est quod *antea.*

6. *Donec stet ante judicium.* Ex versione LXX textus noster lucem accipit. Habent illi, *et non morietur homicida à persequente sanguinem quoadusque constiterit coram synagoga in judicium.*

Moriatur sacerdos magnus. Pontifex. Cur a refugii urbibus et exiliis pontificis mors exules liberaret, varii varias afferunt rationes. Vera ratio, quia sic jussit Dominus. Sic autem jussisse videtur, ut hac figura significaretur vera illa libertas quæ nobis per Christum pontificem parta est. Hic enim verè maximus pontifex est, ut docet S. Paulus ad Hebræos, et per homicidas illos significantur omnis generis peccatores.

* 7. *In Galilæa montis Nephthali.* In hebr. est, *in Galilæa in monte Nephthali;* itaque in textu nostro est hypallage.

* 8. *Statuerunt.* Confirmarunt; jam enim antea a Mose constitutæ fuerant, Deut. 4. 42.

9. *Et advenis.* Proselytis tamen et ad judaismum conversis. Sunt tamen qui velint etiam gentiles in gentilismo permanentes jus asyli in his civitatibus habuisse.

CAPUT XXI.

Levitis assignantur civitates 48 cum suburbanis; et Israelitæ pace sæpius a Deo promissa fruuntur.

2. *Dominus præcepit.* Non negligebantur levitæ a Josue et aliis terræ divisoribus, sed priùs tribubus fuit portio assignanda regionis, et tum demum ex quaque tribu eligendæ civitates quæ levitis darentur. Nec levitæ contra officium faciunt cùm petunt sibi urbes; nam honestè petitur quod jure debetur: nec damnari possunt quasi importuni, quia licèt Josue et populus parati essent dare, fiebant tamen ista levitarum petitione ad tribuendum proniores.

3. *Dederuntque filii Israel.* Adhibita sorte, ut patet hoc capite, num. 4, 6 et 10.

4. *In familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis.* Quatuor hoc capite statuuntur levitarum partes. Prima est sacerdotum qui omnes Aaronis posteri erant et de stirpe Caath. Secunda reliquorum levitarum de stirpe Caath, sed non sacerdotum, quia Aaronis posteri non erant, cujus familiæ tantùm sacerdotium tributum fuerat, et pontificatus. Tertia levitarum Gersonitarum. Quarta levitarum Meraritarum.

Civitates tredecim. Primæ levitarum parti, hoc est, sacerdotibus datæ sunt civitates tredecim, quarum novem erant ex tribu Juda, et Simeon, reliquæ quatuor ex tribu Benjamin. Fuit profectò mirabile tot urbes tam paucis sacerdotibus tribui. Nam in transitu Jordanis, hoc est, 14 annis ante terræ divisionem, sacerdotes omnes ferè fuerunt viginti quatuor, ut ex Serarii supputatione patet, Josue cap. 5. q. 1. Itaque etiamsi quater decies multiplicentur, nondum tamen poterant hoc tempore divisionis esse quadringenti sacerdotes. Et si per tredecim liceat dividere hos quadringentos, apparebit non potuisse esse in singulis urbibus sacerdotes 31: sed populus cum levitis largus esse voluit, et non quantùm crevissent spectavit, sed quantùm crescere in posterum possent.

5. *Reliquis filiorum Caath.* Qui cùm non essent de stirpe Aaron sacerdotes non erant.

11. *Cariatharbe patris Enach.* Vide dicta cap. 14. num. 15.

12. *Agros verò et villas.* Non fuerat concessa Hebron Caleb, ut ipsâ potiretur, sed tantùm ager circumjectus.

Ipse tamen Hebron oppugnavit, et oppugnanti præmium proposuit, non solùm quia eam capi publicè intererat, sed etiam quia tenentibus eam Chananæis, ipse cum suis ab hostium excursionibus tutus non fuisset. Ita Magalianus. Serarius verò hoc cap. quæst. 9, putat Caleb levitis Hebron donasse, sibi verò agrum et vicos retinuisse; in quo secutus est Tostatum qui etiam docet levitas in urbibus assignatis habitandi tantùm jus habuisse : cæterùm vectigalia aliosque proventus, si qui erant, v. g., ex lapicidinis, aut auri argentive fodinis et similibus, ad eas tribus pertinuisse, in quibus urbes illæ levitarum sitæ erant. Itaque si quid tale habuit Hebron, Calebo mansit.

16. *Ain, et Jeta.* Paralipomen. l. 1. cap. 6. 59, Jetæ nulla mentio, pro Ain vero est Asan. Ex hebræis aliqui dicunt varietatem ex eo oriri, quia cùm ex assignatis civitatibus quædam essent in Chananæorum potestate, interim suffectæ sunt aliæ, dum quæ fuerant constitutæ in potestatem Israelitarum venirent; itaque in uno textu substitutas legi, in alio verò primario designatas. Veriùs fortasse dici posset loca quædam duplici nomine vocari, aut decursu temporis in vocabulis mutationes aliquas factas fuisse.

17. *De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon.* In Paral. l. 1. cap. 6. 60, nulla fit mentio urbis Gabaon, et pro Almon scriptum est Almath : utraque vox significat juventutem. Quare hæc ipsa urbs 2. Reg. 3. 16, Bahurim, quod etiam vocabulum juventutem significat, nuncupatur.

20. *Reliquis verò per familias filiorum Caath.* Qui sacerdotes non erant, cùm ab Aarone prognati non essent.

* 21. *Urbes confugii.* In hebr. est, *urbem confugii*, scilicet Sichem; nam aliæ non fuerunt ad hoc munus destinatæ. Qua ratione latinus textus defendi debeat vide apud Bonfrerium.

26. *Inferioris gradûs.* Qui scilicet sacerdotes non erant.

27. *Filiis quoque Gerson.* Sequitur sors Gersonis loco tertio : quamvis enim primogenitus esset Levi, primam tamen sortem non est assecutus inter levitas; nam propter Aaronis familiam præcipuam, penes quam sacerdotium erat, et pontificatus, prælati sunt Caathitæ ad quos Aaron et Moses pertinebant.

34. *Inferioris gradûs.* Qui sacerdotes non erant, ut dixi num. 26.

36. *Jaser*. Hæc civitas est in textu LXX, sed non in hebræo. Vide Serarium.

Civitates quatuor. Quomodò quatuor, cùm sint numeratæ quinque? Serarius putat Misor esse eamdem cum Bosor, et ex textu LXX irrepisse in nostram editionem latinam. Sententia constabit, si dicamus Misor in nostro textu per appositionem exprimi, ut sensus sit: Bosor in solitudine, quæ est Misor; quæ Misor alio nomine appellatur.

41. *Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram*. Ei scilicet assignavit, et ad eam totum jus dedit. Multam tamen adhuc superfuisse terram acquirendam, cùm hæc dicerentur, patet ex c. 13. supra, et infra, 23. Hæc autem vera sunt secundum modum et formam promissionis factæ, ut scilicet temporibus congruis Deus daret terram promissionis, cùm scilicet ipsi sufficerent ad inhabitandum. Vide Exod. 23. 29, et Deut. 7. 22.

Et possederunt illam atque habitaverunt in ea. Intellige pro majori parte, nonnihil ferè in singulis tribubus reservando acquirendum.

42. *Dataque est ab eo pax*. Ut nulla vicina natio Israelitas auderet vexare.

Nullusque eis hostium resistere ausus est. Ferè nullus, ait Sa, vel Josue exercitum ducente, ut explicat S. Augustinus, qui etiam illud *resistere* interpretatur *lacessere*.

CAPUT XXII.

Tribus Ruben, Gad, et dimidia Manasse redeunt ad possessiones suas; ad Jordanem altare excitant, et incurrunt violatæ religionis suspicionem, sed eam purgant expositis consilii sui causis.

3. *Longo tempore*. Id est, longo admodum tempore eorum commilitones fuistis. Hebr. habet, *hisce diebus multis*.

Usque in præsentem diem. Quo septimus annus in decursu est.

8. *Dividite prædam*. Monet Josue ut cum suis, qui trans Jordanem remanserant, prædam dividant. Hoc autem Josue præceptum consentaneum erat legi Num. cap. 31. 27, ubi præcipitur ut dividatur præda ex æquo inter eos qui pugnaverant, et inter reliquam multitudinem quæ ad bellum non processerat.

9. *Galaad terram possessionis suæ*. Galaad in Scriptura aliquando montem tantùm significat, de quo Genes. 31. 28, Jerem. 8. 22; aliquando urbem ad montem illum sitam, de qua Num. 32. 39; aliquando regiunculam quæ a monte illo ad Jordanem usque porrigitur, et Galaaditis dicitur; aliquando, ut hic, totum illum tractum in quo Sehon et Og reges olim regnaverunt.

In manu Moysi. Per Mosem, seu Mose administro.

10. *Ad tumulos Jordanis*. Ad aggeres sive tumulos qui Jordanis aquis objecti illas coercebant.

In terram Chanaan. Antequam transirent Jordanem et venirent in terram Galaad.

Altare infinitæ magnitudinis. Hyperbole. Altare eximiæ magnitudinis. Hebræus ait fuisse *magnum ad conspectum*.

12. *Convenerunt omnes in Silo*. Nulla convocationis mentio fit, quare videntur Israelitæ zelo legis concitati sponte convenisse.

Ut ascenderent et dimicarent contra eos. Tanquam contra legis transgressores, quia Dei præceptum fuit ut in toto israelitico populo unus tantummodo locus sacrorum esset, unumque altare sacrificiorum. Exod. 20. 24, Levit. 17. 8 et 9, Deut. 12. 5, 11, 13.

13. *Et interim miserunt*. Missi legati, et in his præcipuus Phinees Aaronis nepos, vir sapientia, sanctitate, zelo, eloquentia spectatissimus. Summa legationis ut cognoscerent cur excitatum altare, et, si crimen idololatriæ deprehenderent, monerent, et ad sanam mentem revocare conarentur; si non parerent, bellum eis internecinum indicerent.

16. *Hæc mandat omnis populus*. Conciliat legationi suæ auctoritatem Phinees, quòd populi totius nomine, voluntate et potestate missus esset cum sociis.

Domini. Emphasim habet. Populus Deo fidelis ad populum apostatam.

Quæ est ista transgressio. Crimen tanquam certum objicit; sic enim magis excitabantur transjordanini ut quod objiciebatur, si falsum esset, pernegarent, et quo animo factum esset explicarent.

Altare sacrilegum. Hebr. *altare ad deficiendum*, seu *apostatandum a Deo*.

* 17. *In Beelphegor*. Habes historiam Num. cap. 25.

Macula hujus sceleris in nobis permanet. Infamiâ sceleris illius adhuc laboramus; vel, usque in hunc diem sceleris illius pœnas damus, quamvis condonata sit culpa.

* *Multique de populo*. Viginti quatuor hominum millia, ut habemus Num. 25. 9.

19. *Immundam esse terram possessionis vestræ*. Quòd scilicet apud vos tabernaculum non sit, nec altare, nec sacrificia.

Habitate inter nos. Parati enim sumus portionem terræ nostræ vobis cedere, et dispendio hoc nostro a scelere vos abducere.

20. *Et ille erat unus homo*. Quasi dicat, si pro hominis unius peccato tanta in Israel clades immissa est, quid putamus futurum peccantibus non tam multis?

* 22. *Fortissimus*. Juramenti formula, quasi dicat: fortissimus Deus, qui pejerantes plectere potest, et quem nihil latet, hæc nobis faciat et hæc addat, si, etc.

23. *Ipse quærat et judicet*. Quærat vindictam, et judicet ac puniat, si malo animo fecimus.

24. *Tractatu*. Hebr. *sollicitudine*, seu timore.

* *Cras*. Futuris temporibus.

27. *Juris nostri sit offerre*. Eo scilicet loco ubi fuerit Domini tabernaculum, et altare, quemadmodum alii Israelitæ hoc jure gaudent.

Non est vobis pars in Domino. Nihil vobis cum Domino; scilicet, non est Deus vester.

31. *Liberastis filios Israel de manu Domini*. Ne ob vestram culpam totum Israelem Dominus attereret.

34. *Testimonium nostrum*. Quòd ejusdem Dei et religionis cum reliquo Israele cultores simus.

CAPUT XXIII.

Josue senex et morti proximus Israelem adhortatur ut divinam legem sanctè colant, et nominatim ut societatem gentilium caveant.

2. *Vocavit Josue omnem Israelem*. Aliqui putant cœtum hunc a Josue vocatum in Silo, alii in Thamnathsaraa quæ ipsius urbs et hæreditas erat, ut patet ex cap. 19. 50. Dicitur convocasse omnem Israelem, quia principes tribuum et præcipuos quosque advocavit, ut satis ex hoc versiculo apparet.

* *Duces*. In hebræo et græco est, *judices*.

Ego senui. Causam conventûs ostendit.

4. *Divisit*. Hebr. et chald. *divisi*.

7. *Postquam intraveritis ad gentes*. Verbum *intrare* ex vi phrasis hebrææ accipi potest, vel speciatim de familiaritate ac necessitudine quæ conjugio initur, vel

potiùs generatim de omni familiaritate atque consuetudine.

13. *In foveam, ac laqueum.* Laqueus est hoc loco is maximè quo implicantur et impediuntur pedes, et ideo LXX verterunt, *in scandala*, et nonnulli, *in tendiculum*. Masius, *in rete*.

Offendiculum ex latere vestro. LXX habent, *clavos*, qui cùm sunt longiores, et corpori pungendo et lancinando adhibentur, vocari solent stimuli quibus latera fodicari solent. *In hebræo est, *flagellum in lateribus vestris*. Loro enim latera cædi mos erat. Vide Eccles. 30. 12 et 42. 5.

Sudes. Verti possunt etiam *spinæ*.

16. *Citò atque velociter.* Licèt unum tantùm sit vocabulum in hebræo, ejus tamen intensa celeritas duplicato hìc adverbio rectè significatur, quorum alterum ad improvisam ejus immittendæ pœnæ celeritatem, alterum ad executionis velocitatem refert Masius.

Ab hac terra. Latet emphasis, quam scilicet jam possidetis, et labore multo temporeque diuturno paravistis, et ad quam desiderio magno venistis.

Quam tradidit vobis. Ut tanto Dei beneficio spoliari miserum sit, suâ id culpâ et peccato amittere ingratissimum ac sceleratissimum.

CAPUT XXIV.

Commemorat Josue divina beneficia in Israelitas collata, et fœdus cum Deo initum. Moritur 110 annorum; moritur etiam Eleazar pontifex. Ossa Josephi sepeliuntur in Sichem.

1. In *Sichem.* LXX, *in Silo*: et huic versioni favent quæ dicuntur hoc eodem versiculo, *steteruntque in conspectu Domini*, coram tabernaculo quod erat in Silo. Nec tamen discordat textus noster; nam in Sichem idem est ac in agro Sichem in quo erat Silo. *Ita Serarius. Bonfrerius putat mendum irrepsisse in textum LXX, et pro *in Silo*, legendum, *in Sichem*, quò arcam Domini deportatam putat horum comitiorum tempore.

2. *Trans fluvium.* Euphratem.

Servieruntque diis alienis. Thare scilicet Abrahami pater et Nachor * Abrahami frater, ut patet ex hebræo. Serarius in hoc cap. quæst. 2, doctores nonnullos citans, docet etiam Abrahamum, cùm ætate junior esset, secutum parentes idola coluisse. Alii contrarium asserunt.

* 4. *Montem Seir.* Idumæam.

11. *Pugnaveruntque contra vos.* D. Aug. q. 26 in Josue ait *pugnare* fuisse claudere portas contra hostem.

Amorrhæus et Pherezæus. Pro *itemque Amorrhæus, etc.* Quidam tamen putant ex omnibus his populis fuisse aliquos in Jericho, cùm oppugnaretur.

12. *Misique ante vos crabrones.* Quod pollicitus fuerat Dominus, Exod. 23. 28, Deuter. 7. 20. S. Augustinus crabrones metaphoricè interpretatur, et vult fuisse aut prævolantes rumores de adventu Israelitarum, quibus pungebantur animi Chananæorum, vel dæmones. Sed communis et recepta sententia explicat de veris crabronibus, vide Sap. 12. 8.

* 14. *Auferte deos.* Ex hoc loco patet et in Ægypto, et tempore etiam Josue aliquos fuisse, qui clam idola retinerent et colerent. Vide hoc cap. n. 23.

15. *Optio vobis datur.* Non fit potestas quod voluerint eligendi, sed duo componuntur, quorum alterum pessimum est, alterum optimum, ut hoc eligendum esse clarè omnino appareat. Sic dicimus : alterutrum vobis, ô mortales, eligendum est : aut pœna æterna, aut perpetua beatitudo; quod vultis eligite. Hoc exhortandi modo usus est Elias 3. Reg. 18. 21, Eccl. 15. 18.

19. *Non poteritis servire Domino.* Est vehemens adhortatio ad fortiter et constanter capessendam servitutem Domini : sic imperator militibus postulantibus ut potestas fiat in hostem irrumpendi : Non vincetis, inquit, non resistetis eorum viribus, etc. : sicque animos eorum acuit in prælium.

Deus enim sanctus. Quasi dicat, servire Domino non poteritis, nisi magno animo et constanti voluntatis destinatione Deo adhærere statuatis, sanctos mores colere nullumque crimen admittere, quo ille sanctitatis amator irritetur.

25. *Percussit ergo Josue in die illo fœdus.* Modus quo percussit statim in sequentibus explicatur.

Proposuit populo præcepta. Vel ea populo recitando, vel tanquam fœderis, quod pungebat, conditionem imponendo, ut scilicet statuta et judicia custodirent.

* 26. *Omnia verba hæc.* Renovatum fœdus et omnia quæ in eo dicta fuerant et facta.

* *In volumine legis.* In quo Moses Deuteronomium conscripserat, quodque in arcæ latere constitui jusserat Deut. 31. 24 et 26; e quo verisimiliter lecta sunt et proposita præcepta illa et judicia de quibus est sermo num. præcedenti.

Et tulit lapidem pergrandem. Erexit hunc lapidem

quasi statuam, ut videtur appellari Judic. 9. 9, magnitudine quidem ingentem, sed impolitam et rudem, ut indicat quæst. 30 S. Aug., nisi quòd aliqua in ea de fœdere isto incisa videtur inscriptio.

Subter quercum. LXX, *terebinthum*, ut etiam legit D. Aug. eodem numero. Quercus hæc a rabbinis et christianis auctoribus asseritur, sub qua in agro Sichem consedit Abraham, cùm primùm venit in Chananæam, Gen. 12. 6, et sub qua idola defodit Jacob, Genes. 35. 4. * Sed parum credibile est unam et eamdem quercum quingentis ferè annis durare potuisse.

Quæ erat in sanctuario Domini. Quæ scilicet erat in Silo, et comprehendebatur ambitu atrii tabernaculi. * Vel per sanctuarium intelligitur locus ille in quo tantisper arca stabat in Sichem, dum comitia absolverentur, in quo, vel juxta quem quercus illa erat, cui lapis ille suppositus fuit posteris monumentum futurus. Ita Bonfrerius.

27. *Quòd audierit omnia verba Domini*. Lapidi tribuitur auditus per prosopopœiam. Sic Isa. 1. *Audite, cœli*. .. et Deuter. 32. 1. *Audite, cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei*.

29. *Et post hæc mortuus est Josue*. Credibile est eum post illa comitia non diu vixisse, sed paulò post reversum domum excessisse e vita.

30. *Sepelieruntque eum*. Nulla hìc mentio planctûs et luctûs populi, qui tamen in magnis viris per plures dies fieri solebat apud Hebræos, ut Jacob, Gen. 50; Aaron, Num. 20; Mosi, Deut. 34. His enim duobus totos 30 dies in luctu parentatum. Itaque nihil minùs factum in Josue credendum est, licèt non exprimatur.

31. *Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue*. Verum enim est dictum illud: *quales principes sunt, tales reliqui solent esse cives*. * Tantùmque valet benefactorum recens memoria, et virorum spectatorum auctoritas! Vide simile lib. 2. Paral. 24. 2, 16, 17, 18.

32. *Ossa quoque Joseph*. Moriens Joseph jurejurando Israelitas obstrinxerat ut sua ex Ægypto ossa in Chananæam asportarent, Genes. 50. 24. Id ab ipsis factum est, ut patet Exod. 13. 19.

In parte agri quem emerat. Vide dicta Gen. 33. 19.

33. *Quæ data est ei*. τὸ *ei*, aliqui referunt ad Phinees, sic D. Hieronymus; alii ad Eleazarum, sic ex recentioribus Masius. Extrema hæc verba, quibus mors Josue narratur, ab aliquo pio et sancto propheta scripta fuisse dicendum est, si sequamur eorum sententiam qui hujus libri auctorem faciunt ipsum Josue.

LIBER JUDICUM.

Liber hic inscribitur Judicum, quia qui eo tempore apud Israelitas rempublicam gubernarunt, *Judices* vocabantur; eorumque hic nomina, tribus, gestaque recensentur. Auctor Libri creditur fuisse Samuel. Sunt tamen, qui non unum scriptorem esse putent, sed plures. Singulos enim Judices, vel eorum Scribas, quæ cujusque temporibus accidisseut, in commentarios retulisse. Prima sententia est receptior.

CAPUT PRIMUM.

Tribus Juda cum tribu Simeon plurimas gentium urbes expugnat. Othoniel capit Cariatsepher, et Axam ducit filiam Caleb. Parcitur multis locis Chananæis, et fiunt tributarii.

1. *Post mortem Josue*. Et justa funeris ei persoluta, ut diximus Josue cap. 24. 30.

Consuluerunt filii Israel Dominum. Comitiis in Silo convocatis, * consuluerunt Dominum per pontificem, adhibito oraculo Urim et Thummim.

Quis ascendet ante nos? Non est sensus, quis erit dux noster, sed quænam tribus contra Chananæum pugnare incipiet, et suo exemplo aliis præibit, ut idem faciant.

2. *Judas ascendet*. Tribus Juda ipsa expeditionem in hostes prima suscipiet.

3. *Ait Judas Simeoni fratri suo*. Licèt tribus omnes ob unum patrem Jacob fratres inter se dici possent, Simeon tamen Judæ frater appellatur, quia in terræ sortitione et possessione vicinissimi facti sunt Judæis Simonitæ, adeo ut in illorum sortem ac pene sinum recepti sint, ut patet Josue 19. 2. * Adde Judam et Simeonem fratres fuisse non solùm eodem patre Jacob, sed eadem etiam matre Lia genitos.

4. *Bezec*. Bezec significat fulgur, sive coruscationem, fuitque ea urbs ipsi Bethlehem ad occidentale latus proxima.

5. *Adonibezec*. Id est, dominus Bezec.

7. *Septuaginta reges*. Reguli, iique vel diversorum

omnes locorum domini, vel interdum eorumdem, sed quorum alii aliis successerunt.

Amputatis manuum ac pedum summitatibus. Quod propterea factum, ne deinceps arma tractare possent, nec pedibus effugere.

Colligebant sub mensa mea. Nota crudelitatem tyranni qui captivis principibus ita illuderet; nota etiam luxum epularum; oportuit enim admodum luxuriosè instructam mensam illam fuisse, ex cujus deciduis reliquiis septuaginta viri alerentur.

Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Verum enim est dictum Sapientiæ, cap. 11. 17: *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.*

Adduxeruntque eum in Jerusalem. Quæ paulò post capta est, ut dicitur versiculo sequenti.

8. *Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem.* Jerusalem pars australis, quæ olim Jebus dicebatur, pertinebat ad tribum Juda; altera verò pars, quæ erat ad septentrionem, et dicebatur Salem, spectabat ad tribum Benjamin. Oppugnant ergo Judæi Jerusalem, quia ex parte intra suos fines erat, et quia Benjamitæ ut id facerent pro sua portione concedebant.

Percusserunt in ore gladii. Cædibus ac flammis vastatam putat Serarius, quòd post defectionem nunc secundò sit capta. Videtur enim illam primò cepisse Josue, cùm rex Jerusalem ab eo captus suspensus dicatur, Josue cap. 12. 10.

10. *Contra Chananæum qui habitabat in Hebron.* Hæc, quæ hìc recensentur, narrata sunt et explicata Josue cap. 15. num. 14, et deinceps; est enim idem bellum, et eadem expeditio.

* 11. *Civitas Litterarum.* Vel quòd ibi fuerit academia, ut vult Lyranus; vel archivium veterum monumentorum, ut Masius; vel insignis bibliotheca, ut Arias sentit. Sic *Madrid* arabicè *matrem scientiarum* significat.

16. *Filii autem Cinæi cognati Moysi.* Filii Jethro, ut expressè habent LXX, qui etiam Cinæus dictus est.

De civitate Palmarum. De Jericho, quæ etiam dicitur civitas Palmarum; ut patet Deut. 34. 3, et 2. Paral. 28. 15.

In desertum. In solitudinem quæ in australi Judææ termino. Cur relicta urbe in solitudinem abierint non exprimitur in Scriptura. Probabile, quod sensit Serarius, eos hoc ipso jam tempore vitam illam, quæ tempore veteris testamenti monastica quidem et anachoretica fuit, quæque Jerem. 35 valde a Domino laudatur,

inchoasse, ac propterea solitudinis opportunitatem captasse, et in solis tabernaculis habitasse, prout infra, cap. 4. n. 11, de Haber Cinæo dicitur.

Ad meridiem Arad. Erat Arad ab Jericho ac Jerusalem procul, ad extremas occidentales meridionalesque Salsi maris partes, ut ex Num. 21. 1, et topographorum consensu patet.

* *Habitaverunt cum eo.* In hebræo est, *cum populo*, Israelitarum scilicet.

17. *Interfecerunt eum.* LXX, ἀναθεμάτισαν, anathema fecerunt, concepto fortasse voto, si caperent, se omnes internecione deleturos, ut Num. cap. 21. 2, fecerant, cùm pugnarent contra regem Arad Chananæum; vel in actionem gratiarum, ut Jericho, Josue cap. 6. 17.

18. *Gazam... Ascalonem, atque Accaron.* Urbes in sacris Litteris, et apud profanos etiam auctores admodum celebres. Harum tamen postea Gazam in Philisthæorum rediisse potestatem patet ex historia Samsonis, qui Judic. 15 et 16 contra Gazæos pugnasse narratur. Idem de Ascalone et Accaron habemus 1. Reg. 6. 17.

19. *Nec potuit delere habitatores vallis.* Potuisset sanè, si Deus illi adfuisset; verùm stulta formido ob currus falcatos concepta, et de divino auxilio diffidentia impedimento fuit, quominus iis Deus opem ferret, ut gentes illas subigerent.

Falcatis curribus. Falcatorum curruum descriptionem habes apud Curtium l. 4, et Livium l. 7, Decad. 4. Erant currus falcati ita instructi, ut hastæ supra temones eminerent, et ab utroque latere falces; ex quo fiebat ut, ab aurigis laxatis habenis, hostes transfigerentur lanceis, falcibus lacerarentur, et equorum ungulis ac rotis obtererentur.

20. *Sicut dixerat Moyses.* Num. 14. 24.

Qui delevit ex ea tres filios Enac. Vide Josue cap. 14. 15.

21. *Non deleverunt.* Quod etiam aliæ tribus fecerunt, ut patet hoc cap. num. 28. Est autem in hoc ab Israelitis peccatum ignaviâ et lucri cupiditate. Ignaviâ quidem, quia ut bellandi finem et quietem qualemcumque consequerentur, Chananæis pepercerunt: lucri verò cupiditate, quia tributarios illos, quàm nullos habere maluerunt.

23. *Urbem, quæ priùs Luza vocabatur.* Hæc est Bethel. Luza dicebatur quasi *Nux* a nucum copia.

24. *Ostende nobis introitum civitatis.* Justum erat bellum ex parte Israelitarum, et Dominus volebat Cha-

nanæos deleri : potuit ergo citra proditionis crimen divinæ subservire voluntati.

25. *Hominem autem illum ... dimiserunt.* Fortasse apud se habere noluerunt, quòd illi parùm fiderent verer enturque ne, si se daret occasio, paria in Israelitas auderet, eisque moliretur exitium.

* 26. *In terram Hetthim.* Quænam hæc terra sit ignotum. Videtur fuisse regio aliqua non procul a Chananæa. Josephus l. 14. Antiquit. cap. 2, meminit urbis cujusdam quæ Λουσα dicitur, et sita est in Arabia Judææ vicina.

Vocavitque eam Luzam. Pro eo quòd in patriam, quam reliquerat, affectus erat.

28. *Delere noluit.* Vide dicta num. 21.

* 35. *Habitavitque.* Non Dan, sed Amorrhæus.

* *Testaceo.* Ab aggestis in montem illum testarum fragmentis, ita appellato.

Aggravata est. Prævaluit * contra Amorrhæos.

36. *Ab ascensu Scorpionis.* De quo vide dicta Num. cap. 34. num. 4.

* *Petra.* Urbs erat in montibus in extremis finibus Chananææ ad austrum, cujus mentionem facit Josephus lib. 3. Ant. cap. 2.

* *Et superiora loca.* Significatur Amorrhæos ad ipsam Petram pertigisse, et ulterius versùs montium horum australium culmina habitationem suam extendisse.

CAPUT II.

Commemorat angelus divina beneficia, et populi ingratitudinem. Flet populus, eumque pœnitet; sed nihilominus a Josue morte, et singulorum judicum, ad deteriora relabitur.

1. *Angelus Domini.* Videtur fuisse angelus ille qui in iisdem Galgalæ partibus apparuerat Josue, cap. 5. num. 13; quem, ut ibi dixi, aliqui Gabrielem, alii Michaelem, alii alium fuisse putant : sunt qui putent fuisse prophetam aliquem, nuntium et interpretem divinæ voluntatis : * quod ex eo colligunt, quia locus ex quo venit nominatur. Non est novum prophetam vocari angelum. Vide Aggæi 1. 13 : sic etiam sacerdotem Malach. 2. 7.

De Galgalis. Causa cur ascendere, seu apparere voluerit in Galgalis, fuisse videtur ut tot et tantorum

beneficiorum illic acceptorum, et renovati per circumcisionem fœderis memoria refricaretur. Ita Theodor. quæst. 6.

Ad locum Flentium. Ad locum in quo fleverant, vel in quo auditis quæ angelus nuntiabat fleverunt. Alii qui putant esse Silo, quia num. 5 dicitur in hoc Flentium loco sacrificatum; nullibi autem sacrificare licebat, nisi ubì erat tabernaculum quod eo tempore erat in Silo. * Bonfrerius ex Josepho l. 7. Antiq. cap. 4, et ex LXX interpretibus 2. Reg. 5. 23, putat fuisse silvam ultra vallem Raphaim ab urbis Jerusalem parte occidua; sive ergo hic, sive alius fuit locus, dicendum eo ipso, quod angelus eos ad propitiandum Deum hortabatur, etiam illis inspirasse, aut etiam disertè significasse ut ibi sacrificarent, * quod non semel factitatum. Vide Judic. 6. 20, 26, 28, et cap. 13. 19, et 2. Reg. ult. 18, et 1. Paral. 21. 18, et 3. Reg. 18. 32.

3. *In ruinam.* Id est, ruinæ occasio. LXX, *scandalum.*

6. *Dimisit ergo Josue.* Hæc repetita sunt ex cap. 24. libri Josue, et hìc inserta. Non ergo existimandum Josue, cùm hæc acciderunt, superstitem fuisse; nam cap. 1 dictum fuerat Josue mortuum, et D. Aug. quæst. 14: *Hæc*, ait, *per recapitulationem iterari nulla dubitatio.* Porro ista repetuntur hoc loco ut ostendatur quando et quandiu Israelitæ in officio perstiterint; et quomodo in idololatriam lapsi sint. Vide horum quinque versiculorum explicationem supra, cap. 24. lib. Josue.

11. *Servierunt Baalim.* Vox Baal *dominum* significat, et accipitur aliquando generatim pro diis, deabusque omnibus; aliquando speciatim pro certo aliquo deo, aut dea, sive addatur nomen peculiare dei illius, ut cùm dicitur baal Berith, sive intelligendum relinquatur ex loci circumstantia, vel alia quapiam, quisnam deus ille sit.

13. *Astaroth.* Significat hæc vox vel generatim plura numina, quæ tamen feminino sexu colantur; vel definitè unum aliquod; alia enim erat Astarthe Sidoniorum, alia Ascalonitarum, alia Tyriorum. Sub his autem nominibus colebatur aut Venus, aut Diana, aut Luna, etc.

14. *Vendiderunt.* Hebr. et LXX, *vendidit*, Deus scilicet, quod idem est ac tradidit, ut habet chaldæus; quæ enim alicui venduntur, illi traduntur, estque phrasis non infrequens in Scriptura, ut cùm dicitur Isa. 50. 1: *Quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.*

15. *Quocumquè pergere voluissent.* Id est, quidquid incœpissent, aut conati essent.

Manus Domini super eos. Seu ut hebr. et græcè dicitur, *in ipsorum malum super eos erat.*

Sicut... juravit. Lev. cap. 26. 14, et Deut. cap. 28. 15, quibus locis quamvis juramentum non legatur, adhibitum tamen docent Cajet. et Serarius.

Et vehementer afflicti sunt. Seu *compressati*, ut in Scorpiaco legit Tertullianus.

16. *Suscitavitque.* Judices, de quibus hic est sermo, fuerunt principes qui Israelitarum populum e servitutibus et malis, quibus tunc premebantur, vindicarunt, eumque toto vitæ suæ tempore postea ex legum præscripto, senatorumque consiliis rexerunt : ad hoc ipsum vel mirabiliter a Deo excitati, vel a populo ipso electi et invitati.

18. *Et liberabat eos.* Ideoque judices *salvatores* appellati sunt in Scriptura : ita enim vocantur cap. 3. hujus libri, num. 9 et 2. Esdræ 9. 27.

19. *Viam durissimam.* Licèt enim scelerum via mollis et jucunda videatur, quia tamen in ærumnas et damna gravissima fert, Deumque durum, seu iratum efficit, dura dicitur.

22. *Experiar.* Hebr. et LXX, *tentem*, periculum faciam.

23. *Dimisit ergo.* Quasi dicat : Dominus, qui futura prævidebat, noluit statim delere nationes illas.

CAPUT III.

Ducunt Hebræi uxores chananitidas, et idolis gentium serviunt, idcirco per easdem affliguntur, et resipiscentes per judices populi Othoniel, Aod, et Samgar liberantur.

1. *Ut erudiret in eis Israelem.* Hebraicum verbum tentare significat, ita ut causa sit eadem quæ superiori cap. 2. 22 : *non delebo, etc., ut in ipsis experiar utrùm custodiant viam Domini, etc.;* et hoc eod. cap. 3. num. 4 : *Dimisit eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrùm audiret mandata Domini, etc.*

Qui non noverant bella Chananæorum. Qui ea non viderant et experti non erant.

2. *Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus.* Aliqui ex textu græco et hebræo hunc sensum esse

putant, ut filii Israel intelligant quid sit præliari cum Chananæis, quàm scilicet durum plenumque discriminis. Alii textui nostro convenientius, ut filii Israel artem bellandi condiscerent frequenti armorum tractatione, bellisque gerendis cum Chananæis, a quibus artem militarem docerentur, dum hoc modo exercebantur.

3. *Satrapas.* Id est, præfectos, seu principes : vox est persica.

De monte Baalhermon. Videtur is mons sic dictus ab idolo et templo ejus quod erat ad Hermon. Porro mons Hermon prope Antilibanum est ad septentrionem Palæstinæ.

Usque ad introitum Emath. Hæc a nonnullis Antiochia esse creditur ad Orontem.

7. *In conspectu Domini.* Hebr. *in oculis Domini*, ipso vidente et reprobante.

Servientes Baalim et Astaroth. Hebr. *Aseroth*, quam vocem quidam intactam relinquunt, secuti chaldæum, quasi sit nomen proprium. LXX, *servierunt Baalim, et lucis*, quod Hebræi sequuntur, docentes, ea voce significari arbores quæ coluntur vel consitæ sunt in honorem idoli.

8. *Tradidit eos.* Hebr. *vendidit eos* : cujus phrasis vis explicata est, cap. superiori num. 14.

Chusanrasathaim. Hæc vox significat *duarum malitiarum*. Arias putat reges syros Pharaonum instar cognomine isto affectos fuisse ab improbis factis duplicibus coercendis, civilibus et criminalibus. Prior vox *Chusan* Æthiopem et nigrum significat.

Regis Mesopotamiæ. Quæ in hebræo dicitur *Syria duorum fluminum*, et apud LXX, *Syria fluviorum*, quia inter duos fluvios jacet Tigrim et Euphraten.

* *Servieruntque.* Id est, pacem gravis tributi pensitatione redemerunt. Eodem sensu accipe quæ dicuntur num. 12. 13. 14.

9. *Salvatorem. Advertendum*, inquit S. Aug. q. 18; *Salvatorem etiam dici hominem, per quem Deus salvum faciat.*

10. *Fuitque in eo spiritus Domini.* Spiritum hunc existimant Josephus l. 5. cap. 4, oraculum seu χρησμὸν fuisse; chaldæus in paraphrasi, *prophetiam*; alii, *donum roboris, ac fortitudinis*; Abulensis, *fortitudinem, prudentiam, bellandique impetum*; Cajet. *spiritum accensivum populi ad servitutem Dei ad vindicandum se in libertatem, ad bellum.*

Et judicavit Israel. Primò per vindicationem a regis

Mesopotamiæ tyrannide ; postea verò per bonam sanctamque gubernationem, et imperium.

Egressusque est ad pugnam. Divino illo spiritu plenus.

Et oppressit eum. Hebr. *et robusta fuit manus ejus super eum*, significatur autem victoriæ magnitudo atque perfectio.

11. *Quievitque terra*. Cessatum est a servitute et ab armis, religio restaurata est, divinarum legum vigor, tranquillusque ac florens reipublicæ status restitutus est.

12. *Addiderunt autem filii Israel facere malum*. Mortuo scilicet Othoniel : tanti refert a bono principe rempublicam gubernari!

Confortavit. Roboravit, impio ac gentili rege tanquam instrumento, et quasi tortore usurus ad plectendos Israelitas.

13. *Et copulavit ei*. LXX, *et congregavit ad se ipsum*, utrumque verum ; nam opitulante Deo adjunxit sibi Eglon Ammonitas et Amalecitas, rursumque hos illi sua ope adjunxit Deus.

Percussit Israel. Gravi clade eum afficiens, ipsorumque terram occupans ex parte.

Possedit urbem Palmarum. Jericho, agrum scilicet ejus; nam civitas ab Josue diruta fuerat et incensa.

14. *Servieruntque... Eglon decem et octo annis*. Regi Mesopotamiæ servierant octo annis, jam verò crescentibus peccatis diuturnior servitus rependitur.

15. *Vocabulo Aod*. A Josepho lib. 6 appellatur Ἰούδης, *Judes ;* et verò nomen hoc, et origine, et significatione convenit cum Juda, ideoque a quibusdam *Aod* exponitur *confitens* et *laudans*, ab Origene, homil. 4, *laus*.

Filium Gera, filii Jemini. De stirpe nimirum Benjamin.

Utraque manu pro dextera utebatur. Ambidexter erat, seu, ut ab Isidoro dicitur, *æquimanus*. LXX ἀμφοτεροδέξιον vocant, eadem significatione. Vatablus, Arias, Cajet. et alii putant vocem hebraicam אטר *itter*, significare eum, qui sinistra tantùm manu utitur, vel certè ea plus valet : favet Josephus l. 5. cap. 5, cùm ait : τῶν χειρῶν τὴν ἀριστερὰν ἀμείνων, καὶ ἀπ' ἐκείνης τὴν πᾶσαν ἰσχὺν ἔχων : *sinistra manu melior, et in ea omnem vim habens*.

16. *Gladium ancipitem*. Duarum acierum, duorum mucronum.

Longitudinis palmæ manûs. Gladius, seu sica, quam sibi paravit Aod, palmaris fuit. Hebræus cubitalem fuisse ait, sed a nostro interprete palmus major intelligitur, qui cum cubito minore longitudine congruit.

17.

17. *Erat autem Eglon crassus nimis*. Hebr. *pinguis valde*. LXX habent, ἀστεῖος, quæ vox in interpretatione latina, quæ S. Augustini tempore circumferebatur, *exilis* reddebatur, et D. August. per antiphrasim intelligit. Certum est ἀστεῖον Græcis esse urbanum, bellum, commodis moribus. Quomodo LXX virorum lectio cum Vulgata conciliari possit non satis video. Vide tamen quæ affert hìc Serarius.

18. *Prosecutus est socios*. In hebr. est, *dimisit*, vel *emisit populum qui munus tulerat;* ut etiam LXX. Id autem fecit, ut expeditior esset ad facinus, vel ne aliis crearet periculum, si cœptum parùm feliciter succederet; nec discordat textus latinus, cùm ait *prosecutus, etc.;* primò enim socios dimisit; deinde, quasi cum iis abiturus, eos subsecutus est; postea autem solus rediit.

19. *Et reversùs de Galgalis*. Hucusque populum quem a se dimiserat prosecutus est Aod, ac inde ad regem, quasi aliquid oblitus esset, vel in via novi quid incidisset, solus rediit. Galgala sunt in agro Jerichuntino.

* *Ubì erant idola*. Videntur fuisse idola a Moabitis constituta, eo fortasse consilio ut Israelitas ad idololatriam invitarent, aut cogerent.

* *Imperavit silentium*. Non famulis vel aulicis, sed ipsi Aod, donec adstantes facesserent. In hebræo enim est, *tace*. Timuit rex ne aliis audientibus aliquid loqueretur quod secretum esse oporteret.

20. *Ingressus est Aod ad eum*. Propiùs scilicet accessit.

In æstivo cœnaculo. Significatur locus adversùs æstivos calores idoneus, seu, ut hebr. indicat, refrigerationi locus idoneus.

Solus. Planè solus, omnibus omnino exclusis. LXX habent μονώτατος.

Verbum Dei habeo ad te. Oraculum: Josephus dixit ὄναρ, *somnium;* divinitus scilicet immissum. Id agebat Aod, ut rex tactus religione assurgeret, ictuique redderetur opportunior, quod etiam consecutus est.

Qui statim surrexit de throno. In reverentiæ argumentum.

22. *Pinguissimo adipe stringeretur*. Sensus est, non tantùm ingressum esse capulum, sed etiam adipem ferrum cum capulo intercepisse, et intra se constrinxisse, ita ut adeps vulneris locum exterius impleret, nihilque ferri aut capuli appareret.

24. *Per posticum egressus est*. LXX verterunt, *per ordinatos* seu, ut S. Aug. q. 22, *milites observantes*,

qui scilicet excubare soliti erant, ut in regum aulis fit. Hebræi quidam putant fuisse vestibulum, vel gradus ad domûs introitum ordinatos, aut locum in quo ad regem homines convenirent seu exedram, in qua sedere consuevissent.

Purgat alvum. Hebr. *tegit ipse pedes suos*. Hanc enim naturæ necessitatem lingua sancta verecundè vocat *pedes cooperire*, et urinam, *aquam pedum*.

* 25. *Donec erubescerent*. Confusi turbarentur præ inopia consilii.

26. *Venitque in Seirath*. Est locus hic ad montana Ephraim in finibus tribûs Benjamin.

27. *Insonuit buccinâ*. Nec frustra; nam ad arma convolarunt plurimi.

Ipso in fronte gradiente. Scilicet ante omnes, quod boni ducis est.

28. *Tradidit enim Dominus*. Plurimùm animi militibus addit, si propitio Numine se pugnare persuasum habeant.

* *Occupaverunt vada Jordanis*. Ne Moabitæ suis transmisso Jordane opem ferre possent.

30. *Quievit terra octoginta annis*. Vide dicta supra, hoc eodem cap. num. 11.

31. *Post hunc fuit Samgar filius Anath*. Non dicitur ex qua tribu fuerit.

Percussit de Philisthiim. Philisthæi, audita morte Aod viri fortissimi, non justo bello, sed populabundi more latrocinantium in fines Hebræorum videntur irrupisse, et per eos excurrisse. Hos Samgar, ut erat ad opera ruris succinctus, aratri parte in usum teli conversa, et suorum manu collecta, multis occisis, repressit.

Sexcentos viros. LXX, *usque ad sexcentos*.

Vomere. LXX vocant ἀροτρόποδα pedem aratri, vecte ex aratro desumpto simul cum vomere ferreo.

Ipse quoque defendit Israel. In hebr. est, *et salvavit etiam ipse Israel*. Idem planè habent LXX; quæ verba ostendunt Samgar judicem fuisse, quod negat Genebrardus in Chronico. Verba etiam illa, quæ hujus versiculi initio habentur, *post hunc fuit Samgar*, *etc*. hoc idem ostendunt; significant enim eum Aod successisse.

CAPUT IV.

Debborœ et Barac victoria de Sisara, quem fugientem occidit Jahel uxor Haber Cinœi.

1. *Post mortem Aod*. Nulla fit Samgaris mentio, quia brevi admodum tempore Israelis ducatum tenuit, adeo ut illius ratio non habeatur.

2. *Tradidit illos Dominus*. Hebr. *vendidit*, idem tamen est, nam, quæ venduntur, emptori traduntur.

Jabin regis Chanaan. Jabin hic erat ex posteris Jabin illius, cujus mentio est Josue cap. 11. num. 1.

In Asor. Urbs hæc, Josue 11. 11, vastata, et flammis consumpta dicitur a Josue, sed eam Chananæi reædificaverant.

In Haroseth gentium. Dicta *gentium* ex concursu gentium quæ vel a Josue suis sedibus pulsæ, vel aliunde eò confluxerant, aliis etiam ex causis, verbi gratiâ, mercaturæ, etc.

3. *Nongentos enim. . . . falcatos currus*. Vide cap. 1. num. 19.

4. *Uxor Lapidoth*. Debboram, cùm Israelem judicaret, viduam fuisse docet S. Amb. lib. de Viduis; S. verò Hieronymus negat in epistola ad Furiam, sub finem. Hac in re nihil certi statui posse videtur.

Quæ judicabat populum. Sinè principatu tamen; nam ante bellum id non tulissent Jabin et Sisara: post bellum verò judicis potestate præditus fuit Barac. Componebat tamen lites et controversias suorum, et tanquam ad sapientem feminam et prophetidem concurrebant Israelitæ; ipsaque Barac excitavit, et postea consilio juvit: quare non immerito judicasse dicitur a Scriptura.

5. *Sedebat sub palma*. Vel τὸ *sedebat* significat, *habitasse*, vel etiam eam sedem suam, cùm jus diceret, sub palma constituisse.

* *Inter Rama et Bethel*. In finibus duarum tribuum, Ephraim scilicet et Benjamin.

In monte Ephraim. In tribu Ephraim quæ montibus abundabat.

* 6. *Vocavit Barac*. Fecit hoc Debbora, quia ei divinitus per angelum, de quo cap. 5. num. 23, vel per propheticum lumen dux iste monstrabatur.

De filiis Nephthali et de filiis Zabulon. Sunt enim hæ tribus conterminæ, et monti Thabor vicinæ.

8. *Si venis mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non*

pergam. Fuit hæc in Barac quædam in obediendo cunctatio, quemadmodum in Mose Exod. 4, ex humana prudentia nimia, quam removere debuisset divinitus monitus per prophetissam.

9. *In manu mulieris tradetur Sisara*. Quia comitem ad bellum habere feminam, neque absque hac in jussam a Deo viam dare te vis, feminam quoque laudis ac gloriæ, quæ unum te manebat, sociam et participem habebis. Porro mulierem, quam gloriæ participem habiturus erat Barac, alii Debboram esse volunt, alii Jahelem, quæ Sisaræ tempora clavo confixit. Utraque sententia vera; nam utraque gloriæ partem, quæ Baraco debebatur, sibi decerpsit.

* 10. *Zabulon et Nephthali*. Zabulonitis et Nephthalitis.

11. *Haber autem Cinæus*. De hoc recessu Cinæorum diximus supra, cap. 1. num. 16.

Usque ad vallem quæ vocatur Sennim. Hebræa vox et *vallem*, et *quercum* significat: itaque LXX vertunt, *usque ad quercum*. Fortassis non malè jungi potest utraque versio, si dicamus fuisse vallem in qua esset quercetum.

12. *In montem Thabor*. Erat mons Thabor in tribu Zabulon; et ab eo distabat Nazareth Christi Domini patria itinere circiter duarum horarum versùs caurum, hoc est, occidentem æstivum. Ad hunc montem venire Barac, et in eo colligere copias voluit Dominus, quia non longè distabat ab Haroseth, ubi morabatur Sisara, ut hic vicino excitatus vel metu vel periculo statim accurreret, et prælio et victoriæ locus daretur.

13. *Ad torrentem Cison*. Nascitur torrens Cison ex montibus Thabor, Hermon et Gelboe; in duasque partes labitur, quarum altera tendit ad occasum, et mari Mediterraneo excipitur; altera verò ad ortum, et in lacum Genesareth influit.

14. *Hæc est enim dies*. Magnum in bellis momentum affert temporis observatio; hæc autem est duplex, aut scilicet ab humana prudentia, aut a religiosa et sancta, cùm scilicet a Deo, ut hìc accidit, bellandi opportunitas discitur. Felix sanè prælium cui ductor est Deus.

* *In manus tuas*. In manus Barac, et Jahelis traditus est Sisara; ab illo debellandus, ab hac occidendus. Non ergo pugnant hæc cum iis quæ dixerat num. 9: *Quia in manu mulieris tradetur Sisara*.

* 15. *Perterruitque*. Hebraica vox significat cum strepitu terrere, Josephus, Lyranus et Serarius excitatam

putant a Deo procellam cum ingenti fragore tonitruum et fulminum, quibus pugnantes ex curribus, etc., territi et in fugam acti.

17. *Ad tentorium Jahel.* Dicitur tentorium Jahelis potiùs quàm Haber, vel quia tunc Haber domi non erat, vel propter eximiam feminæ hujus virtutem, vel quia olim mos fuit ut alia essent virorum, alia mulierum tabernacula; sicut etiam in amplis domibus gynæceum fit, in quo seorsim a viris mulieres habitant. Sic Jacobi, Liæ et Rachelis diversa indicantur tentoria, Genes. 31, n. 33 et 34.

Haber Cinæi. Cinæorum pars in solitudinem Arad secesserat, de quibus dictum est cap. 1. num. 16. Alii verò in tribum Zabulon secesserant, quorum præcipuus fuit Haber; lege versiculum 11 hujus capitis.

* *Erat enim pax.* Deo protegente, et tyranno sibi ab hominibus tranquillæ et pacatæ vitæ vacantibus nihil timente. Eximia etiam Cinæorum religio et pietas gratiam et reverentiam conciliabat apud barbaros et hostes.

18. *Opertus ab ea pallio.* Culcitrâ aliquâ, stragula veste. LXX vocant ἐπιβόλαιον, quæ vox significat vestes quæ superinjiciuntur, et stragulum torale.

19. *Sitio.* Cursu nimirum valde pernici, fuga, sudore ac metu exhaustus. Aquam verò, non vinum petit, quia in hujusmodi æstu ac siti ferè solet esse gratior aqua quàm vinum, et fortasse sciebat in Cinæorum tabernaculis vinum non esse; quam enim a vino abstinentiam præcepit postea Jonadab ex eadem Cinæorum stirpe, Jerem. 35. Eam sibi ferè principio Cinæorum præcipuos sponte indixisse verisimillimum est.

Aperuit utrem lactis. Aquam petenti lac tribuit Jahel, ut ostenderet erga hospitem majus benevolentiæ argumentum, utque faciliùs illum in soporem daret, et quod jam machinabatur, perficeret.

21. *Clavum tabernaculi.* Erat iste clavus ex eorum genere, qui ad tentorii vela et cilicia erigenda, validèque adversùs ventorum vim retinenda in terram defigi solent altiùs, ideoque teretes sunt, magni et crassi. LXX verterunt, πάσσαλον, quæ vox palum significat. Non satis constat fueritne ferreus hic clavus an ligneus. Josephus tamen *clavum ferreum* dixit.

Absconditè et cum silentio. Hebr. vox significat suspenso pede et sinè strepitu.

Supra tempus capitis. Quæ pars capitis mollior, et ad recipiendum clavum opportunior.

Et mortuus est. Potuit Jahel citra peccatum Sisaram

interficere, quia justum erat bellum contra Jabin, et Jahel erat ejusdem cum Israelitis religionis, et fortasse etiam gentis. Porrò insidiæ in bello justo non damnantur, et si quod dixit mendacium, officiosum censendum est, ad salutem nimirum gentis suæ ordinatum; ac proinde leve peccatum. Accessit divina inspiratio qua ad facinus mota est: itaque ejus factum laudat Scriptura.

CAPUT V.

Canticum Debboræ et Barac post victoriam.

1. CECINERUNTQUE *Debbora et Barac.* Carminis hujus epinicii effectrix et poetria fuisse videtur prophetis Debbora, ejusdem verò jam confecti cantatrix eadem, sed unà cum Barac, quod ex eo probabiliter colligitur, quia Debbora Barac præponitur, cùm dicitur, *Cecinerunt Debbora et Barac*, et quia pene ab omnibus canticum Debboræ dicitur.

4. *Cùm exires de Seir.* Quomodo hæc intelligenda sint, vide Deuteron. 33. 2; vel etiam sensus est: Dominum deducendo populum suum per Idumæorum, aliarumque gentium vel terram, vel viciniam, magnum illis injecisse metum ac tremorem.

Cælique ac nubes distillaverunt aquis. Scilicet præ timore sudantes; quasi dicat: Totus orbis tremebat. Vide dicta cap. 19. Exod. num. 18.

5. *Montes fluxerunt.* Montes commoti sunt, et præ horrore velut liquefacti, sicut olim tremefactus mons Sinai, Exod. 19. 18.

6. *In diebus Samgar. . . . in diebus Jahel.* Propositum erat Debboræ totum illud tempus indicare, quod sub Aod, vel post illum fuerat, usque ad victoriam hanc. Id ergo describit a duorum, qui in utroque tum sexu fuerunt præstantissimi, diebus, Samgar, scilicet, et Jahel.

Quieverunt semitæ. Discessum est a lege divina, ejusque viæ intermissæ: ideo ea statim secuta est pœna, ut itinera omnia essent latronibus obsita, et qui planis antea tutisque semitis incedebant sinè metu, jam occultos ac devios tramites quærere sint coacti.

7. *Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt.* Tanta erat fortium penuria ut impunè qualibet vagarentur latrones, iisque obsisteret nemo.

Mater in Israel. Mater dicitur Debbora, quòd salutem populo Israelis pepererit.

8. *Nova bella elegit Dominus.* Qui novum cum Israelitarum hostibus pugnandi, eosque vincendi modum eligere et adhibere dignatus est.

Clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel. Quasi dicat in toto exercitu Israel nec hasta erat nec clypeus. Particula enim *si* accipitur pro *non.* Pauci admodum aut ferè nulli arma habebant ex Israelitis; fortasse enim Jabin ea abstulerat ne novas res molirentur. * Hoc dicitur ut appareat non alii quàm Deo victoriam hanc adscribendam.

10. *Qui ascenditis super nitentes asinos.* Moris erat in regionibus illis (quod rursum infra, cap. 10 et 12, videbimus) ut asinis honoratiores veherentur : τὸ *nitentes*, in hebr. est, *candidos.*

Sedetis in judicio. Qui præestis in judiciis, vel qui commodè et ex arte equitatis asinis nitentibus insidentes.

Ambulatis in via. Chald. habet, *erunt ambulantes in via eorum, et narrantes super fortitudines, quæ factæ sunt ipsis.*

Loquimini. Benedicite Domino, ut dixerat superiore versiculo.

11. *Ibi narrentur.* Ibi factæ esse narrentur.

Justitiæ Domini. Quas in Chananæos exercuit, * cùm de eorum sceleribus vindictam sumpsit.

* *Clementia.* Dum eos a malis, quibus premebantur, clementer eripuit.

Ad portas. Hostiles eorum civitates occupando; vel ad portas urbium Israeliticarum, asserendo se in libertatem, et principatum obtinens, exercensque judicia in portis, ut illo ævo fieri solebat.

13. *Reliquiæ populi.* Quem Jabin multis malis attriverat.

14. *Ex Ephraim delevit eos in Amalec.* LXX habent, *Ephraim eradicavit eos in Amalec.* Alii textus habent, Ἐφραὶμ ἐτιμωρήσατο αὐτοὺς ἐν κοιλάδι. *Ephraim ultus est eos in valle*, scilicet in valle torrentis Cison. Porro quod noster habet, *in Amalec*, propterea dici putat Serarius, quòd ista tribus in Amalecitas irruisset, qui se regi Jabin jungere volebant, sicuti Egloni, cap. 3. 13, et hic chananæi reges, num. 19. seq. * Gemina sententia esse videtur : Sisaræ exercitum ab ipso monte Thabor, et torrente Cison palabundum fugisse usque ad tribum Ephraim, inde usque ad tribum Benjamin, inde usque ad Amalecitas, ita ut nullibi eis liceret consistere.

De Machir. Laudantur præcipuæ familiæ Manasseorum, Machir enim Manasse filius fuit, Genesis 50. 22.

15. *Qui quasi in præceps ac barathrum.* Per metaphoram præcipitis loci ac barathri, magnitudinem periculi, quod sponte subierunt reipublicæ causâ, ponit ob oculos.

Diviso contra se Ruben. In partes, diversasque sententias distracto, dum aliqui bello abstinendum, alii in communem Israelis contra hostes expeditionem prodeundum censent.

Magnanimorum reperta est contentio. Principum illius tribûs contentio facta est, variæque ac dicordes voluntates.

16. *Quare habitas inter duos terminos?* Quare nec in hostes irruis, nec Israelis castris jungeris? * Quare otiosus desidens inter septa et caulas ovium tuarum?

Ut audias sibilos gregum. Inter ovium tuarum balatus desidens, nec communem calamitatem amoliri studens.

17. *Galaad trans Jordanem quiescebat.* Tribus, quæ sunt ultra Jordanem, quæ terra Galaad dicitur, quasi procul a periculo positæ quietem agebant, nec rempublicam curabant, privatis commodis intentæ.

Dan vacabat navibus. Negotiationi et mercimoniis.

Aser habitabat in littore maris. Rebus suis vacans, negligens laboranti reipublicæ opem ferre.

18. *Zabulon verò.* Interim dum alii otiantur, in discrimen venerunt, et vitæ periculum subierunt.

In regione Merome. Merome, seu, ut in hebræo est, *excelsorum campus*, est mons Thabor, * in cujus vertice est planities viginti sex stadiorum, ex Adricomio.

19. *Juxta aquas Maggedo.* Torrentem Cison.

Et tamen nihil tulêre prædantes. LXX, *munus argenti non acceperunt.* Alii πλεονεξίαν, *abundantiam;* est tapinosis : adeo non retulerunt prædam, ut ipsi cæsi sint et deleti.

20. *De cœlo dimicatum est contra eos.* Quia, ut narrat Josephus, conflictûs hujus tempore procella magna exorta est, aquæ etiam et grandinis multùm oculis Chananæorum offusum, ut arma bellica iis usui esse non potuerint.

Stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversùs Sisaram pugnaverunt. Pro stellis aliqui intelligunt angelos, quorum militia ordines suos servat, * ideoque de ipsis dicitur, *manentes in ordine et cursu suo.* Alii ut Cajet. et Del Rio l. 4. Dis. cap. 3. q. 1, aiunt, sic ae-

rem cæteraque elementa, et tempus ipsum favisse populo Dei, ut ipsæ quoque stellæ solitæ imbres ciere, censeantur contra Sisaram pro Israele pugnasse. Dicuntur verò stellæ in ordine cursuque suo permansisse, ne putaret quispiam eas aliquid passas, quemadmodum sol et luna passæ sunt, dum illis a Josue statio imperata est, Josue 10. 12.

21. *Torrens Cadumim.* Torrentis Cison duo sunt rami, alter properat ad occidentem, et mare Mediterraneum; alter ad orientem, et lacum Genesareth. Hanc partem orientalem putat Serarius appellari *Cadumim*, quia *kedem*, sæpè pro oriente sumitur in Scriptura, ut Genes. 12. 8 et alibi. Dicitur verò torrens cadavera traxisse, quia imbribus e cœlo missis, de quibus dixi versiculo superiore, intumuerat.

Robustos. Milites Sisaræ, qui armis et viribus suis fidebant.

22. *Ungulæ equorum ceciderunt.* Extritæ, debilitatæ. LXX habent, *impediti sunt calcanei equi.*

23. *Maledicite terræ Meroz.* Loci nomen jam ignoti, cujus nec apud Eusebium, nec apud S. Hieron. libro de locis mentio est. Huic ergo vel urbi, vel loco, quod ad sacrum hoc bellum venire noluerit, malè precari omnes vult, non suâ tantùm, sed auctoritate etiam angeli de quo subdit.

Dixit angelus Domini. Verus angelus, et fortasse Michael qui bello huic præfuit, tanquam israelitici populi princeps ac præses, Dan. 10. 20.

25. *In phiala principum.* In vase aliquo ornato, quale vel principem deceat.

Butyrum. Lac non ita pridem mulsum, a quo pinguior pars, ex qua butyrum fit, nondum erat separata.

* 28. *De cœnaculo.* Cœnacula, quæ in superiori ædium parte construi solebant, apta erant ad eminus prospiciendum.

29. *Una sapientior.* Quæ sapere videri voluit.

32. *Quievitque terra.* Vide supra, cap. 3. num. 11.

CAPUT VI.

Peccant iterum Israelitæ et a Madianitis opprimuntur. Suscitat eis Deus Gedeonem liberatorem, qui aram Baal evertit.

1. *In manu Madian.* Madianitæ erant ex Abrahæ posteris ex Cetura uxore, sed non per promissionum hæredem Isaac, Genes. 25. 2.

Septem annis. Brevior populi afflictio, quàm narrata superioribus capitibus; nisi dicamus temporis brevitatem compensatam pœnæ ac servitutis acerbitate; statim enim additur, *et oppressi sunt valde ab eis.*

3. *Amalec.* Amalecitæ erant ex posteris Isaac, sed per Esau. Genes. 36. 12.

Cæterique orientalium nationum. Qui ad orientem terræ sanctæ habitabant.

4. *Usque ad introitum Gazæ.* Quæ est ultima ora regionis illius ad mare Mediterraneum, quod occidentale terræ sanctæ littus alluit.

8. *Virum prophetam.* Cujus nomen non exprimitur. Fuit autem, vel quoad vocationem quasi perpetuam, propheta, vel ad breve istud tempus, quo populum admonebat: primum videtur verius quia hujusmodi prophetarum major est auctoritas. Hujus autem prophetæ oratio convenit cum ea quæ supra habetur, cap. 2. versu 1. 2. 3.

11. *Venit autem angelus Domini.* Fortasse ille idem quem dicebamus cap. superiore, num. 23, scilicet Michael israelitici populi præses et defensor.

Sub quercu. LXX, *sub terebintho.*

Quæ erat in Ephra. Duplex Ephra: altera in tribu Benjamin, Josue 18. 23; altera hæc in Manasse. Nomen a pulvere ductum, quem Hebræi עָפָר dicunt.

Patremfamiliæ Ezri. Caput familiæ Ezri.

Excuteret . . . . frumenta. LXX habent, *virga excuteret.*

In torculari. In loco torcularis, ubi erat torcular.

Ut fugeret Madian. Ut triticum illud Madianitarum manus effugeret, qui non ita facilè suspicarentur in torculari esse aliquid prædæ, cùm nondum essent vindemiæ. Vel ut ipse cum tritico fugeret.

13. *Si Dominus nobiscum est.* Non sunt hæc verba negantis, aut repugnantis, aut de divina bonitate dubitantis aut expostulantis, sed tantùm de orationis ab

angelo (quem viatorem sanctumque hominem putabat) veritate et intelligentia ambigentis.

14. *Respexitque*. Non oculis tantùm corporis, quod assumpserat, sed multò magis amicæ voluntatis et beneficæ potentiæ.

Dominus. Angelus Domini legatus, ac proinde Dominum referens, licèt nondum agnosceretur a Gedeone.

Vade in hac fortitudine tua. Qua præditus es, et qua nunc auctus divino beneficio.

15. *In quo liberabo Israel?* Qualis ego sum, aut quæ in me facultas, ut possim liberare Israelem?

Ecce familia mea infima est in Manasse. Aliarum familiarum comparatione, quæ in eadem tribu opulentiores sunt, et florentiores divitiis et numero capitum.

Et ego minimus in domo patris mei. Vel ætate, vel minimè omnium iis facultatibus instructus, quæ ad tantum opus necessariæ sunt.

16. *Quasi unum virum*. Ac si non cum exercitu prævalido, sed cum uno tantùm homine decertandum esset.

17. *Da mihi signum quòd tu sis qui loqueris ad me*. Oculis auribusque percipiebat Gedeon angelum loquentem; petit ergo ut signo aliquo monstret atque confirmet se talem esse, cui divinam opem victoriamque tam nobilem promittenti fides haberi meritò debeat.

18. *Portans sacrificium*. Hebr. *portans munus*. Gedeon enim eo tantùm animo fuit, ut hospiti cibum apponeret, et hoc consilio azymos panes coxit, et hœdum mactavit. Vocatur autem *sacrificium*, primò phrasi Scripturæ, in qua sacrificare interdum est idem quod simpliciter mactare. Sic 1. Reg. 25. 11, ait Nabal: *Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis* : in græco est, *sacrificavi*, τέθυκα. Matth. etiam 22. 4, dicitur: *Tauri mei, et altilia mea occisa sunt*. Græcè, τεθυμένα, *sacrificata*. 2. Quia quæ Gedeon tulit in cibum, angelus vertit in sacrificium, ut videbimus in sequentibus.

20. *Pone supra petram*. Petram delegit, ut sacrificii hujus esset altare, quod ex rudibus lapidibus confectum erat. Exod. 20. 25.

Jus desuper funde. Jus, cùm sit aquosæ materiæ, miraculum auget quod versiculo proximo patratum ab angelo narratur. Hæc etiam juris superfusio unctionis illius instar habuit, quo holocausti altare unctum est, Exod. 40. 10 et 11; et illud Jacob Genes. 28. 18; vel, ut vult Arias, fuit libaminis instar in sacrificiis adhiberi soliti.

* 21. *Summitatem virgæ.* Baculi quem tanquam viator gestabat.

Ascenditque ignis de petra. Quo igne in holocaustorum morem ea omnia absumpta sunt, quæ extemporaneo illi altari erant imposita.

22. *Heu, mi Domine Deus.* Ita loquitur Gedeon, quia inter vulgares et idiotas eo tempore vigebat opinio eum qui angelum vidisset, mox interire. Ita opinandi occasionem sumebant ex eo quod dicitur in Exod. cap. 33. 20 : *Non enim videbit me homo, et vivet.* Falsa tamen erat opinio, quia frequenter visi multis angeli narrantur in Scriptura, et semper innoxiè.

23. *Dixitque ei Dominus.* Trepidanti Gedeoni angelus, qui jam paululùm recesserat, dixit, ita ut commodè exaudire posset : *Pax tecum : ne timeas, etc.*

24. *Ædificavit.... altare.* Non est diversum hoc altare ab eo cujus mentio fit num. 26 sequenti. Sæpe enim in Scripturis breviter aliqua res tangitur, quæ postea uberiùs explicatur, et magis disertè. Ita hic breviter attingitur erexisse Gedeonem aram : quo autem modo, potestate ac loco fecerit, subjungitur enucleatiùs num. 25, 26, 27.

Vocavitque illud. Usitatum erat erectis hujusmodi aris aut titulis nomina quædam imponere, ut patet Gen. 28. 22, Exod. 17. 15.

Domini Pax. Scilicet est, quasi dicat : est auctor pacis, seu salutis, * et pacem salutemque populo suo largietur.

Usque in præsentem diem. Scilicet stat altare illud.

* 25. *Taurum patris tui.* Qui patri tuo proprius est, ejusque solius nomine destinatus sacrificio Baal.

* *Alterum taurum.* Publicum, et publico totius urbis nomine in sacrificium ei Deo devotum, cujus ope jugum Madianiticæ servitutis depelli contingeret.

Annorum septem. Qui ætate tantus sit, quanta erat Madianitica servitus, quæ septem annos tenuerat.

Destruesque aram Baal, quæ est patris tui. Joas Gedeonis pater idolorum cultor erat. Gedeonem verò par est credere impietate maculatum non fuisse, a matre fortasse, vel avia in vero unius Dei cultu educatum.

Nemus quod circa aram est. Nota veterum consuetudo, qui lucos diis suis sacrare solebant.

26. *Offeres holocaustum.* Sacrificare sacerdotum erat : jussu tamen Dei Gedeon non sacerdos, extraordinarius sacrificii hujus minister constituitur.

31. *Numquid ultores estis Baal?* Quasi dicat, ne solliciti sitis, sacrilegum non patietur ipse Baal in crastinam usque diem vivere, sed ab eo interficietur, quisquis ille est. Magìs etiam decet ut Baal, qui a potentia ac dominatu nomen habet, seipsum ulciscatur, suasque vindicet injurias.

32. *Vocatus est Gedeon Jerobaal.* Quod idem est ac *impugnans Baal*, vel *judicans*, aut *damnans Baal.*

33. *In valle Jezrael.* Fuit Jezrael Judææ tribûs oppidum, Josue 15. 56, prope montem Gelboe, non procul a Jordane.

34. *Spiritus autem Domini.* Vide dicta cap. 3. num. 10. *Domum Abiezer.* Familiam Ezri, de qua ipse erat.

35. *Occurrerunt ei.* Hebr. *ascenderunt ad occurrendum ei*, conjunxerunt se cum copiis Gedeon.

36. *Si salvum facis.* Credebat Deum posse et velle salvum facere Israel, sed duplici signo postulat fidem suam augeri, et alacritatem magìs incitari.

37. *Vellus.* Lanam ab ovibus tonsam; hoc enim significat hebr. גזה *ghizah*, quod a radice גזז *gazaz*, derivatur, quod tondere, excidere, succidere significat.

38. *Concham.* Hebr. ספל *sephel*, quod concham, phialam, hydriamve significat. LXX habent, λεκάνην, *pelvim.*

CAPUT VII.

Gedeon cum trecentis tantùm militibus de Madianitis victoriam reportat, eorumque principes Oreb et Zeb captos interficit.

1. AD *fontem qui vocatur Harad.* Adrichomius vult fontem hunc esse in australi latere montium Gelboe. In hebræo dicitur *Fons Charod*, quasi dicat, *Fontem terroris*, sive *pavoris*, sive a terrore Madianitarum, quem non longè ab hoc fonte passi sunt; sive a timore formidolosorum, qui post aquæ haustum domum remissi sunt, de quibus paulò post.

In valle. Jezrael, de qua superiori cap. num. 33.

Collis excelsi. Pars quædam montis Gelboe.

2. *Multus tecum est populus.* Triginta duo millia pugnatorum habebat in castris Gedeon, ut apparet ex versiculo sequenti. Numerus verò Madianitarum, ut colligitur ex cap. 8. num. 10, erat centum triginta quinque millium, ita ut Israelitarum singuli haberent

plusquàm quatuor Madianitas oppositos, cum quibus pugnandum erat.

3. *Qui formidolosus et timidus.* Ut ita ante prælia proclamaretur, jusserat Dominus, Deuter. 20. 8; nisi Dominus monuisset, fortasse lex ista servata non fuisset, vel propter festinationem, vel quia omnes, qui ad commune periculum tam citò, tam alacres concurrissent, viros esse fortes, minimèque meticulosos credibile videbatur.

Recesseruntque de monte Galaad. Erant Gedeonis castra in monte Gelboe, cujus aliquam partem, vel propter similitudinem cum monte Galaad, qui est ultra Jordanem, vel ob aliquam aliam causam nobis ignotam montem Galaad dictum esse credibile est. Abulensis q. 6 in hoc caput ait montem Galaad, cujus hìc est mentio, montem quemdam parvum esse ad occidentalem partem Jordanis circa urbem Jezrael. Cajetanus putat sermonem esse de monte Galaad, qui est ultra Jordanem, sed eum refert ad homines, hoc modo. Qui formidolosus est, etiamsi sit ex tribu Manasse, quæ Gedeonis ipsius est, et ultra Jordanem in Galaad ex parte commoratur, etiamsi sit e monte Galaad, recedat.

Viginti duo millia virorum. Licèt enim omnes, vel plerique magno accessissent animo, cùm tamen venerunt in conspectum hostilium castrorum, expaverunt, et factam discedendi potestatem amplexi sunt.

5. *Qui linguâ lambuerint aquas.* Qui cava manu aquam hausissent, eamque canum more lambuissent.

Curvatis genibus biberint. Qui corpore prono cernui ad fluentes aquas os applicuissent, more jumentorum cùm bibunt.

7. *In trecentis viris.* Trecentos hos viros retineri jussit Dominus, quia temperantes viri, et ad sensuum voluptatem minimùm inclinati, bellicis laboribus magìs idonei, et in periculis animo fortiori esse solent.

* 9. *Tradidi eos in manu tua.* Hoc est, ex iis, quæ ibi audies, intelliges me tradidisse.

11. *Confortabuntur manus tuæ.* Confirmatur a Deo Gedeon, ut auctior ipsius esset fortitudo et fiducia, utque milites erectiores fierent, et fidentiores; si enim, cùm triginta duo millia essent, tam multi trepidarunt, quid censendum de reliquis trecentis, nisi eis Dominus animos addidisset?

Ipse et Phara. Socium assumpsit, quia ita a natura comparatum est, ut in terroribus omnibus magno vel solatio, vel auxilio sit aliorum, si non plurium, duorum

certè, vel etiam unius tantùm præsentia. * Optimè quadrat Homeri locus Iliad. 10, ubì Diomedes castra hostium exploraturus socium expetit aitque — εἰ τίς μοι ἀνὴρ ἅμ' ἕποιτο καὶ ἄλλος, μᾶλλον θαλπωρὴ, καὶ θαρσαλεώτερον ἔσται. *Si quis me vir simul sequatur et alius, major spes rei bene gerendæ, et audacia erit.*

13. *Ad tabernaculum.* Vel ducis exercitûs, vel est synecdoche unius tabernaculi nomine omnia exercitûs tentoria significans.

14. *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Bene conjectat; nam Gedeon ex minima familia, et minimus ipse inter suos bene confertur cum pane hordeaceo, qui est inferioris notæ, quàm triticeus. Subitaria etiam et properata expeditio, panis illius celeri volutatione commodè refertur. Tabernaculi dejectio bene eversionem rei Madianiticæ, cladémque designat.

15. *Adoravit.* Deum scilicet, gratias agens, precatusque ut porro omnia bene succederent, ut ostenso omine Dominus ipse pollicebatur.

16. *Dedit tubas in manibus eorum.* Ex aliorum enim discessu tantus quantus nunc sufficeret tubarum numerus suppetebat. Has κερατίνας, id est, *corneas* vocant LXX.

Lagenasque vacuas. Lagenas fictiles. LXX habent, *hydrias*, ut etiam noster interpres hoc cap. num. 20.

Lampades. Faces quales sunt ex cera, aut quales sunt tædæ ex picea, aut aliis hujusmodi resiniferis arboribus.

18. *Domino et Gedeoni.* Quid hoc significet colligimus ex num. 20, ubi habemus *gladius Domini*, et *Gedeonis*, et ex chaldæa paraphrasi, quæ est hujusmodi: *Gladius a facie Domini procedit, et victoria per Gedeonis manus est*, id est, Deus Madianitas ulciscitur, Gedeon verò hac in re illius minister est. Jubentur clamare milites, quia editæ vociferationes alacritatem aggredientium ostendunt, animosque hostium percellunt.

19. *Incipientibus vigiliis noctis mediæ.* Noctem in horas duodecim dividebant; cuique verò vigiliæ tres horas tribuebant; quare vigiliæ nocturnæ quatuor erant. Mediæ ergo noctis custodia ea est quæ media nocte incipit, hoc est, tertia vigilia.

Custodibus suscitatis. Non quòd custodes dormirent; nam tunc primùm excubituri venerant; sed rei novitate perculsos significat.

* 21. *Stantes singuli in loco suo.* Ita factum ut hi lampades tenentes, qui loco non movebantur, crederen-

tur a Madianitis tantummodo aliis pugnantibus facem accendere.

22. *Mutua se cæde truncabant*. Cæcitate ducti, et rabie acti, dum existimant se Israelitas cædere, quos in castris esse putabant.

23. * *Usque ad Bethsetta*. Loca sunt ignota, quorum alibi Scriptura non meminit.

Conclamantes autem viri Israel. Victoriæ enim fama percrebuerat : itaque statim tribus Nephthali, Aser, et Manasse Madianitas persecutæ sunt.

24. *Occupate aquas*. Nam Madianitarum reliquiæ in patriam rediturae illac iter habituræ erant.

Bethbera. Arias putat esse eamdem cum Bethabara, quæ domum transitûs significat, quæ ad ripam Jordanis erat, ubi fluvius transiri solebat. Serarius putat diversam; nam hæc dicitur *Bethbera*, et significat *domum frumenti;* illa verò Bethabara, significatque *domum transitûs*, ut dixi.

25. *Oreb*, *et Zeb*. Duces Madianitarum.

In petra Oreb. Cui a cæde Oreb nomen factum.

In torculari Zeb. Opinatur Arias *torcular* hìc vocari locum aliquem inter vallem depressum, qui torcularis formam aliquam habuerit. Sed nihil vetat, et petram, et torcular propriè accipi.

CAPUT VIII.

Placat Gedeon tribum Ephraim : cives Socchot et Phanuel malè perdit : constat ephod aureum : septuaginta filios ex uxoribus suscipit et unum Abimelech ex concubina. Relabitur Israel in idololatriam.

1. QUID *est hoc quod facere voluisti?* Evocarat Gedeon supra, cap. 6. 35, ad belli hujus societatem et auxilium tribus quatuor; omiserat cum alias, tum verò tribum Ephraim. De hoc ista jam queritur, et tumultuatur, quasi per contemptum fuisset præterita; aut quòd illi invidisset gloriam, quam totam in suam tribum Manasse Gedeon derivare voluisset.

2. *Quid enim tale facere potui*, *quale vos fecistis?* In hebræo et græco est, *quid feci nunc sicut vos?* qui scilicet Oreb et Zeb Madianitarum principes cepistis.

Nonne melior est racemus Ephraim, *vindemiis Abiezer?* Adagialis locutio. Sensus est, vos, ô tribus Ephraim, adeo

adeo præstantiores estis tribu Manasse, ut vestra racematio nostram superet vindemiam. Vos, post vindemiam cæsorum Madianitarum, cepistis eorum duces: at facinus hoc pluris est quàm quæ nos ex tribu Manasse (qui in cæteris etiam vobis concedimus) in hoc bello præstitisse videmur.

3. *Requievit spiritus eorum*. Ut enim ait sapiens, Prov. 15. 1, *responsio mollis frangit iram*.

5. *Soccoth*. Quæ vox *tabernacula* significat, quòd scilicet Jacob ex Mesopotamia rediens, suique fratris gratiam exquirens, ibi tabernacula fixerit, Genes. 33. 17. Est hæc urbs in tribu Gad.

6. *Forsitan palmæ manuum*. Quasi dicerent, inani spe tibi victoriam polliceris, atque ita loqueris, quasi jam ceperis hos reges quos bellum instauraturos putamus, timemusque ne, si vobis commeatum suppeditasse resciverint, victoriam adepti in nos sæviant.

7. *Conteram carnes vestras cum spinis, tribulisque deserti*. Spinis ac durioribus sentibus carnes vestras ad mortem usque lacerabo. Meriti sanè mortis pœnam qui fatigatos milites in causa communi exiguo commeatu non modò juvare noluerunt, sed ultro etiam irriserunt, in milites fratres suos, in Gedeonem ducem, in remp. ac Deum peccantes.

8. *Venit in Phanuel*. Inde nomen habuit hæc urbs, quòd Jacob ibi Dominum viderit, cum eoque luctatus sit, Genes. 32. 30. *Phanuel* Aquila vertit, *faciem Dei*; LXX, *speciem Dei*. Est autem hæc urbs in eadem tribu Gad, contra torrentem Jaboc, in finibus Amorrhæorum.

9. *Destruam turrim hanc*. Quod propterea minatus est Gedeon, quia (ut ait Abulensis quæst. 11.) minitanti Gedeoni responderint se ipsius minas nihili facere; sibi adversus eas turrim illam suam stare.

11. *Per viam eorum qui in tabernaculis morabantur*. Hi sunt Arabes qui a tabernaculis *Scenitæ* appellati sunt.

Ad orientalem partem Nobe. Hujus urbis mentio fit Num. 32, versu ultimò.

Jegbaa. Erat in tribu Gad, ejusque mentio fit Num. 32. u. 35.

Securi erant, et nihil adversi suspicabantur. Quia noctu fuerat commissum prælium, non putabant Madianitæ futurum ut nullam suis quietem daret Gedeon, præsertim cùm amnis esset etiam transmittendus.

14. *Apprehendit puerum de viris Soccoth*. Descripsit

nomina primariorum civium Soccoth, qui scilicet participes fuerant criminis, ne cum sontibus insontes eodem exitio involveret.

18. *Viri, quos occidistis in Thabor.* Cùm Hebræi laterent in montibus et speluncis ob Madianitarum incursiones, de quibus supra, cap. 6. 2, Gedeonis fratres, vel germani vel uterini, secesserant in Thabor. Hos ergo reges isti in latebra illa Thaboris repertos interemerunt. De his interrogat Gedeon.

Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. Respondent cum laudatione, et tacita quadam adulatione Gedeonis, quòd egregiâ esset formâ, et dignitate quæ principem deceret.

19. *Non vos occiderem.* Nam alioquin eos occidere non tenebatur illius præcepti vi, quod Num. 31. 17, datum fuit. Hoc enim temporarium erat, quod in solum illud tempus valebat, ob vindictam sceleris quod admiserant, Num. 25, cùm Israelitas ad scortandum cum puellis madianitis provocarunt, et subinde ad idololatriam.

20. *Jether.* Quæ vox *præstantem* significat, sive *excellentem*.

Surge, et interfice eos. Volebat Gedeon ab eo reges illos perimi: 1. ut injustam patruorum suorum mortem ulcisceretur; 2. ut disceret in israelitici populi hostes gladium stringere: 3. ut majori cruciatu et dedecore mors illis inferretur; nam nec nisi multis ictibus pueri manus invalida illos poterat conficere, et magnis viris permolestum est a tantulo puero neci dari; 4. ut victoriæ gloriæque suæ filium participem faceret.

* 21. *Quia juxta ætatem robur est hominis.* Quia vires et robur cum ætate crescunt, atque convenit nos a te potiùs, qui virile robur habes, interfici, quàm ab imbelli puero.

22. *Omnes viri Israel.* Plurimùm facit ad Gedeonis gloriam, quòd Israel universus in hoc conspiravit ut principem illum facerent.

Dominare nostri. Regio more.

Tu, et filius tuus, et filius filii tui. Putat Serarius oblatam regiam potestatem in tertium tantùm gradum posteritatis. Crediderim tamen hac phrasi offerri imperium in filios, ac deinceps in nepotes ac posteros jure successionis perpetuò transmittendum.

23. *Non dominabor vestri.* Scilicet, ut rex; princeps enim et rex vester est ipse Deus qui populum hunc quasi peculium et hæreditatem suam gubernat, fovet ac tuetur.

24. *Date mihi inaures.* Aureas, scilicet, quales Ismaelitæ appendere solebant auribus, ut hoc versiculo dicitur, nec tamen omnes inaures postulat, sed tantùm petit ut unusquisque unam ex præda, quæ illi obtigit, inaurem dare velit; nam in hebr. est, *date mihi viri inaurem prædæ vestræ*, quilibet unam det. Eumdem sensum exhibent LXX. * Mos erat ducibus aliquid eximium dare.

26. *Mille septingenti auri sicli.* Aureus siclus ferè æquivalet quatuor nummis aureis nostratibus. Itaque mille et septingenti auri sicli efficiunt aureos nostros sex mille octingentos.

Absque ornamentis, et monilibus. Non tantùm aurum illud datum est, sed etiam hæc insuper addita.

Ornamentis. Vox hebr. שהרנים *saharonim*, ornamenta quædam significat, quæ lunularum figuram habent: quare LXX μηνίσκυς, id est, *lunulas*, vocant: iis ornabantur equi et cameli in suis frenis, oreis, ac phaleris, etc.

Monilibus. Hebr. נטיפות *netiphoth*, quod a verbo נטף *nathaph*, *stillare*, derivatur, vel a nomine נטף *nathaph*, quod stacten, guttam, balsamum, seu opobalsamum significat: videtur indicari monilia hæc olfactoriola fuisse myrothecia, pyxidulasque unguentarias, quibus Orientales his deliciis abundantes delectabantur.

Præter torques aureas camelorum. Quibus scilicet eorum cervices et colla ornabant.

27. *Fecitque ex eo Gedeon ephod.* Ephod genus vestis est, quod humeros tegit et pectus ambit, illiusque usus sacer erat, quia semper ad divinum cultum referebatur.

Fornicatusque est omnis Israel in eo. Quod dicitur *in eo*, hebraicus textus habet, *post eum*, ut etiam LXX; et sensus est, post mortem Gedeonis Israelitas in idololatriam lapsos. Vel sensus est, *in eo*, id est, *ephode*, peccavit Israel, abutendo sacra illa veste (quam confecerat Gedeon ad divinum cultum, si fortè aliquando contigisset tabernaculum divino jussu tranferri in Ephra, * et ad Deum consulendum per pontificem in publicis gravibusque negotiis), permittendo ut idolorum sacrificuli ea uterentur in profanis eorum cæremoniis circa idola: qua explicatione retenta, adhuc dicendum est id peccatum post Gedeonis mortem contigisse.

Et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam. Licèt enim Gedeon non peccaverit sacrum istud instrumentum parando, quia nulla lege id facere vetabatur, tamen ejus domus et cognatio reliquos Israelitas

secuta peccavit postea; quod Gedeoni dicitur fuisse in ruinam, non quidem in se, sed in propinquis suis, cognatis, ac posteris, qui peccato Israelitarum consentientes in magnas inciderunt ærumnas, ut aliqua ex parte cognoscetur cap. 9 sequenti.

30. *Septuaginta filios.* In iis numerando etiam Abimelech, de quo num. sequenti.

Egressi sunt de femore ejus. Vide dicta Genes. cap. 46. num. 26.

31. *Concubina autem illius.* Uxor secundaria, legitima quoad matrimonii vinculum, sed familiæ Gedeonis gubernationis expers, nec materfamilias. Drumam eam vocat Josephus l. 5. cap. 9.

Quam habebat in Sichem. Habitabat quidem Gedeon in Ephra, ibique domum habebat et uxores suas. Verùm quia princeps et populi judex erat, frequenter adibat Sichem, ibique hæc illius concubina morabatur.

Nomine Abimelech. Quæ vox vel significat *patrem regem*, vel *patrem regis.* Nominis hujus impositione, vel spectavit Druma mariti sui dignitatem, quam in filio suo conspici voluit, vel ei nomen esse optavit omen regni ad quod eum aliquando pervenire cupiebat.

32. *In senectute bona.* Hebr. *in canitie bona*, bene senex: præterea *bona senectus* tranquillitatem significat, secundum famam, auctoritatem, conscientiam bonam et divinam amicitiam.

33. *Aversi sunt.* Defecerunt a Domino.

Percusseruntque cum Baal fœdus. Cum Baalberith, ut significant hebræa quæ habent, *posuerunt sibi Baalberith in Deum.* Vide cap. 9 sequenti, num. 4.

35. *Nec fecerunt misericordiam.* Misericordia hic accipitur pro omni pene virtute quæ in alium ad ejus utilitatem, gloriam, ac bonum emanat, ut est benevolentia, beneficentia, pietas, gratitudo, justitia, etc.

Jerobaal Gedeon. Ponuntur hic simul duo Gedeonis nomina, quod expositionis causâ factum indicant LXX, qui vertunt, *cum domo Jerobaal, ipse est Gedeon.*

CAPUT IX.

Abimelech occisis 70 fratribus suis tyrannicè imperium invadit, et in expugnatione Sichem fragmine molæ a muliere occiditur.

1. *Abimelech*. Filius Gedeonis ex concubina, de quo dictum cap. superiori, num. 31.

2. *Viros Sichem*. Viros primarios; hi enim viri in hebræo dicuntur בעלים *bahalim*, id est, domini.

Dominetur unus vir. Melior monarchia reliquis reip. formis. Hinc argumentum petit Abimelech.

Os vestrum et caro vestra. Propinquus vester.

4. *Septuaginta pondo argenti*. In hebræo, chaldæo, et græco tantummodo est, *dederunt ei septuaginta argenti e domo Baalberith*, et videtur subintelligendum *talenta*, quod vulgatus noster voce *pondo* expressit. Porro talentum tria siclorum millia continebat; siclus verò unus argenteus, ut alibi diximus, quatuor argenteis regalibus hispanicis æquivalebat.

De fano Baalberith. Berith significat fœdus, pactum, testamentum. Vel ergo dicitur Baalberith, quòd fœderibus præesset, ut apud Græcos ζεὺς ὅρκιος; vel quòd suo illi Baal certâ aliquâ cæremoniâ devovissent se, vel tandem quòd in eo fano populus Sichem cum Abimelech fœdus pepigisset. * Secunda explicatio est genuina. Vide hoc eodem cap. num. 46.

5. *Septuaginta viros*. Sexaginta octo; nam Joatham evasit, et ipse Abimelech e numero erat septuaginta. Ponitur ergo numerus rotundus, ut ferè fieri solet, etiamsi unus aut alter desideretur, aut supersit. Sic dicimus passim LXX interpretes, cùm tamen fuerint septuaginta duo.

Super lapidem unum. Id factum vult Abulensis, quia Abimelech non hostis, sed judicis personam sustinere voluit videri, atque ita tanquam facinorosos criminis alicujus compertos in loco supplicii mactari jussit. Arias Montanus putat lapidem hunc inani deo Baalberith quasi aram statutum ac dicatum: quia verò Baalis aram confregerat ac disturbarat Gedeon, cap. 6. 27, et super petra araque nova in Baalis contumeliam sacrificium obtulerat, voluisse Abimelech dæmonis illius injuriam ulcisci, populique voluntatem, qui Baali addictus erat, sibi adjungere.

6. *Familiæ urbis Mello.* Est urbs seu oppidum Sichimis proximum : est etiam alius locus eodem nomine appellatus, de quo 2. Reg. 5. 9 et alibi sermo est.

Constituerunt regem Abimelech. Non legitimo jure Abimelech regnavit, sed malis artibus principatum occupavit. Solet tamen inter populi judices censeri, quia facto remp. administravit, licèt jure ad illius gubernationem non venerit.

Juxta quercum quæ stabat in Sichem. LXX etiam vocant *quercum stationis*, quæ scilicet tanto tempore stetit; asseritur enim fuisse illa eadem sub qua olim Abraham, Jacob et Josue constiterunt, Genes. cap. 12. num. 6, et cap. 35. 4, et Josue 24. 26. * Quod non facilè crediderim; vel etiam dicitur quercus stationis, quia non ipsa tantùm stabat, sed et collocatam olim inibi statuam stantem, de qua Josue loco citato, adhuc habebat. Vide quæ ibi dicta sunt.

7. *In vertice montis Garizim.* Non longè aberat a Sichem mons hic, sicut et alter ei oppositus Hebal, ambo benedictionum exsecrationumque cæremoniâ celebres. Deut. 27, et Josue 8.

Ita ut audiat vos Deus. Id est, si a Deo preces vestras calamitate aliqua aut ærumna pressi admitti cupitis, et me calamitosum secundis auribus audite.

8. *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem.* Apologus : sic Ezechielis cap. 17. 24, lignis traditur scientia.

9. *Quæ respondit.* Oliva, ficus, et vitis regnum deprecantur, et bono proprio carere se posse negant, quod tamen bonum, etiamsi privatæ maneant, aliis prosit, imò plus prosit, quàm si ad regnum promoveantur.

Qua et dii utuntur et homines. Hebr. *honorantur dii et homines.* Oleo honoratur Deus, dum ad sacrificia, Exod. 29. 23, Lev. 2. 6. 7, et alibi; ad luminaria item sacra, Exod. 25. 6, 29. 35; Num. 4, ad altarium, sacerdotum et pontificum consecrationem adhibetur. Homines verò honorantur oleo, quia illud ad regum unctiones adhibetur; quare etiam num. 8 dictum est: *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem.* Alii usus olei inter homines quotidiani sunt, nec illos opus est recensere.

11. *Fructusque suavissimos.* Hebr. *redditum optimum*, quo significantur, et ficûs fertilitas, et lucrum quod ex ficetis existit.

13. *Lætificat Deum et homines.* Deus vino lætificatur, quia in sacrificiis et libaminibus adhibebatur: homines,

quia in conviviis et communibus mensis ad potum illo utuntur.

14. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum*. D. Hieronymus in Aggæi cap. 2 : *Rhamnus*, inquit, *spinosus frutex et arbuscula sentibus uncinisque contexta, qua teneat quidquid attigerit, et retentum vulneret, et vulneratorum sanguine delectetur.*

Veni, et impera super nos. Cùm fructuosarum arborum optimæ principatum non admitterent, ad infructuosarum pessimam et nocentissimam venitur, rhamnum scilicet.

15. *Sub umbra mea requiescite*. Licèt rhamni umbra quietem, protectionem, securitatemque polliceri videatur, tamen sub ea latentibus vix caput erigere, brachium porrigere licet, aut corpus commovere, quin sentibus ac spinarum aculeis compungantur, quod tyrannorum ingenium est.

Egrediatur ignis. Hoc etiam tyrannicum est, si non fiant omnia promptè quæ præcipiuntur, exardescunt, et iram, non in vulgares tantùm homines, sed in priores etiam, qui per cedros libani significantur, expromunt.

16. *Nunc igitur, si rectè*. Est apologi apodosis, circa quam notandum tribus arboribus, quæ imperium recusant, significari omnes viros bonos qui, si ad regnum israeliticum vocati fuissent, illud non admisissent, quòd id contra divinam voluntatem esse non ignorarent. Rhamnus ambitiosos, impios, divinique timoris expertes, ac nominatim Abimelech tyrannum notat. Hoc posito, sententia est : si regem eligendo, fratres meos occidendo, patri meo defuncto tanta mala inferendo bene fecistis, bene sit vobis, et regi vestro; lætamini vos cum illo, et vicissim ipse vobiscum. Sin verò malè fecistis, ut certè malè et pessimè fecistis, ipse rex vos perdat, et vos illum; mutuâ vos irâ et odio conficiatis; mutuis vos ignibus in cinerem redigatis.

* 21. *In Bera*. Quem locum D. Hieronymus distare ait octo millibus ab Eleutheropoli, ad aquilonem. Hujus loci non est mentio in Scriptura; eum Bonfrerius constituit in tribu Juda.

23. *Spiritum pessimum*. D. August. et alii diabolum interpretantur. Is postea discordiarum malorumque omnium auctor et incentor fuit. Sic Ps. 77. 49. dicitur: *Misit Dominus in eos iram indignationis suæ.... immissiones per angelos malos*. Quod autem dicitur misisse Dominus spiritum hunc, cum S. August. intelli-

gendum est, *permissivè*, ut scilicet, spiritum malignum ire inter eos volentem permiserit Deus ire, et pacem perturbare, etc.

Habitatores Sichem. Plebem intelligit, quæ scelus ab Abimelech patratum ipsi Abimelech, et primoribus Sichem civibus adscribebat, ac propterea eos oderat et aversabatur.

25. *Posueruntque insidias*. Sichimitæ qui cum Gaal conspiraverant ut Abimelech everterent.

Dum illius præstolabantur adventum. Scilicet Abimelech.

Agentes prædas de prætereuntibus. Latrocinia in eos potissimùm exercentes, qui pro Abimelech stabant.

26. *Gaal filius Obed*. Vir cognatione magna, opibus viribusque potens, popularis et gratiosus : ex qua tribu, aut urbe fuerit, non exprimitur in sacro textu.

27. *Vastantes vineas*. In hebræo et apud LXX est, *vindemiantes vineas*. Adventu Gaalis àlacres facti Sichimitæ, quod priùs facere non audebant, colligendis uvis insistunt, vinum exprimunt, et inter vulgarem vindemiatorum lasciviam Abimelechum carpunt, et lacerant dictis.

Ingressi sunt fanum Dei sui. Ut eum laudarent, ei de excusso Abimelechi jugo gratias agerent, hostiasque immolarent.

* 28. *Clamante Gaal*. Palam hæc jactante.

Quis est Abimelech? Quàm vilis, quàm improbus!

Quæ est Sichem, ut serviamus ei? E contrario, quæ et quanta est civitas Sichem!

Numquid non est filius Jerobaal? A patris persona vocat Abimelech in invidiam. Gedeonem etiam invidiosè Jerobaal vocat, ut patratam ab illo eversionem aræ Baal, cui Sichimitæ erant addicti, revocet in memoriam.

Constituit principem Zebul servum suum. Præfectum constituit Zebul, clientem suum.

Super viros Emor. Inducitur mentio Emor patris Sichem, ut civitatis hujus antiqua nobilitas, libertasque in memoriam revocetur, ex Genes. 34.

* 29. *Dictumque est Abimelech*. A quopiam monitus est, fortasse a Zebul, seu ab eo quem Zebul ablegarat, ut faceret id quod sequitur.

* 31. *Oppugnat*. Munit, armat.

* 32. *Latita in agro*. Quasi in insidiis, et opportunitatem invadendi exspectans.

* 33. *Illo autem egrediente*. Supponit non ausurum

illum aliter facere, ut pote qui sese ita jactarat, et Abimelecho insultarat.

* 34. *In quatuor locis*. Diviso exercitu in quatuor ordines, sub quatuor ducibus.

* 35. *Egressusque*. Processit, progressus est, vel domo est egressus.

36. *Cùmque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul*. Simulabat Zebul amicitiam cum Gaal, at clam illo, ut enim dicitur num. 32, Abimelech monuerat ut cum suis veniret in Sichem.

Umbras montium vides. Conatur Zebul Gaalem a suspicione adventantis exercitûs removere, ne imminenti malo occurreret.

* 37. *Rursumque Gaal ait*. Nimirum postquam aciem rursum intendisset, et attentiùs rem considerasset.

De umbilico terræ. Umbilicus terræ vocatur, non ut, aliquando, id quod est medium, sed quod editius est et fortius, ut sunt montes. Alii putant vocari umbilicum, quòd locus esset in terræ illius medio, collisque bonus et ferax.

Per viam quæ respicit quercum. Illam credo quercum intelligit, de qua supra, num. 6.

38. *Ubì est nunc os tuum*. Jam Zebul larvam deponit et amarulenta eorum exprobratione quæ Gaal dixerat num. 28, eum ad manus cum Abimelech conserendas impellit.

40. *In urbem compulit*. Duæ erant in Sichem factiones: altera Zebul, altera Gaal sequebatur: quamvis ergo victus Gaal fususque fuisset ab Abimelech, tamen eum Zebul urbe excludere non potuit; sed cumprimùm potuit, expulit, ut narratur num. 41.

* 41. *In Ruma*. Quæ, ut tradit D. Hieronym. de Locis hebraicis, est in finibus Diospoleos, et a plerisque Arimathæa dicitur.

* 42. *Egressus est populus in campum*. Ad redintegrandum bellum.

43. *Quòd egrederetur populus de civitate*. Non ut agrestibus vacaret operibus, ut putavit Sabellicus l. 8 Exemplorum, cap. 3, sed ut pugnaret.

45. *Ita ut sal in ea dispergeret*. In perpetuæ detestationis notam, ac signum; sal enim, ex quo nullus fructus nascitur, sterilitatem significat.

46. *Quod cùm audissent qui habitabant in turre Sichimorum*. Aliqui putant turrim hanc intra civitatem sitam fuisse. Serarius existimat in loco non admodum dissito, sed non intra urbem; alioqui non diceretur

quod cùm audissent, etc., sed potiùs, *quod cùm viderent.* Putat idem Serarius turrim hanc fuisse Mello, de qua dictum est supra, num. 6.

Ingressi sunt fanum Dei sui Berith. Ut scilicet loci munitione ac religione se tuerentur.

48. *In montem Selmon.* Mons hic est in eadem tribu Ephraim, non procul a turri Sichem, orientem ac Jordanem versùs. Densæ ibi arbores et nix quæ vix tandem liquefiebat. Psalm. 67. 16. *Nive dealbabuntur in Selmon.*

50. *Venit ad oppidum Thebes.* Urbs est in tribu Manasse, ut ait Adrichomius, num. 59.

53. *Fragmen molæ.* LXX indicant fuisse fragmentum superioris molæ; habent enim κλάσμα ἐπιμύλιον. * Similis ferè Pyrrho finis tegulâ a muliere jactâ, quæ caput ejus confregit, ut auctor est Plutarchus in ejus Vita. Joab vir bello egregius ex hoc casu Abimelechi documentum dedit regibus ne oppugnationibus interessent. 2. Reg. 11. 21.

54. *Ne fortè dicatur quòd a femina interfectus sim.* Imò dicitur, et porro semper dicetur. *Quis percussit Abimelech filium Jorobaal?* dicebat Joab 2. Reg. 11: *Nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes?*

CAPUT X.

Abimelecho succedit Thola, huic verò Jaïr. Israelitæ in idololatriam relabuntur, sed eos Dominus per Ammonitas punit et per Philisthæos; postea resipiscentibus opitulatur.

1. SURREXIT *dux in Israel.* * Solemni populi electione. In hebræo, chaldæo et græco textu dicitur, *surrexit, ut salvaret Israelem.* Salvavit autem abducendo ab idololatria, et a malis liberando, in quæ ob tyrannidem Abimelech populus incurrerat.

Filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar. Gedeon fuit e tribu Manasse; quomodo ergo Phua frater Gedeonis potuit esse de tribu Issachar? *Potuerunt,* inquit D. Aug. quæst. 47, *Gedeon et Phua unam habere matrem, ex qua diversi partûs nascerentur, et fratres essent unius matris filii, non unius patris.*

In Samir montis Ephraim. Urbe in confinio Ephraim, licèt ad tribum Issachar pertineret. Additur illud, *montis Ephraim;* est enim alia Samir in tribu Juda, Josue 15. 48.

3. *Jair*. Quod nomen *illuminans* significat : sic ille etiam vocabatur Jairus, Marci 5. 22, et Lucæ 8. 41. * Non est hic ille de quo agitur Num. 32. 41, sed alius Segubi filius, cujus mentio 1. Paral. 2. 22.

Galaadites. Quia ex ea parte tribûs Manasse, quæ trans Jordanem habitabat. Tota verò illa regio aliquando dicitur terra Galaad in sacris litteris.

4. *Sedentes super triginta pullos asinarum*. Asinis inequitabant, eosque habebant in deliciis antiqui Hebræi, vel quia eorum mollissimus est incessus, vel quia (quod D. Hieron. placet) equi Hebræis vetiti erant, quod tamen non est omnino verum, ut docui in Hieropoliticis, l. 3. cap. 53. § 2.

Principes. Præfectos, gubernatores.

Ex nomine ejus. Jair filius Manasse occupatis vicis Galaaditis eos appellavit *villas Jair*, ut habemus N. 32. 41. Secundus hic Jair eosdem fortasse muris cinxit, frequentiores reddidit, in oppida erexit, ita ut firmiùs hæc illis adhæserit nomenclatura, nec primi tantùm respectu, sed hujus etiam secundi.

6. *Baalim*. Diis.

Astaroth. Deabus.

Sidonis. Astarthe scilicet : vide 3. Reg. 11. 5 et 33.

Moab. Chamos : vide 3. Reg. 11. 7 et 33, Num. 21. 29, et Jerem. 48 et 49.

Et filiorum Ammon. Scilicet Moloch. 3. Reg. 11. 5 et 33, Jerem. 49, Amos 5. 26, Chamos etiam : vide cap. seq. hujus libri Judic. num. 24.

7. *Philisthiim*. Dagon. Vide infra cap. 16. num. 23 et 1. Reg. 5. num. 2 et seq.

8. *Afflictique sunt, et vehementer oppressi*. Hebr. valde significanter, *isti confregerunt et conquassarunt Israelitas*.

* 13. *Non addam*. Intellige, nisi resipueritis.

14. *Ite, et invocate deos quos elegistis*. Non est præceptum, sed ironia vel sarcasmus. Respondisse videtur hæc Dominus, vel per angelum, ut cap 2. num. 1, vel potiùs per prophetam aliquem, ut cap. 6. num. 8.

15. *Redde tu nobis*. Non reddas, obsecramus, per istos alienigenas, nimirum quia, ut postea dixit David 2. Reg. 24. 14, *melius est ut incidam in manus Domini. . . . quàm in manus hominum*.

Tantùm nunc libera nos. Promissio est quædam constantiæ in divino cultu et obsequio, quasi dicant : Perseverabimus deinceps in te colendo : si secus faciamus, non refugimus quominus nos acerrimè punias.

16. *Doluit super miseriis eorum.* Hebræus, *angustata est anima ejus in labore Israelis ;* loquitur Scriptura de Deo more humano. Sic. Genes. cap. 6. 6, dicitur : *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra, et tactus dolore cordis intrinsecus, etc.*

17. *In Maspha.* Maspha significat *speculam* ; ideoque pluribus in locis Masphæ inveniuntur. Hæc nostra est in Galaaditide, ut Abulensi videtur et Ariæ, qui in tabula terræ Chanaan eam ultra Jordanem collocat ad littus orientale Phanuelis, de qua supra, cap. 8. num. 8.

18. *Qui primus ex nobis.* Sententia est : is noster dux sit, et populi judex, qui primus ausus fuerit contra Ammonitas arma movere. Verùm quia periculosum hoc videbatur, et fieri fortè poterat ut qui audax et manu promptus esset, consilio tamen destitutus, nec tanto muneri par esset, mutato consilio Jephthe deligunt, et missa legatione, de qua cap. seq. num. 5, rogant ut dux exercitûs, et populi judex esse velit.

CAPUT XI.

Jephthe populi judex deligitur ; Ammonitas bello vincit ; filiam Deo sacrificat.

1. JEPHTHE. Jephthe significat *apertionem*, ac *januam*, ut Judææ tribûs oppidum Jephtha, Jos. 15. 43.

Galaadites. De tribu Manasse, ut cum Pererio sentit Serarius : sunt tamen qui putent fuisse de tribu Gad. Sic Abulensis et Cajetanus.

Filius mulieris meretricis. LXX πόρνην vocant Jephthe matrem, cum nostro textu consentientes. Itaque spurius erat Jephthe, non ante patris nuptias per simplicem fornicationem natus, sed per adulterium, ut colligitur ex textu, num. 2, et colligit Serarius quæst. 1.

* 2. *Postquam creverant.* Defuncto tamen patre ; nam probabile non est facinus quod sequitur ausuros illo superstite.

Ejecerunt Jephthe. Non vi manuque privata, sed publica ; hoc enim ipsemet significat, cùm num. 7 missis e communi gentis concilio ad se legatis ait : *Nonne vos estis qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei ?*

Quia de altera matre natus es. Quia nothus es. * LXX habent, γυναικὸς ἑταίρας, *mulieris meretricis.*

3. *Habitavit in terra Tob.* Quæ secundum Abulensem, et Joseph. l. 5. cap. 9, est Galaaditidis pars.

Latrocinantes. Qui soliti erant priùs latrocinari, licèt duce Jephthe jam non latrocinarentur, vel certè in Israelitarum regione latrocinia non exercerent, sed vicinorum infidelium, qui Judæis erant iufesti. Adde apud priscos latinos latronis nomine milites intelligi, ut idem sit latrocinari, quod militare. Exempla suppetunt ex Plauto in Milite glorioso.

* 5. *Quibus*. Ammonitis.

* *Instantibus*. Contra Israelitas pugnantibus.

6. *Esto princeps noster*. Non fuit initio Jephthe Israelitarum omnium creatus princeps, sed Galaaditarum tantummodo, ut patet ex cap. 10. num. ult. et hoc loco, ut etiam num. 8 sequenti. Galaaditæ verò hìc vocantur omnes Judæi, qui trans Jordanem habitabant.

7. *Et ejecistis de domo patris mei*. In quo passus sit injuriam non constat ex sacro textu. Fieri tamen potuit ut aliqua re donatus a patre Galaad, quam retinere jure posset, spoliatus esset; vel quòd ætate adhuc junior sit ejectus, cùm necdum ad vitam idoneè agendam satis esset instructus; vel quòd per calumniam et falsas criminationes domo exturbatus sit.

8. *Ob hanc igitur causam*. Vel, quia penuria ducis laboramus: vel quia illatam tibi injuriam compensare studemus.

* *Qui habitant in Galaad*. Fuit initio princeps, et judex tribuum trans Jordanem habitantium; postea verò re bene gesta, totius Israelis.

9. *Ego ero vester princeps?* Constituetisne me principem vestrum, si rem prosperè gessero contra Ammonitas? Honesta oratio, et modesta postulatio fuit. Petit enim id tantùm quod et ipsi dare poterant, et in concilio suo se daturos ante definierant, et nunc quoque ultro ac sponte detulerunt.

10. *Nostra promissa faciemus*. LXX, *secundum verbum tuum sic faciemus*, hoc est, omnino te principem constituemus.

11. *Omnis populus*. Galaaditarum, nec victoriam exspectavit, ut scilicet benevolentiam in Jephthe demonstrarent, et illi se planè fidere ostenderent, eumque alacriorem ad bellum redderent. * Itaque dispensatum est in lege Deut. 23 ut quamvis spurius ad jura populi israelitici admitteretur.

Omnes sermones suos. Consilia sua de bello contra Ammonitas, exponendo etiam summam legationis ad se missæ, ut quæ acta essent confirmarentur, et quid porro agendum esset statueretur.

Coram Domino in Maspha. Dicitur *coram Domino*, vel quia testis ac mediator adhibebatur Dominus; vel quia in israeliticorum conventuum medio adesse censebatur Dominus, Deuteron. 9. 3 et 20. 4.

12. *Misit nuntios.* Qui peterent ab rege Ammonitarum ut desisteret a bello, quòd illius nullam justam causam haberet.

13. *Quia tulit Israel terram meam.* Mentitur rex Ammon, cùm ait Israelitas partem aliquam regni Ammonitarum occupasse; nam terra illa a finibus Arnon usque ad Jaboc Amorrhæorum erat, cùm illam Israel invasit, et antequam esset Amorrhæorum, Moabitarum fuerat non autem Ammonitarum; quare nullum jus in tractum illum rex Ammon habebat. Vide Deut. 2. 19 et 37.

16. *Quando de Ægypto conscenderunt.* Tota hæc narratio perspicua est ex cap. 21. Num. et Deut. 1. et 3.

* 23. *Tu nunc vis possidere?* Quasi dicat: Dei fuit hæc victoria, qui Amorrhæum deleri voluit, et nos ejus fines possidere: cur ergo tu nunc vis possidere terram ejus, quam Deus rerum omnium Dominus nobis tradidit, et quam jure belli nostram fecimus?

24. *Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus?* Sententia est, quemadmodum censetis vos jure possidere quæ vobis tradidit Chamos deus vester; ita nos jure possidemus quæ a Deo nostro tradita nobis sunt. In hebræo est, *nonne quod hæreditate obtinere te fecit Chamos deus tuus, hoc hæreditate obtinebis?* Aliqui eumdem putant cum Baccho, quia apud Græcos *κῶμος* est et comessatio et compotatio: alii, quia מוש *musc*, removere et depellere significat, deum malorum aversorem et depulsorem vocatum, ut a Latinis olim *averruncum*, et a Græcis *διὰ ἀποτροπαῖον*. Alii tandem, quia eadem radix מוש palpare significat, ita Deum illum effictum suspicantur, ut oblatas victimas quasi palpaturus et contrectaturus exprimeretur.

25. *Nisi fortè melior es Balac.* Quemadmodum Balac Moabitarum rex tractum illum nunquam repetiit tanquam ad se pertinentem; ita multò minùs tu, tanto post tempore, repetere jure potes, aut debes.

26. *Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?* Cùm trecentis annis hæc loca tenuerimus pacificè, æquum non est ut tanto post tempore possessionem nostram turbare velitis. Sic postea præscriptionis lex civili jure inducta est, quæ naturali innititur æquitate. Porro quod dicitur *trecentis annis*, *etc.*, ita intelligendum est, ut, sive ab exitu ex Ægypto, sive a

devicto Amorrhæo eos computemus, semper intelligamus rotundum numerum poni; alioqui subtiliùs computanti, aut aliquid deerit, aut aliquid redundabit. Emmanuel Sa nodum solvit dicendo Scripturam non affirmare trecentos annos illos fuisse, sed eam referre tantùm quid dixerit Jephthe.

27. *Dominus arbiter hujus diei.* In hebræo est, *judicet Dominus judex diei* : qui scilicet hodie judicat, et rerum omnium arbiter est. Judicat autem Deus, cùm sontibus pœnam infligit, facitque per cædes et calamitates, ut omnes intelligant se damnasse eam partem cujus causa erat injusta.

29. *Factus est ergo super Jephthe spiritus Domini.* Vide dicta supra, cap. 3. num. 10.

Maspha quoque Galaad. Vide dicta supra, cap. 10. num. 17.

31. *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domûs meæ.* Sunt qui putent intentionem voventis fuisse rem quæ occurreret consecrare Domino, aut in holocaustum offerre, pro conditione scilicet rei quæ occurrisset; ideoque filiam immolatam negant, sed perpetuæ virginitati addictam. Alii censent divino spiritu incitatum, votum concepisse de offerendo in holocaustum eo qui primùm sibi occurrisset, nihil in particulari statuens, ut docet mox secuta admiratio, et gemitus in occursu filiæ. Votum ergo hoc Jephthe in mitiorem partem interpretandum, ut scilicet vel non peccaverit, vel non graviter illud concipiendo, cùm nec damnetur in Scriptura, et Spiritu afflatus in illud erupisse videatur, sitque Deus vitæ ac necis Dominus, et votum etiam videatur fuisse causa victoriæ.* Ita Serarius et Salianus. Quòd si Jephthe hac ratione excusari non posse putemus, quòd humanis victimis Deus non delectetur; certè poterit excusari, quòd ignorantiâ et conscientiæ errore ductus, se voti reum esse crediderit. Itaque aut omnino non peccavit, aut certè non graviter.

33. *Usque dum venias in Mennith.* Quæ est urbs in finibus Ammonitarum, non procul a Rabba versùs meridiem.

Usque ad Abel, quæ est vineis consita. Abel planitiem significat : dicitur *vineis consita*, ut ab aliis urbibus ejusdem nominis distinguatur ; nam est Abel Meolach, de qua 3. Reg. 4. 12; et Abel quæ Schittim, sive Nachal Haschittim dicitur : vide Joelis ultimo num. 10.

34. *Filia sua cum tympanis et choris.* Solebant enim puellæ epinicia canere, ut colligitur ex cap. 15 Exod. num. 20, et 1. Reg. 18. 6, et aliis locis.

35. *Decepisti.* Quasi dicat magno errore mihi obviàm venisti, magnoque meo incommodo. Hebr. *depressisti*, seu *humiliasti me*. Vulgati interpretis sententia est, *decepisti*, quia cùm ex te gaudium mihi pollicerer, mœroris occasionem nactus sum : *decepta es*, quia cùm credideris te patri honorem choris æqualium virginum allaturam, ex meo voto mortis victima facta es.

37. *Plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Plangam scilicet, et lamenter sterilitatem prolisque orbitatem.

38. *Cui ille respondit: Vade.* Tantulam immolationis dilationem rectè et absque omni peccato concessit filiæ pater.

39. *Et fecit ei sicut voverat.* Offerendo scilicet eam in holocaustum, quod veteres ferè omnes sentiunt, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Nazianzenus, Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus, et alii a Serario longo ordine citati, q. 16. in hoc caput.

Quæ ignorabat virum. Cui minùs molesta fuit mors, quàm sobolis orbitas. Tunc enim habebatur maledicta sterilis, Exod. 23. 26, Deut. 7. 14, Sapient. 3. 13, Genes. 30. 1, 1. Reg. 1.

40. *Plangant filiam Jephthe Galaaditæ diebus quatuor.* Anniversarius hic luctus statutus est, 1. in filiæ Jephthe honorem, quæ se post concessum bimestre spatium tantâ constantiâ sacrificio stetit; 2. ut ostenderetur etiam difficilia quæ vovimus facienda; 3. ut incitarentur omnes Israelis filiæ ad Dei cultum, parentum obedientiam, patriæ charitatem; 4. ut monerentur in posterum a tristibus hujusmodi votis abstinendum; 5. ut ostenderetur charorum memoriam lamentari nefas non esse.

CAPUT XII.

Ephraimitæ injustè adversus Jephthe tumultuantes ad quadraginta duo millia cæduntur. Vitâ functo succedunt judices Abesan, Elon et Abdon.

1. ORTA *est seditio.* Seditionis causa prorsus eadem fuit quæ iisdem tumultûs fuerat, supra, cap. 8, contra Gedeonem; nimia scilicet gloriæ cupiditas, et rerum bene a Galaaditis gestarum invidia.

Transeuntes contra aquilonem. Jordanem in aquilonari parte transmittentes.

Vocare

Vocare nos noluisti. Mentiuntur ; nam ut patet ex versu sequenti invitati belli participes esse noluerunt.

Incendemus domum tuam. Et te cum ea ; nam in hebræo additur *tecum*, vel *super te*, quod etiam habent LXX.

3. *Posui animam meam in manibus meis.* Vitam meam mortis periculo exposui. Hebræa phrasis, quæ etiam occurrit 1. Reg. 19. 5, et alibi.

4. *Fugitivus est Galaad de Ephraim.* Quasi dicat, vilis respectu Ephraim : * nullius animi, aut roboris, quales esse solent, qui fugiunt. Vel sensus est : Galaad fugitivus est, id est, apostata et desertor, qui nos olim reliquit manens ultra Jordanem.

Et habitat in medio Ephraim et Manasse. Quasi dicat: quid superbitis, vos Galaaditæ, qui inter fraternas tribus duas, Ephraim scilicet et Manasse, habitatis? Nonne ab utraque tribu concludi et deleri nullo negotio potestis?

6. *Dic ergo Schibboleth.* Non poterant hanc vocem *Schibboleth* Ephraimitæ pronuntiare per s et c, id est, per ש *scin*; sed pronuntiabant tantum per s, id est, per ס *samech*, dicentes Sibboleth, ex quo agnoscebantur. Hoc passim accidit, ut nationes aliquæ aliquas voces per aliquas litteras efferre, aut non possint, aut ægre possint.

Quod interpretatur spica. Id additum ab interprete : alii aquarum decursum, seu alveum interpretantur, et quidem utrumque significat.

7. *Judicavit.... Israel.* Universum Israel ; nam licèt initio Galaaditarum tantùm princeps esset, postea tamen etiam reliquæ tribus illi paruisse videntur. Ita sentit D. August. q. 49.

Mortuus est. In beatorum numero recenset Jephthem S. Paulus ad Hebr. 11. 32.

* *In civitate sua Galaad.* In Maspha, quæ erat in regione Galaaditide.

8. *Abesan de Bethlehem.* Quæ in tribu Juda, et ita passim sentiunt omnes. Maldonatus tamen in Matth. cap. 2. num. 1, putat hìc agi de Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon, cujus mentio Josue 19. 15.

9. *Introducens in domum suam.* Suæ familiæ aggregans, cùm nurus illius essent, licèt fortasse sub eodem tecto non habitaverint propter multitudinem.

13. *Pharathonites.* Ex urbe Pharathon in tribu Ephraim, ut dicitur n. 15 sequenti.

15. *In monte Amalec.* Quia eum ex parte adhuc incolebant Amalecitæ in orientali tractu Ephraim; unde

tandem a Saule, 1. Reg. 15, dejecti fuerunt.* Vel certè dicitur mons Amalec, quòd illum aliquando Amalecitæ possedissent.

CAPUT XIII.

Israelitæ iterum idolis serviunt : nascitur Samson, vivit nazaræus, et ulcisci incipit injurias illatas Israeli.

2. *De Saraa.* Urbs hæc, Josue 15. 33 et 19. 41, Esdræ etiam lib. 2. cap. 11. num. 29, recensetur inter urbes terminales tribuum Juda et Dan, * ad quam etiam tribum pertinuit. Existimant plerique Samsonem non ex ipsamet urbe Saraa; sed ex Saraano agro ortum, ut colligi videtur ex cap. 16. num. 31, et ex cap. isto 13. num. 25. Nam utroque loco videtur paterna Samsonis domus ac sepulcrum collocari inter Saraam urbem, et Esthaol. * Vide hoc cap. infra, num. ult. ubi satis indicatur locum habitationis Samsonis appellatum fuisse Castra Dan. Vide etiam cap. 18. 12.

Manue. Virum bonum fuisse Manue ex his, quæ in hac historia dicuntur, colligitur, ut ex subito ad Deum cursu et precatione, cùm de filii conceptu audiit infra, num. 8; ex omnibus etiam, quæ postea cum angelo locutus est et egit; et ex iis, quæ cum Samsone filio illi acciderunt, infra, capite 14.

4. *Cave ergo ne bibas vinum ac siceram.* * Jubet eum nazaræorum agere vitam ad tempus, ac propterea juxta leges nazareatûs, vino abstinere ac sicera, hoc est, omni potu inebriandi vim habente; hoc enim sicera significat, quam LXX propterea vocant μέθυσμα.

Nec immundum quidquam comedas. Hoc alioqui vi legis hebraicæ tenebatur facere, sed non est supervacanea monitio; quàm multi enim leges violant, quas servare debuissent!

5. *Quia concipies et paries filium.* Voluit Dominus, ut magnæ miræque prolis magna miraque esset conceptio, in utero gestatio et nativitas. Ideo mittitur angelus, nazaræatûsque imperatur cæremonia, quam Abulensis q. 10 putat matri indictam usque ad pueri ablactationem, ut scilicet Samson futurus nazaræus, nec in utero, nec post partum editus in lucem, lacte nutriretur quod ex vino, aut sicera haberet originem. Tandem tamen concludit certius esse nazaræatum matris ad partum usque tenuisse.

Cujus non tanget caput novacula. Quæ nazaræorum nota erat Num. cap. 6. 5.

* *Ex matris utero.* Usque ad diem mortis suæ, ut dicitur hoc cap. n. 7.

Incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. Cœpit, sed non perfecit, quia in hostium manibus mortuus est, infra, cap. 16. 30, et magis magisque postea liberatio hæc perfecta est 1. Reg. 7. 13.

6. *Vir Dei venit ad me.* Apparuerat angelus specie humana, ac veneranda, quæ gravem, sanctum, propheticumque hominem referret. Prophetæ autem vocabantur viri Dei.

Habens vultum angelicum. Formosissimam et elegantissimam faciem.

Terribilis nimis. Reverendus et venerabilis admodum.

8. *Vir Dei.... veniat iterum.* In hebr. et LXX additur, *ad me.*

9. *Apparuit...uxori ejus.* Si primò apparuisset Manue, scire non potuisset an esset ille idem qui uxori primò apparuerat; sed cur prima vice uxori potiùs visus est quàm ipsi Manue? quia cùm hanc potiùs quàm Manue sterilitas angeret, pro ea tollenda diutiùs et ardentiùs oraverat, ut etiam pro salute populi : *Quia mulier ista viro præstantior, ideo primò ei visio obtigit*, inquit Procop.

*13. *Abstineat se.* Scilicet uxor : patet ex hebræo textu, in quo hæc omnia verba, *abstineat*, *comedat*, *bibat*, *vescatur*, *custodiat*, sunt feminini generis.

15. *Faciamus tibi hœdum de capris.* Coquamus tibi in cibum hœdum parvum ac lactentem, ac propterea adhuc matri adhærentem.

16. *Non comedam panes tuos.* Non enim humanis cibis vescuntur angeli, Tob. 12. 19. Panum verò nomine cibi generatim significantur ex consuetudine linguæ hebraicæ.

18. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Alii vertunt, *quod est occultum.* Sanè τὸ *mirabile* non est nomen angeli, alioqui dicere debuisset *mirabilis*, sed est adjectivum substantivi *nomen*, quod præcesserat. Fortassis angelus hic Michael fuit, quia rem nuntiavit quæ ad populi israelitici commodum et salutem pertinebat, ipseque Synagogæ protector erat, ut nunc est Ecclesiæ.

19. *Libamenta.* Erant oblationes accessoriæ, et se-

cundariæ, cum quibus hostiæ Domino offerebantur, ut simila, etc.

Posuit super petram. Quæ extemporarii altaris vicem implevit, quæ etiam propterea altare dicitur n. 20 sequenti.

Offerens Domino. Per angelum; angelus verò propriè et immediatè Deo sacrificavit.

20. *Cùmque ascenderet flamma.* Quam videtur angelus e petra elicuisse, ut fecerat angelus qui Gedeoni apparuit, supra, cap. 6. 21.

Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quo facto significare voluit gratissimum esse sacrificium illud Deo, seque illud in cœlum quasi deferre, et seipsum una cum holocausto isto dicare, ac quodammodo sacrificare Deo.

Proni ceciderunt in terram. Vel Deum adorantes, ejusque ministrum angelum cultu aliquo afficientes; vel etiam metu perculsi, et conturbati.

22. *Morte moriemur.* Vide dicta supra, cap. 6. num. 22.

23. *Si Dominus.* Conjectura mariti timorem lenit, quòd probabile non sit Deum illis mortem inferre velle, quibus adeo faverit ut holocaustum de manu eorum acceperit, signis exhibitis quòd sacrificium illud probaret, addita etiam promissione prolis suscipiendæ.

* 24. *Vocavit.* Mater scilicet, ut patet ex hebræo textu, in quo verbum hoc est feminini generis.

Samson. Quod nomen Josephus *fortem* interpretatur. S. Hieron. *solem*, seu *solem ejus*. Alii, *parvum solem*, * quæ verior esse videtur hujus nominis etymologia : alii tamen aliter.

Benedixit ei Dominus. Benedictio Domini semper copiam et abundantiam rei alicujus bonæ significat. Benedictus ergo est Samson, et quoad corporis vires, et quoad animi dotes, divinamque gratiam.

25. *Cœpitque spiritus Domini esse cum illo.* Vide dicta cap. 3. num. 10.

Inter Saraa et Esthaol. Vide dicta hoc cap. num. 2.

CAPUT XIV.

Samson uxorem ducit Philisthæam. Proponit sodalibus ænigma : illi solutionem expiscantur ex uxore Samsonis, qui occasionem inde corripit hostilitatis in Philisthæos deinceps exercendæ.

1. *In Thamnatha.* Quæ oppidum fuit in tribuum Juda, Dan et Ephraim confinio, versùs mare Mediterraneum, in via inter Ptolemaidem et Gazam, cujus mentio Gen. 38, Jos. 15, Par. 28, Machab. 9.

2. *Quam quæso ut mihi accipiatis uxorem.* Communior sententia Samsonem a peccato liberat, vel quia nolebat uxorem illam ducere, nisi fieret proselyta judaicis sacris susceptis : vel quia divina inspiratione agente illius nuptias affectabat, quæ ratio solidior est, et significatur in textu, num. 4 sequenti.

3. *Numquid non est mulier.* Postulatum Samsonis parentes ejus rejiciunt, quia Deuter. cap. 7. 3, et Exod. 34. 16, lex erat, qua vetabantur omnia Israelitarum connubia cum Chananæis.

4. *Quæreret occasionem.* LXX habent, ἐκδίκησιν, *vindictam*.

5. *Cum patre suo et matre.* Qui nesciebant quidem initio Dei consilium et voluntatem, postea tamen vel interiori affatu, vel externo aliquo indicio facti illius certiores, filii postulatis annuerunt.

Apparuit catulus leonis. Samsoni tantùm occurrit leo, quamvis enim iter simul cum parentibus esset ingressus, tamen vel solus præcessit, vel substitit, tuncque leonem obvium habuit, quod textus indicat cùm ait: *Occurrit ei*, non *eis*, et quæ secuta sunt ostendunt.

6. *Spiritus Domini.* Audaciam et fortitudinem augens.

Et hoc patri et matri noluit indicare. Viri enim fortes minimè sunt jactabundi, nec quæ patrant facinora prædicare solent.

7. *Locutus est mulieri.* LXX in plurali, ἐλάλησαν, *locuti sunt* : Samson scilicet, et parentes ejus.

8. *Examen apum in ore leonis erat.* Apes illæ fortasse ex eodem putri leonis cadavere natæ sunt, quemadmodum ex bove nasci certum est ; et quanquam apes munditiæ studiosæ sunt, et tetrum odorem refugiunt, tamen cùm ex eo ebulliissent, minùs mirum si in ejus ore mellificarunt, præsertim si aridum jam erat cranium et carnibus nudatum.

10. *Descendit itaque pater ejus ad mulierem.* Cur solus ad sponsam descendisse dicatur pater, putat Arias causam fuisse quòd ante convivium paratum viri sponsarum domos frequentare non solerent. Abulensis putat patrem tanquam præcipuum nominari, sed cum eo etiam Samsonis matrem descendisse.

Sic enim juvenes facere consueverant. Pater convivium instruxerat: hìc tamen quasi illius auctor exprimitur Samson, quia illius causâ et nomine a patre paratum est.

11. *Dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo.* Hi socii in Scripturis vocantur aliquando *amici*, vel etiam *filii sponsi*, Matth. 9. 15, Marci 2. 19, Joan. 3. 29. Interpres noster hoc cap. num. 20 vocat *pronubos*, quos Josephus dixit νυμφοσόλυς, et ἑταίρυς. Hi ergo socii sponsis jungebantur, ut nuptiarum lætitiam excitarent, illisque adessent honoris causâ.

12. *Problema.* Ænigma, gryphum. * Mos vetus virorum excellentium de ingenio inter se certandi propositis ænigmatibus, de quo vide Josephum lib. 1. contra Appionem; et Plutarchum in convivio septem sapientum. Sic et regina Saba venit tentare sapientiam Salomonis in ænigmatibus, 3. Reg. 10. 1.

Intra septem dies convivii. Septem enim diebus, hoc est, hebdomada una nuptiæ celebrabantur: hæc est hebdomas illa dierum qua Liæ nuptiæ celebratæ sunt, Genes. cap. 28. num. 27.

Triginta sindones. Singulis nimirum unam.

Totidem tunicas. In hebræo est, *mutationes vestium*, sive per hypallagen, *vestes mutationum*, sive *mutatorias.* De vestibus mutatoriis dixi in Œconomicis, lib. 2. cap. 17. num. 2, eas esse, quas apud se habere solent nobiles viri, et elegantioris cultûs studiosi, quas subinde mutant cum aliis communioribus, ne sordes contrahant. * Vel etiam vestes mutatoriæ sunt nova vestimenta quæ cum veteribus usu attritis mutantur.

13. *Propone problema.* Quasi dicant: accipimus conditionem, propone ænigma.

15. *Cùmque adesset dies septimus.* Tres dies nodi solutionem quæsierant; quomodo ergo dicitur cùm adesset dies septimus? Respondeo diem septimum hìc appellari diem sabbati: ita Lyranus, Abulensis, Vatablus, et alii; vel τὸ *adesset* significat *appropinquaret.* Ita idem Abulensis et Arias. Serarius ait hebræa sic verti posse, *et fuit in diebus septem*, seu, *intra dies illos septem.* Fortasse tribus diebus solutione quæsita et non inventa,

desperarunt ; sed cùm adesset dies septimus, subiit consilium de arcano per Samsonis uxorem cognoscendo.

17. *Septem igitur diebus convivii flebat ante eum.* Omnibus qui post tertium illum nuptialis convivii diem residui erant, quarto scilicet, quinto, sexto et septimo. Sic etiam explicat Lyranus, cùm ait : *Septem diebus, id est, majore septem dierum parte.* * Dici etiam potest mandatum illi inde a principio septem dierum ut solutionem expiscaretur, idque illam fecisse, sed frigidiùs ac languidiùs; post tertium verò diem, ac demum septimo ardentiùs, illis instantibus, et minas intentantibus.

18. *Si non arassetis in vitula mea.* Locutio adagialis. Illi dicuntur aliena vitula arare, qui rebus alienis ad suum commodum utuntur. Vide Serar. hìc, et Martin. del Rio Adagial. 162.

19. *Descenditque Ascalonem.* Est urbs Philisthæorum cujus mentio non infrequens in sacris litteris.

Percussit ibi triginta viros. Videtur in urbe potiùs ipsa palam et apertè occidisse, quàm in agro, aut in via more latronum insidiantium : nec diversis vicibus singulos aut pauculos, sed simul omnes; nam roboris adeo magni specimen non fuisset singulos interimere. * Non peccavit Samson hac triginta virorum cæde, quia spiritu Domini impellente ab eo patrata, quem Deus judicem populi constituerat, ut Philisthæorum injurias Israelitis illatas ulcisceretur.

Ablatas vestes dedit iis. Sindones et tunicæ propositum fuerat victoribus præmium, sed jam tantùm tunicas dedisse videtur Samson, quod etiam clariùs habetur ex textu hebraico, *et accepit*, inquit, *Samson spolia*, seu *exuvias, et dedit mutationes iis qui explicarant ænigma.* Resp. per tunicas intelligi etiam sindones per synecdochen; vel certè Samsonem detraxisse iis alterum, quia non suo marte et ingenio ænigma evolverant.

20. *Unum de. . . . pronubis.* Vide dicta hoc cap. num. 11.

CAPUT XV.

Ad caudas vulpium facibus alligatis incendit Samson Philisthæorum segetes ; maxillâ asini in telum versâ mille viros occidit. Sitienti eadem maxilla latices copiosè subministrat.

1. *Cumque cubiculum ejus solitò vellet intrare.* Jam Samsonis deferbuerat ira, pristinusque effervescebat amor.

2. *Tradidi illam amico tuo.* Pronubo illi, de quo extremo cap. superiori. Nulla erat soceri Samsonis excusatio, quia licèt eo tempore repudium permitteretur, non tamen fas erat uxoribus libellum repudii viris dare, sed e contra. Quamvis autem Samson iratus uxorem reliquerat, adhuc tamen quærendum ab eo fuerat eamne repudiare vellet, faceretque potestatem ad alias nuptias transeundi.

Sed habet sororem. Videbat socer Samsonis se generum suum injuriâ affecisse, ac propterea sollicitè illum placatum sibi reddere studet alterius filiæ nuptiis oblatis.

3. *Ab hac die.* Non accipit conditionem Samson, cùm suam uxorem ei quæ offerebatur posthabere neque vellet, neque posset. Levit. 18. 18: vide ibi notata.

4. *Cepit trecentas vulpes.* Abundat vulpibus Judæa et Palæstina, ut colligitur ex illo Cant. 2. 15: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, et Thren. 5. 18: *Propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Nec solus cepit Samson, sed in iis capiendis aliorum fortasse opera usus est, et Dominus etiam in ejus casses vulpium multitudinem impulit, ut quod mente agitabat posset efficere.

Caudasque earum junxit ad caudas. Binas et binas simul emittebat; itaque fuerunt paria centum quinquaginta.

Et faces ligavit in medio. Ad caudas, seu in medio funium qui e caudis propendebant, ac trahebantur longiùs, faces alligabantur. Faces, sive tædæ, aut titiones ex lignis fortasse resiniferis fuerunt, quæ in vulpium cursu ardere, ignemque tueri possent.

5. *Quas igne succendens.* Postquam scilicet alligaverat.

Dimisit. Non omnes simul, nec ex eodem loco.

6. *Dixeruntque Philisthiim.* Quia dicitur generatim Philisthiim hæc interrogasse, et pro nomine proprio soceri Samsonis Thamnathæus dicitur; videtur incendium latè fusum, et non tantùm Thamnatam, sed alias etiam circumjectas regiones populatum esse.

* 7. *Expetam ultionem.* Ex quo patet Samsonem privatarum injuriarum specie publica fuisse persecutum.

8. *Ita ut stupentes suram femori imponerent.* Solent enim homines meditabundi et lassi suram unius cruris alteri femori sedentes imponere, qui habitus est præ mœrore stupentium. Plures hujus loci ex hebræo versiones et explicationes vide apud Serar. hìc, quæst. 10, et apud Martin. del Rio Adag. 164.

In spelunca petræ Etam. Etam vel nomen est loci vel viri, cujus mentio est 1. Par. 4. 32, a quo petra illa sic dicta sit. Etam aliqui collocant in tribu Simeon ad torrentem Sorec; alii, ut Josephus, in tribu Juda. Sed hæ sententiæ fortasse non discordant; nam ex cap. 19 Josue constat tribum Simeonis in Judææ tribûs partem admissam fuisse. Vide ibi dicta.

* 11. *Quare hoc facere voluisti.* Ut scilicet Philisthæos in nos exasperares.

* *Sicut fecerunt.* Id est, illatas mihi injurias vindicavi.

13. *Ligaveruntque eum duobus novis funibus.* Vox hebraica עבות *havoth*, non qualescumque funes significat, sed bene complicatos, quos italicè dicimus *fune rinforzata*. LXX appellant καλώδια, *rudentes*, qui sunt nautici funes valde crassi.

* 14. *Vociferantes.* Festivo clamore, ob rem prospere gestam.

Irruit spiritus Domini in eum. Vires illius augens, et eum excitans, ut funibus disruptis in Philisthæos insiliret.

Ad ardorem ignis. Quæ loquendi formula statim lina illa flammam concipere significat, et igne solvi. Sic non absimili loquendi schemate dicimus cibum aliquem facilis esse coctionis, ut satis sit, si semel ignem aspiciat.

15. *Mandibulam asini.* Satis proceri sunt asini in Palæstina: itaque non incommodè mandibula hæc in teli usum converti potuit; mirum tamen tam multos illâ percuti et occidi potuisse.

16. *In maxilla asini.* Canticum hoc fuit, sive illius particula, aut exordium; hæc enim cantando dixisse Samsonem patet ex num. 17 sequenti.

17. *Elevatio maxillæ.* Sic dictus locus, vel quòd e terra in Philisthæos maxillam elevasset eos percussurus; vel quòd illis jam stratis, eam elevarit Deo pro accepto beneficio gratias acturus.

18. *En siti morior.* Ex vehementi motu, calore, sudore nasci potuit sitis: Josephus, et illum secutus S. Ambros. ep. 76, causam sitis faciunt divinam ultionem, quòd edita illa strage superbiisset Samson, et plùs quàm par erat, sibi arrogasset. * Quod minùs probabile videtur, cùm hoc eodem versiculo victoriam referat in Deum.

* 19. *Egressæ sunt ex eo aquæ.* Fluebant e terra aquæ, sed per loculamentum, seu mortariolum dentis molaris.

Nomen loci illius. Totus locus dictus est *elevatio maxillæ*, num. 17; peculiaris, in quo eruperant aquæ ex dente illo molari, *fons invocantis de Maxilla* est appellatus.

Usque in præsentem diem. Quo scilicet hæc libri auctor scribebat.

CAPUT XVI.

Portas urbis Gazæ Samson suis humeris in montem defert : a Dalila proditur, excæcatur, illuditur : sed injuriam hanc moriturus ulciscitur morte 3000 *Philisthæorum.*

1. IN *Gazam.* Urbs est ad mare Mediterraneum ampla, munita, portuosa et celebris. Venit Gazam, vel negotii alicujus gratiâ, vel ut panegyrim aliquam spectaret, ut conjectat Serarius. Josephus venisse ait ex Philisthæorum contemptu, viribus suis confidentem. Abulensis, ex juvenili petulantia, et amore formosarum mulierum philisthæarum.

Ingressusque est ad eam. S. August. serm. 107 de Tempore, negat cum meretrice illa concubuisse; sed phrasis Scripturæ passim occurrens concubitum significat, ut Genes. 16. 2: *Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios*, et 2. Reg. 3. 8, et alibi. Ergo a culpa Samson excusari non potest.

3. *Ad verticem montis qui respicit Hebron.* Montem hunc a Gaza distare septem milliaribus germanicis affirmat Serar. q. 3.

4. *In valle Sorec.* Quæ dicitur etiam *vallis botri;* sunt enim ibi vites multæ, ac generosæ. Itaque Isaiæ 5. 2, dicitur : *plantavit eam* (vineam scilicet) *Sorec*, ut est in hebræo, quod vulgatus vertit, *electam*.

Dalila. Gente philisthæa, uxor Samsonis, ut aliqui graves auctores sentiunt; sed, juxta alios, conditione meretrix, quæ opinio verior videtur, et graves patronos et assertores habet: דלל *Dalal*, Hebræis attenuari, arescere, pauperem esse significat. Hinc nomen Dalilæ meretrici huic apposité convenit, quæ debilitavit ac infirmavit Samsonis robur, cor et opera.

5. *Principes Philisthinorum.* Philisthæorum gens ac ditio in quinque satrapias, seu principatus distributa erat, quibus singulis a præcipua urbe sua nomen Gaza, Geth, Accaron, Azotus, Ascalon. Hi ergo quinque principes ad Dalilam venerunt.

Singuli mille et centum argenteos. Existimat Arias mille singularum provinciarum nomine oblatos argenteos siclos; a principibus verò adjectos suo ipsorum nomine centum alios, auctarii et honorarii causâ.

7. *Nerviceis funibus*. Qui ex nervis bubulis, vaccinis, etc., in funes contortis et plexis fiunt.

9. *Filum de stupæ tortum putamine*. *Putamen*, ut ait Nonius, *est omne quod non a nucibus modò, sed ab aliis etiam excutitur, ac projicitur*. Significatur ergo filum vilissimum, minimequè compactum ac firmum.

Cùm odorem ignis acceperit. Vide dicta supra, cap. 15. num. 14.

10. *Ligari debeas*. Ligari possis.

12. *Quasi fila telarum*. Quasi filum tenue, quo tela contexitur: LXX habent, σπαρτίον, quasi dicant *filulum*.

13. *Septem crines capitis mei*. Paulatim ad caput venit Samson *lapsuro propior*, ait S. Ambros. epist. 70. Crines septem hìc vocantur septem omnium totius capitis crinium discrimina, seu flocci, tricæ et cincinni. Italicè dicimus *le treccie*.

Cum licio. Liciatorio ligno, seu textorio jugo.

* 15. *Cùm animus tuus non sit mecum*. Cùm facto ostendas te me non amare ex animo.

16. *Defecit anima ejus*. In hebræo est, *imminuta*, vel *incisa est anima ejus ad moriendum*. * Quia nimirum nec tutum putaret rei veritatem ei aperire, nec ampliùs ejus preces importunas ferre posset. Itaque fatigatus supra modum in hac lucta tristis factus est.

17. *Tunc aperiens veritatem rei*. In hebræo et græco est, *omne cor suum*. * A Deo ita permissum in libidinis ejus ultionem.

Si rasum fuerit caput meum. Erat enim in Samsonis capillo robur, tanquam in signo gratiæ hujus gratìs datæ, seu in symbolo mutui cujusdam fœderis inter ipsum, et Deum, ut scilicet Samson nazaræus esset, et prolixa coma nazaræatum profiteretur: Deus verò ei adesset, et vires daret ingentes, quæ tamdiu permanerent, quamdiu coma illa permansisset intonsa.

19. *Dormire eum fecit super genua sua*. Propinata fortassis soporifera aliqua potione, quæ rationis sensum auferret, quod etiam in aliis experimentis a Dalila captis factum fuisse probabile est.

Septem crines ejus. Septem illos crinium cincinnos, de quibus dictum num. 13, totum scilicet caput, abrasis capillis omnibus.

* *Abigere eum, et a se repellere*. Ut eum a somno

excitaret, illud fortasse pronuntiando : *Philisthiim super te, Samson.*

20. *Nesciens quòd recessisset ab eo Dominus.* Quoad gratiæ gratis datæ effectum, robur scilicet ac fortitudinem.

21. *Molere fecerunt.* Molam versare trusatilem ac manuariam. * Oculorum tamen lumen priùs ademerunt, ne vertigo labori obstaret; qua de causa, et servis lac versantibus, et vas, in quo lac erat, circumcursantibus, ademptos oculos narrat Herodotus in Melpomene.

22. *Jamque capilli ejus renasci cœperant.* In hebræo est, *et cœpit capillus capitis ejus germinare sicut cùm tondebatur*, vel *sicut cùm tonsus est.* Per aliquot ergo menses, tres ad minimum aut quatuor, fuit in carcere; neque enim citiùs ita renasci potuerunt capilli, ut diffusioris et prolixioris nazaræorum comæ speciem præ se ferrent. Porro interim dum carcere clauderetur Samson, oculis orbatus, pœnitentiâ culpas suas eluit, ut passim tradunt interpretes.

23. *Dagon deo suo.* Putant aliqui dictum esse deum hunc a דָּגָן *dagan*, quod frumentum significat : quare illum Eusebius lib. 1 Evang. præparationis appellat, Δία ἀρότριον, *Jovem aratrium*, sive *aratorium.* Alii deducunt a דָּג *dag*, quæ vox piscem significat, quòd piscis forma effingeretur, * quæ vera est hujus vocis originatio.

24. *Tradidit deus noster.* Ex quo patet sacrificium et epulum eucharisticum fuisse pro Samsone capto.

25. *Ante eos luderet.* Arias putat saltasse eum ridiculè et turpiter. Lyranus ait eum, cæcorum more, illuc impegisse in parietes et columnas, interdumque cecidisse, sicque risum excitasse. Serarius putat Philisthæos Samsonem ludum suum fecisse eum variis modis vexando et percutiendo, quod indicant LXX qui licèt dicant, ut in vulgata nostra, *ludebat ante eos*, addunt tamen καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτὸν, *colaphis cædebant, alapas ei dabant.*

26. *Columnas quibus omnis imminet domus.* Ipsum scilicet Dagonis templum. Solebant enim idololatræ illi in ipsis templis epulas instruere. Sic in fano dei Berith inter epulas et pocula maledicebant Abimelech Sichimitæ, supra, cap. 9. 27.

27. *De tecto, et solario circiter tria millia.* Amplum admodum oportet fuisse templum hoc, e cujus tecto tria spectatorum millia ludum Samsonis spectare potuerunt; quantò plures caperet reliqua tecti planities, ex qua in inferiorem aream prospectus non erat! Quot in

inferioribus contignationibus, quot in subjecta area erant Philisthæi! Porro tecta in Palæstina plana erant, ut in illis commodè consistere et ambulare liceret. Vide dicta lib. Josue 2. num. 4.

30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim*. Non peccavit Samson se communi illi ruinæ exponendo, sibique modo illo mortem consciscendo, peculiari enim Dei afflatu, ut ita faceret, excitatus est. Nec Samson directè, primario, ac per se suam ipsius mortem spectavit, sed hostium suorum et populi israelitici: itaque mortem suam indirectè tantùm voluit, qua ratione eum excusant Cajetan. Abulensis quæst. 54, Serar. quæst 31, et alii.

31. *Fratres ejus*. * Et fratres propriè dicti, et ejus cognati et propinqui.

CAPUT XVII.

Mater Michæ conflat filio idolum, cui ille primò filium suum, deinde levitem bethleemiticum præficit sacerdotem.

1. *Eo tempore*. Vide infra, hoc cap. num. 6.

De monte Ephraim. Mons dicitur pro montosa regione, seu pro parte illa tribûs Ephraim, quæ montibus pluribus constabat. Adrichomius in Ephraim, num. 39, montana hæc novem millia passuum circiter tenuisse affirmat.

2. *Qui dixit matri suæ*. Nullus hìc mulieris hujus maritus proditur: itaque vidua fuisse videtur, et etiam anus, quippe quæ ex filio nepotes habuit, quorum unus sacerdos domesticus constitui potuit.

Mille et centum argenteos. Siclos scilicet, qui ferè quingentos efficiunt coronatos, ut notat Salianus.

Quos separaveras tibi. Seposueras, vel in usum incertum, si quis casus incideret; vel certum et definitum, idolorum scilicet fabricam.

Me audiente juraveras. Illos numini addicens, addita jurisjurandi religione.

Ecce ego habeo. Apud me depositi sunt. Tu, quid ex illis fieri velis statue.

Benedictus filius meus Domino. Propterea filio benedicit, quòd pecuniam repræsentet fideliter: quod verò dicitur in vulgata, *Domino*, in hebræo est, *Jehovah*, quæ vox licèt sit veri Dei nomen, eâ tamen superstitiosa mulier abutebatur ad falsos deos honorandos, quibus erat addicta.

3. *Faciat sculptile, atque conflatile.* Duplex idolum, alterum sculptum ex marmore, ex argento alterum arte fusoria.

Et nunc trado illud tibi. Volunt aliqui esse verba filii restituentis matri nummos, quia sequitur : *Reddidit igitur eos matri suæ.* Alii malunt esse verba matris, ut sensus sit : trado tibi, retine, si eos haberem, jam tibi redderem; vel eos tamen tibi reddam, et sic LXX qui habent, ἀποδώσω, *restituam.*

4. *Quæ tulit ducentos argenteos.* Reliqua pecuniæ summa in ædicula construenda, ephod, reliquoque idoli sacro instrumento videtur insumpta.

5. *Ephod.* Vide dicta supra, cap. 8. num. 27.

Theraphim. Idola. LXX vocem hebraicam modò vertunt, εἴδωλα, idola; modò, γλυπτὰ, *sculptilia.* *Rabbini passim explicant theraphim esse imagines futura prænuntiantes.

Implevitque unius filiorum suorum manum. Implere manum est sacerdotio initiare : implentur autem vel oleo, quo consecrantur, vel victima, aut re oblata, quam dum manu apprehendebant, Deoque offerebant, sacerdotes fiebant.

Factus est ei sacerdos. Ut superstitiosus erat iste cultus, et idololatricus : sic sacerdos malè, et non legitimè promotus.

6. *In diebus illis non erat rex in Israel.* Hæc accidisse putat Serarius q. 14 in hoc caput, post Samsonis mortem, antequam Heli ad reip. gubernationem esset admotus. Salianus verò hæc refert in tempus quod Josue mortem consecutum est, quæ opinio est etiam Lyrani, Abulensis, Masii et Riberæ, quos citat Serarius loco indicato.

Unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quod propterea dicitur, ut intelligatur mirum non fuisse, si anarchiæ tempore inventi sint qui talia impunè auderent.

7. *Alter adolescens.* Dicitur *alter*, propter adolescentem Michæ filium sacerdotem, cujus paulò ante facta est mentio num. scilicet 5. Is verò, de quo hìc agitur, non hoc tantùm loco, sed etiam cap. sequenti, num. 3 et 15, adolescens dicitur, et a LXX hoc quidem loco νεανίας, sequenti verò νεανίσκος, quæ voces juvenem significant. Videtur fuisse cælebs, quia cùm de stipendio ipsius agitur num. 10, ejus tantùm sustentationis ac vestitûs mentio fit, non autem uxoris, aut filiorum. Postea verò apud Danitas uxorem duxit, filiosque procreavit, c. 13. num. 30.

De Bethlehem Juda, ex cognatione ejus. In hebræo est, *de Bethlehem Juda, de cognatione*, seu *familia Juda*, de ea nimirum Bethlehem, quæ est in cognatione, familia, seu tribu Juda. Alia enim Bethlehem est in tribu Zabulon, Josue 19. 15.

Eratque ipse levites. Imò Mosis ipsius nepos, quippe filius Gersan filii Mosis, ut patet ex cap. 18 sequenti num. 30, nomenque illi erat Jonathan.

8. *Peregrinari voluit.* Pauper erat, quia cùm levitis nulli essent agri, et populi pietas ac religio in Deum refrixisset, pauci etiam erant reditus quibus sustenarentur levitæ, qui alioqui, vigente pietate, non sufficientes tantùm erant, sed abundantes. Ingenio levi et inconstanti, et quod deterius est, a suorum pietate ac religione degenerante levites hic fuit.

10. *Esto mihi parens ac sacerdos.* Levita isto senior erat Michas; eum tamen parentem vocat honoris causâ: sic religiosi sacerdotes *patres* appellantur.

Decem argenteos. Siclos nimirum. Non semel dixi siclum unum argenteum quatuor argenteis regalibus hispanicis æquivalere.

Vestem duplicem. Quarum altera hiemali tempori, altera æstivo conveniens sit, vel quarum altera domi utaris, altera cùm domo est prodeundum, præsertim diebus festivis, ac proinde elegantior, et pretiosior.

13. *Nunc scio, dicens, quòd benefaciet mihi Deus.* Contrarium potiùs timendum, peccata sua, si saperet, reputanti; nam erat idololatra: sacerdotem filium nullo jure, imò contra leges constituerat: levitam invitaverat ut sibi esset sacerdos, quod fas non erat, cùm non esset de filiis Aaron, sed Mosis: tandem levitam hunc ad idola colenda, dato pretio, traduxerat, quæ omnia gravissima erant crimina, et quæ divinam vindictam provocarent.

CAPUT XVIII.

Sexcenti milites e tribu Dan Michæ idola auferunt et Lais occupant.

1. NON *erat rex in Israel.* Vide dicta cap. superiori num. 6.

Sortem non acceperat. Hoc est, non satis amplam, tantæque multitudini capiendæ parem * obtinuerunt, nondum planè ejectis Chananæis, qui terras sortis illo-

rum occupabant. Vel certè non existimabant Danitæ eam satis amplam et idoneam esse.

2. *De Saraa et Esthaol.* Vide dicta cap. 13. num. 2.

* *Ut explorarent terram.* Num qua sedes, veteribus colonis expulsis, commoda sese offerret.

3. *Agnoscentes vocem adolescentis.* Peregrinitatem quamdam in pronuntiatione adolescentis agnoscentes; fit enim passim ut intra eamdem provinciam, quæ eadem lingua utitur, diversa tamen sit vicinarum etiam civitatum pronuntiatio.

6. *Ite in pace: Dominus respicit viam vestram.* Vel idolum locutum est, aut alia ratione dæmonis arte respondit; vel levita quod illis gratum sciebat, ut illis gratificaretur; locutus est.

7. *Venerunt Lais.* Urbs est septentrionem versùs in extrema promissæ terræ parte, ad Libani montem, quæ etiam appellata est *Lesem*, Josue 18. 47, et *Dan* postquam a Danitis occupata fuit, hìc num. 29, et Josue loco citato.

Juxta consuetudinem Sidoniorum. Vel quia hi Sidoniorum moribus ac institutis utebantur; vel quia illis erant alta pace ac securitate similes.

Nullo ei penitus resistente. Hebraicè est, *et non erat pudefaciens verbo in terra*, id est, non erat qui ulla de re pudorem, ruboremve ullum injiceret, solo etiam verbo; adeo erat nemo qui ei obsisteret. Sunt tamen qui ad magistratus ignaviam, morumque licentiam id referant, quasi diceretur, nullus erat magistratus qui peccantes castigare, aut objurgando pudefacere, sicque pravis moribus resistere auderet, aut vellet.

14. *Fratribus suis.* Reliquis Danitis commilitonibus et contribulibus suis.

* *Videte quid vobis placeat.* Considerate quid vobis faciendum sit; an expediat tentare hæc omnia, etiam vi tollere et nobiscum auferre; an verò expediat nihil tentari.

* 15. *Cùm paululùm declinassent.* Scilicet a via, jam capto consilio ut in domum venirent.

* *Domum adolescentis levitæ.* Partem domûs in qua habitabat levita.

17. *Stabat ante ostium.* Sed mox in domum reversus reperit quinque viros idola et apparatum sacrum convasantes.

19. *Quid tibi melius est.* Argumentis ab lucro et dignitate majori petitis persuadent.

24.

24. *Omnia quæ habeo*. Hebr. *et quid mihi adhuc, vel ultra*. Videtur cætera præ idolis suis contemnere.

28. *Procul.... a Sidone*. Cui fortasse Lais subdita erat.

In regione Rohob. Quæ erat pars Syriæ Traconitidis, ut patet ex lib. 2. Reg. cap. 10. num. 6 et 8.

29. *Juxta vocabulum patris sui*. Erant enim Danitæ omnes et filii Dan.

30. *Usque ad diem captivitatis suæ*. Hoc aliqui explicant de captivitate Israelitarum sub Salmanasar, cujus mentio 4. Reg. 17. Ita Lyranus. Alii de captivitate arcæ, cùm capta est a Philisthæis, magna edita Israelitarum strage, 1. Reg. 4. Alii putant sermonem esse de peculiari quadam captivitate urbis Dan, quæ alibi scripta non sit. Serarius quæst. 7 secundæ explicationi subscribit, quam etiam plures alii secuti sunt; * Bonfrerius verò primæ.

31. *Omni tempore quo fuit domus Dei in Silo*. Quousque scilicet capta est a Philisthæis, ut dicebamus num. præcedenti.

CAPUT XIX.

Violatur uxor levitæ a Gabaitis, et moritur : maritus cadavere in duodecim partes dissecto omnes tribus excitat ad sceleris ultionem.

1. MONTIS *Ephraim*. Vide dicta c. 17. num. 1.

2. *Quæ reliquit eum*. Abulensis quæst. 5 putat significari eam matrimonii fidem fallendo maritum reliquisse. Lyranus, aut ejectam a marito flagitii compertam, aut ipsam cum adultero, marito interim totius rei ignaro, profugisse. Arias non censet mœchatam, sed discessisse ut suo viveret arbitratu. Josephus ait eam a viro ob pulchritudinem eximiam adamatam adeo ut in eam semper esset intentus, vicissim verò illam parum virum suum dilexisse; inde ortas utrinque suspiciones et offensiones, quæ discessui causam dederunt. Serarius putat illam alteri nubere voluisse marito offensam; adulterium commisisse non facilè concedendum existimat.

3. *Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei*. In hebræo est, *ivit post eam, ut loqueretur ad cor illius*, quæ dicendi formula blandè alloqui significat, aut blandiri, ut noster vertit interpres. Si mulieris adul-

terium intercessisset, eaque alteri viro nupsisset, juxta Deut. legem, cap. 24. 3 et 4, non fuisset fas levitæ iterum illam revocare, sive vivus esset posterior maritus, sive mortuus.

Suscepit eum. Bene ac sapienter fecit levitæ uxor, quæ offensionum oblita marito suo reconciliata est. Aliæ arrogantes et iracundæ quò se quæri magis, et ad reconciliationem invitari vident, eò difficiliores et asperiores sunt.

5. *De nocte consurgens.* Primo scilicet diluculo, quod *manicare* Scriptura dicit aliquando. Lucæ 21. 38.

7. *Obnixè eum socer tenuit.* Hebr. et græcè est, *coegit eum*, ἐβιάσατο ἀυτόν. Pulchrum humanitatis, amicæque hospitalitatis exemplum, quale discipulorum euntium in Emaus, qui *coegerunt eum*, ut dicitur Lucæ 24. 29, Christum scilicet.

8. *Donec increscat dies.* Hebr. *inclinet dies*, se scilicet æstus frangat, et ad iter paulò sit aura commodior.

* 10. *Contra Jebus.* Scilicet Jerusalem, quæ sic appellata est a Jebusæis habitatoribus, et priùs Salem dicebatur Melchisedech ibi regnante.

12. *Usque Gabaa.* Gabaa est urbs in tribu Benjamin, ut dicitur num. 14 sequenti. Sunt tamen qui duplicem in Benjamin Gabaam constituant, unam montanam, campestrem aliam; nam sequenti cap. 20. num. 31, in hebræo dicitur *Gabaa in agro*, ut scilicet distinguatur a montana quæ illi propinqua est, et ad quam divertisse levitam sentit Serarius q. 6.

* 13. *Aut certè in urbe Rama.* Urbs est priori vicina in eadem tribu Benjamin.

* 16. *Peregrinus.* Quia scilicet non habitabat inter contribules suos Ephraimitas, sed inter Benjamites.

Erant filii Jemini. Filii Benjamin; qui enim dictus fuit *Benjamin*, Genes. 35. 18, idem quandoque vocatur *Jemini*, ut supra, cap. 3. 15, et 1. Reg. 9. 1, et alibi sæpe.

18. *Ad domum Dei.* Silo enim, ubi tabernaculum et arca, in tribu Ephraim erat, quò pergebant. LXX habent, *domum meam*, chald. *domum sanctuarii Dei.*

21. *Postquam laverunt pedes suos.* Sunt mores hospitalitatis, quales in Abraham et Loth quondam fuerunt, Genes. 18. 4, et 19. 2.

22. *Filii Belial.* Id est, ut interpretatur noster, *absque jugo.* LXX vocant ὑιὲς παρανόμων, *filii transgressorum legum*, hoc est, trangressores, et legis jugum excutientes. Alibi vocantur iidem *filii diaboli*, aut *diabolici*, 3. Reg. 21. 13, *apostatæ*, Prov. 6. 12.

23. *Cessate ab hac stultitia.* Ab hoc scelere, ab hoc flagitio: quemadmodum in sacris litteris stultum frequenter peccatorem significat; ita stultitia ipsum peccatum.

24. *Habeo filiam virginem.* Non peccasse senem et levitam, dum uxorem et filiam illorum obtulêre cupiditati, communis est opinio; in modo tamen et causa istius rei explicanda discordiæ aliquid est. Expeditissima videtur ratio eos a culpa eximendi, si dicamus excusari ignorantiâ, quæ in sene illo viro agricola, ut apparet ex num. 16 hujus capitis, est valde probabilis, ut etiam fortasse in juvene isto levita. Alioqui enim nullo jure poterat filiam et hospitam, de quibus Gabaitæ non cogitabant, illorum libidini exponere, etiamsi id eo faceret consilio ut majus peccatum vitaretur. Adde fieri potuisse ut utrique notum esset simile Lothi factum, ex quo erroris occasionem acceperint. Vide Lessium de Just. et Jure lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 19, et Sanchez de Matrimonio lib. 7. disp. 11. a num. 14 et deinceps, et potissimùm num. 24 et 28.

Ut humilietis eas. Humiliare aliquam, phrasi hebraica, est rem cum illa habere: exemplum habes Deut. 21. 14 et alibi.

26. *Recedentibus tenebris.* In hebræo est, *ad respicere mane*, id est, cùm appareret matutinum tempus.

Ubì manebat dominus suus. Mos vetus ut scilicet uxores maritos dominos appellent, quem non obscurè laudat S. Petrus 1. ep. cap. 3. num. 6: *Sicut Sara*, inquit, *obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.*

Et ibi corruit. Duplicem mortis causam affert Josephus: unam, summum eorum, quæ passa esset, dolorem; alteram, summum pudorem, atque verecundiam, ob quam in viri sui conspectum venire non auderet. In sacro textu ea causa maximè innuitur, quòd labore et vexatione nocturna fatigata, deficientibus jam viribus, collapsa sit et exstincta.

29. *In duodecim partes.* Ut scilicet unicuique tribui pars mitteretur, spectaculumque illud acriùs animos ad vindictam incitaret. Arias putat frusta illa sublimi aliquo loco statuta, ut ab omnibus conspici possent, ad eum modum quo corpora eorum, qui sententiam sunt passi, ad terrorem loco edito suspenduntur, aut illorum partes. Aliqui putant ad tribum Benjamin corporis illius sectionem missam non fuisse, quòd scilicet ea tribus nocens esset. Sed nihil vetat quominus mitti potuerit, quia viri tantùm Gabaa scelus admiserant, non tribus universa.

CAPUT XX.

Undecim tribus scelus violatæ uxoris levitæ ulcisci volentes duplicem cladem accipiunt, sed tertio prœlio victores tribum Benjamin propemodum exscindunt.

1. *QUASI vir unus. Eadem* scilicet *mente*, *unoque consilio*, ut dicitur num. 11.

De Dan usque Bersabee. Quæ duæ civitates sunt extremi terræ sanctæ termini a septentrione, et a meridie per ejus longitudinem.

Terra Galaad. Tribus scilicet, quæ ultra Jordanem erant.

Ad Dominum in Maspha. Masphæ plures, ut dixi supra, cap. 10. num. 17. Putat Masius in cap. 18 Josue, per Maspham intelligi posse Silo, quæ erat sita in edito loco, cùm Maspha speculam significet. Alii putant Maspham, cujus hìc sermo eam esse, quæ in tribu erat Benjamin, quæ non longe aberat a Silo, et ex qua fortasse ipsum tabernaculum, quod erat in Silo, conspici poterat; itaque illic congregati Israelitæ coram Domino esse censebantur. * Vel certè censebantur esse coram Domino, quia olim *locus orationis erat in Maspha*, ut dicitur 1. Mach. 3. 46. Porro in Maspha frequenter comitia habita legimus 1. Reg. 7. 5 et 10. 17, Jer. 40. 8. 41. 3, 1. Mach. 3. 46.

2. *Anguli populorum.* Principes populi, quia nimirum principes angulorum, id est, tribuum, aut angularium lapidum instar, populum continere ac sustentare solent.

In ecclesiam. Congregationem, convocationem, comitia.

3. *Interrogatusque levita.* Id enim ad certiorem rei cognitionem, justioremque sententiam valebat plurimùm.

10. *Decem viri eligantur.* E qualibet Israelitarum congregatorum decade unus eligitur, id est, quadraginta millia e quadringentis millibus.

12. *Miserunt nuntios.* Nam in privatis publicisque negotiis antequam tribunalia summa adeantur, aut arma expediantur, omnis tentanda satisfactionis pacisque moderata et placida ratio.

16. *Fortissimi.* Robustissimi corpore.

Ita sinistrâ ut dexterâ prœliantes. Ambidextri, lævâ

in præliis non secus quàm dextrâ præliantes. Vide supra, cap. 3. num. 15.

Ut capillum quoque possent percutere. Hyperbolica locutio, si præsertim de omnibus Gabaensibus accipiatur.

* 17. *Quadringenta millia.* At in censu habito in deserto, Num. 1. 46, sexcenta pugnatorum millia reperta sunt. Responderi potest, aut contractum postea fuisse militandi tempus, aut certè in bellis post mortem Josue cum vicinis nationibus gestis, plurimos desideratos fuisse, propterea quòd ulciscente Deo Israelitarum peccata, ac præsertim idololatriam, sæpe infeliciter pugnatum esset.

18. *Consulueruntque Deum.* Per pontificem Phinees, qui tunc aderat in Silo, ut habetur infra, num. 28.

Judas sit dux vester. Non vir aliquis, qui Judas diceretur, sed tribus ipsa Juda, ut sensus sit: ipsa tribus Juda bellum inchoet contra Benjamitas. Vide in simili quæ diximus supra, cap. 1. num. 2.

21. *Occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.* Mirum videtur in tali causa Israelitas tanta clade affectos. Sed 1. etiam viri innocentes magnis malis divinæ providentiæ consilio atteruntur. 2. Fit nonnunquam ut nobis videamur justi ac innocentes, cùm tamen non simus. 3. Aliquando etiam aliquid rectè suscipitur, quod postea non bene et ad Dei legis normam administratur. 4. Sæpe in hostibus boni est aliquid, quod temporanea aliqua felicitate Deus velit munerari. 5. Israelitarum aliqui idololatriæ crimine erant infecti. 6. Sibi viribusque suis nimiùm confidebant, quod expressè dicitur in sacro textu num. 22; aliaque ejusmodi peccabant: quare priùs illos Dominus per geminam illam cladem expiare voluit, ut ad Dominum reversi, ultionem Domini contra Benjamitas exercerent.

23. *Ascendite ad eos, et inite certamen.* Nulla hìc victoriæ promissio, ut infra, num. 28, cùm illis dictum est: *Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras.*

26. *Sedentes flebant coram Domino.* Sessio habitus est flentium. Sic in sacris litteris opponuntur sessio et resurrectio, ps. 138. 2, et Thren. 3. 63; et de lugente Jerusalem ait Jerem. Thren. 1. 1: *Quomodo sedet sola civitas plena populo, etc.*: significatur etiam illa voce *sedentes*, diu admodum illos coram Domino permansisse.

Holocausta atque pacificas victimas. Ut Domini

pacem exposcerent, et sese illi totos darent et submitterent.

28. *Præpositus domûs*. Summus sacerdos, pontifex.

* 31. *Et altera in Gabaa*. Licèt Israelitæ fugientes, et Benjamitæ eos persequentes a Gabaa recederent, non tamen malè dicitur semita ducere in Gabaa.

* 33. *Omnes itaque filii Israel*. Major exercitûs pars; nam copiæ trifariàm erant divisæ: pars una in insidiis latuit; pars altera decem millibus constans ad urbem propiùs accessit, ut Benjamitas provocaret ad pugnam, et foràs proliceret; pars tertia in Baalthamar aciem instruxit.

Baalthamar. Chald. *in planitiebus Jericho*.

34. *Ab occidentali urbis parte*. LXX habent, *a Maraagabe*, quæ sunt duæ voces hebraicæ coagmentatæ, quæ significant, *ab arundineto Gabaa*, vel *ab occidente Gabaa*, quod vulgatus noster secutus est.

Habitatores urbis. Quicumque Benjamitæ erant in urbe.

36. *Filii autem Benjamin*. Ea Benjamitarum pars quæ in majorem Israelitarum partem inciderat. Italicè diceremus, *il grosso dell' essercito*.

38. *Signum autem dederant*. Constituerant.

Ignem accenderent. Urbis excitato incendio.

39. *In ipso certamine positi*. Ii qui, simulatâ fugâ, Benjamitas longiùs abstraxerant.

43. *Nec erat ulla requies morientium*. LXX habent, *a Nua juxta pedem ejus, etc*. Sed vox hebraica מנוחה et certum locum significare potest, ut putaverunt LXX, et requiem, ut illam vulgatus interpretatus est.

47. *Sexcenti viri*. Hi relicti, ne una tribus ex Israel aboleretur; ut dicitur infra, cap. 21. num. 3 et 6. Deinde ut daretur aliquid misericordiæ, quando justitiæ per cladem illam multùm tributum videbatur. Tertiam rationem addit S. Hieron. in epitaphio Paulæ his verbis: *In Gabaa urbe usque ad solum diruta, paululùm substitit Paula, recordata peccati ejus, et concubinæ in frusta divisæ: et tribûs Benjamin sexcentos viros, propter Paulum apostolum reservatos*.

In petra Remmon. *Remmon*, seu *Rimmon* malum punicum, seu granatum significat: quare illam Josephus vocat, πέτραν ῥοιᾶς; uam ῥοιὰ, sive ῥοὰ, Græcis malum granatum significat. * Urbs erat in prærupta petra distans Jerosolymis 15 milliaribus, non longè a Gabaa Saulis patria, inter septentrionem et orientem. Erat et altera Remmon in tribu Simeonis, Jos. 19. 7,

quæ limes erat tribûs Judæ ad austrum, sicut altera limes erat ad aquilonem.

Mensibus quatuor. Quo loco asperrimè eos vixisse necesse est, cùm ibi obsiderentur, nec secum, ut in fuga, ad victum necessaria ferre potuissent.

CAPUT XXI.

Benjamitæ sexcentarum virginum raptu a reliquis Israelitis illis permisso tribum suam ab interitu vindicant.

1. JURAVERUNT. Juraverant ante inchoatum bellum. Nihil peccatum ab Israelitis cùm ita jurarunt; potuit enim sententiâ totius populi, penes quem summa erat potestas, hac ratione puniri scelus Benjamitarum.

2. *In conspectu ejus sedentes.* Vide dicta superiori cap. num. 26.

4. *Exstruxerunt altare.* Unicum apud Israelitas oportebat esse altare, in quo sacrificia fierent, hocque erat in atrio tabernaculi in Silo. Verùm propter hostiarum a populo oblatarum multitudinem, aliud in necessitatis supplementum excitari poterat, ut tot sacrificiis locus esset. Idem enim Salomonis tempore factum est, 3. Reg. 8. 64. Ita aliqui. Alii censent ordinariè unum tantùm esse potuisse altare, extraordinariè verò nihil obstitisse quominus alterum excitaretur, si idololatriæ periculum abesset, ut cùm viri prophetiâ et sanctitate spectatissimi sacrificarent, ut Samuel, qui in Ramatha et Massphat sacrificia obtulit, 1. Reg. 7. 9; in Galgala, 1. Reg 11. 5; in Bethlehem, 1. Reg. 16. 5; ut David in area Ornan Jebusæi, 2. Reg. 24. 25, 1. Paral. 21. 26; ut Elias in Carmelo monte, 3. Reg. 18. 32. Alii existimant unum tantùm locum altari destinari, sed intra illum locum plura altaria erigi potuisse. Tandem non desunt qui existiment unum altare eo tantùm tempore præceptum fuisse, quando populus per desertum peregrinabatur; postea verò, cùm Israelitæ quietam sedem adepti erant, plura excitari potuisse. Vide Serarium hic q. 1.

6. *Ductique pœnitentiâ.* Non damnabant factum contra Benjamitas, cujus Deum auctorem habuerant; sed dolebant tribum unam deleri ex universo populo.

Super fratre suo Benjamin. Omnes tribus, et singuli Hebræi quasi fratres erant, quia communem patrem habebant Jacob, a quo Israelitæ dicti sunt.

7. *Omnes enim in commune juravimus.* Pro *in commune* hebræus habet, *in Domino*, seu *per Deum*, ut etiam LXX. Juramento addita fuit imprecatio, seu, ut noster ait interpres, maledictio, num. 18: *Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin.*

8. *Habitatores Jabesgalaad.* Urbs est ultra Jordanem percelebris in tribu Manasse, cujus frequens postea mentio in Scripturis.

11. *Interficite.* Hebraica et græca significant, *anathemati subjicite*; quod anathema, quale esse deberet, explicatur, ut scilicet interficerentur viri omnes et infantes, non autem virgines, pecora et jumenta, nec urbs incenderetur, aut everteretur.

12. *Quadringentæ virgines.* Sermo est de virginibus adultis, non de puellulis, aut infantibus.

13. *Præceperunt eis, ut eos susciperent in pace.* Jussit populus Israel ut Benjamitæ legatos illos in pace susciperent, quia jam admittebant ad pacem reliquias illas Benjamitarum. In hebræo est, *vocaverunt eis pacem*, seu *denuntiaverunt*, aut *promulgaverunt iis pacem*, vel potiùs, *vocaverunt eos in pace*, ut etiam habent LXX.

* 14. *Datæ sunt eis uxores.* Nihil peccarunt contra juramentum quo se tantùm obstrinxerant, ne filias suas darent: jam verò dant filias eorum qui non interfuerant conventui, cùm juratum est.

18. *Filias enim nostras eis dare non possumus.* * Prohibiti religione juramenti.

21. *Ad ducendos choros ex more procedere.* Non ex puellari lascivia ducebantur hi chori, ut vult hæreticus quidam interpres, sed ex religione patriaque cæremonia. Chaldæus innuit fuisse calendas, quas græco vocabulo neomeniam vocant. Aliqui Pascha fuisse putaverunt. Communior sententia fuisse scenopegiam, quòd hujus festi tempore frondeant vites, et illarum umbraculis tegi insidiæ Benjamitarum facilè potuerint.

Rapite ex eis singuli uxores. * Non violant juramentum, quo se tantùm obligarant ne sponte traderent.

* 22. *Jure bellantium.* Quo licet captivas tractare asperiùs.

* *Peccatum est.* Non quòd re verâ peccassent, cùm religione juramenti tenerentur; sed quòd res ipsa secundum se spectata, secluso juramento, speciem quamdam haberet inhumanitatis et immisericordiæ.

23. *Feceruntque filii Benjamin ut sibi fuerat imperatum.* Nihil peccarunt Benjamitæ in hoc raptu: 1. quia bono israeliticorum optimatum paruerunt consilio; 2. quia nullo ipsi, quod obstaret, jurejurando tenebantur; 3. quia isto modo præstabat Israelitidas sibi matrimonio adjungere, quàm aut vagam exercere libidinem, aut ethnicas ducere.

24. *In diebus illis non erat rex in Israel.* Quando ista contigerint variæ sunt opiniones. Verior ea esse videtur quam sequitur Abulensis, Genebrardus, Lyranus, Serarius, et alii, eo tempore accidisse, quod post Josue mortem, ante primum judicem fuit. Vide Serar. quæst. 6.

LIBER RUTH.

Hic Liber Ruth dicitur, quia licèt in eo Booz, Noemi et Ruth facta contineantur, quæ tamen de Ruth referuntur plura sunt, mirabiliora et mysteriorum majorum plena. Aliqui hujus libri auctorem faciunt Ezechiam regem, alii Esdram alii Samuelem, * quòd vellet posteris constare de Davidis a se in regem uncti prosapia, simulque Christi ex Davide orituri : quæ opinio verior videtur et pluribus nititur conjecturis, et graviores habet assertores, et etiam plures. Vide Serar. Proleg. in Ruth. num. sive cap. 4.

CAPUT PRIMUM.

Elimelech Bethlehemita urgente fame cum uxore Noemi et duobus filiis in terram Moab se recipit. Eo mortuo cum utroque filio, vidua Noemi cum Ruth nuru sua Bethlehem revertitur.

1. *In diebus unius judicis.* Quis fuerit judex hic, non exprimit sacer textus. Interpretes in varias abeunt sententias. Alii Eli pontificem, alii Abesanem, alii Gedeonem, alii Barac et Debboram, alii Aod, aut Abimelechum statuunt : certi nihil. Vide Serar. in cap. 4 Ruth. quæst. 18.

Facta est fames in terra. Chaldæus, *in terra Israel.* Tenuit autem fames hæc annos decem, ut ex n. 4. sequenti colligunt auctores, nec ex causis naturalibus orta, sed ad plectenda Israelitarum peccata, qui judicum tempore frequenter in idololatriam labebantur. Ita censent passim loci hujus interpretes.

In regione moabitide. Quæ est terræ sanctæ ad orientem, transito Jordane.

2. *Ipse vocabatur Elimelech.* Quæ vox *deus rex*, vel *dei rex*, vel *dei mei rex*, significat. Aiunt rabbini fuisse Elimelech fratrem Salmonis illius, qui cum Josue promissam terram ingressus est, ideoque et Nahassonis, de quo infra, cap. 4. num. 20, filium.

Uxor ejus Noemi. Quod nomen significat pulchram, suavem et amœnam. Rabbini docent fuisse eam Na-

bassonis in Judæ tribu principis neptem, filiamque fratris Salmonis, de quo infra, cap. 4.

Mahalon. Quæ vox significat ægrum, infirmum, aut qui chorúm agitat, et fistulam inflat.

Chelion. Aut consummatum et perfectum significat, aut eum qui totus columbinus est.

Ephrathæi de Bethlehem Juda. Non una tantùm erat Bethlehem, ut supra etiam dixi, lib. Judic. cap. 17. num. 7: ut ergo intelligatur sermonem esse de Bethlehem tribûs Judæ, additur vox *Ephrathæi*, et vox *Juda;* nam hæc Bethlehem etiam Ephrata dicebatur, ut patet ex Genes. 35. 19, et 48. 7; 1 Paral. 2 et 4; Michææ 5, et hoc libro Ruth. cap. 4. num. 11.

4. *Una vocabatur Orpha, altera verò Ruth.* Orpha Chelion uxor fuit, Ruth verò Mahalon, ut patet ex cap. 4. num. 10, cùm ait Booz: *Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumpserim.* Orpha potest exponi *cervicosa*, vel *ore nudata*, et *excitata:* Ruth, *madefacta*, vel *irrigata;* metaphoricè verò *inebriata*, vel *saturata.* Aliqui peccasse putant par hoc fratrum gentiles uxores ducendo patriis erroribus non abjuratis, ut colligitur ex num. 15 sequenti, et docet Serar. hìc q. 11. Idem tamen Serarius eos excusat necessitate, quòd Israelitidas ibi ducere non possent. Idem docet Rupertus lib. 1. in Matth.

5. *Ambo mortui sunt.* Nullis relictis liberis, quod licèt Scriptura non expresserit, tamen ex tota narratione colligitur. Vide Serar. q. 14.

7. *Egressa est itaque.... cum utraque nuru.* Ad aliquam itineris partem abeuntes amicos prosequi humanitatis semper fuit. Genes. 18. 16, cap. 31. 27; Actor. 20. 38; Rom. 15. 24. At istæ duæ nurus socrûs suæ prudentiâ et suavitate ductæ, Bethlehem usque comitari, et apud illam esse perpetuò volebant.

8. *Ite in domum matris vestræ.* Ita loquitur, vel quia patre carebant, vel quia filiæ cum matribus et frequentiùs et suaviùs versantur; vel quia feminæ in gynæceo seorsim a viris habitabant, filiæ cum matribus et sororibus, etc.

Misericordiam, sicut fecistis cum mortuis. Misericordiam facere, est bene facere. Fecerant misericordiam duæ istæ Moabitides cum viris suis: 1. illis peregrinis nubendo, et cum illis placidè et officiosè convivendo; 2. post mortem justa funeris curando, eorum memoriam retinendo et celebrando, et illorum etiam amore cum Noemi perpetuùm vivere statuendo.

9. *Invenire requiem in domibus virorum.* Ut scilicet immunes sint a molestiis, litibus, querelis, laboribus, lacrymis, quæ conjugia comitari solent, propter quam causam S. Paulus *tribulationem carnis* habere conjugatos affirmat, 1. Corint. 7. 28. Habent etiam requiem uxores, viris rem familiarem curantibus, et negotia tractantibus quæ ad tuendam familiam pertinent, quo præsidio destitutæ viduæ magnis curarum et molestiarum fluctibus agitantur.

11. *Num ultra habeo filios in utero meo.* Sumitur ratio hæc ex ea lege quæ ante Mosen fuit, Gen. 38. 11, et 14, et quæ per Mosen postea sancita est, Deut. 25. 5, ut scilicet fratres fratrum, qui absque liberis decessissent, uxores ducerent, fratribusque mortuis semen suscitarent.

* 13. *Si eos exspectare velitis.* Non quòd Deuteronomii lege, quæ habetur cap. 25. 3, obligandi essent, sed quòd hoc quoque meritæ viderentur.

Vestra angustia magìs me premit. Valde angor, quòd discessum hunc meum adeo ægre feratis, ac propterea a me divelli nolitis; dolor vester, quia impense vos amo, me valde cruciat.

Egressa est manus Domini contra me. Ad alias molestias, quibus me Dominus exercuit, hæc etiam addita est, ut a vobis discedere et vestra carere consuetudine cogar.

15. *Ad populum suum, et ad deos suos.* Ex quo patet idololatriæ deditam Orpham judaica sacra nunquam suscepisse.

16. *Deus tuus Deus meus.* Patriæ superstitioni valefaciam, tibique adhærebo.

17. *Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat.* Mala ipsa jurans expressit quæ sibi est imprecata, si fidem falleret, puta famem, pestem, mortem, quæ exprimere sacer scriptor necesse non habuit.

18. *Obstinato animo.* In bonam partem sumitur pro constanti voluntate.

Nec ad suos ultra reditum persuadere. Suaserat ut manerent urbanitatis causâ, ne sineret eas patriam, propinquos, amicos, et natos suâ causâ relinquere; et si fortè ipsæ significaverant se judaica sacra suscepturas, voluit earum experiri constantiam, verita ne postea cum suo mœrore et dedecore a recta religione deficerent: cognita ergo Ruth voluntate constanti, non ampliùs suadet ut redeat.

19. *Venerunt in Bethlehem.* Si ex Petra Moabitidis

urbe, quam multi et graves auctores Ruth patriam fuisse volunt, venerunt, iter fermè erat quatridui: plures posuisse credibile est imbecilles feminas, cùm præsertim Noemi jam esset anus.

Velox apud cunctos fama percrebuit. In hebr. est, *resonuit tota urbs.*

Hæc est illa Noemi. Dicebant hoc, vel cum gaudio et gratulatione; vel cum admiratione et contemptu, quod ad paupertatem esset redacta.

21. *Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus.* Vacuam se appellat, quia mortuus maritus, exstincti filii, ipsa ad paupertatem redacta.

22. *Quando primùm hordea metebantur.* Quæ messis in Palæstina fieri solet mense nisan qui respondet partim martio nostro, partim aprili.

CAPUT II.

Ruth spicas colligens in agro Booz affinis sui gratiam apud illum invenit. Vesperi læta revertitur ad socrum triticum afferens et reliquias ciborum.

1. *ELIMELECH consanguineus.* Quomodo Booz fuerit ejus consanguineus non expressit Scriptura. Rabbi Josue citatus a Serario, quæst. 1, ait Elimelech, Salmon, et Job fratres fuisse; Booz autem filium fuisse Salmon fratris Elimelech: hic ergo patruus; Booz verò ex fratre nepos. Quod rabbinus hic docet, ait Serarius falsi convinci non posse; nec aliud certius ab auctoribus affertur.

Nomine Booz. Quæ vox vel significat *in fortitudine*, vel *in eo fortitudo.*

2. *Colligam spicas.* Apud Hebræos enim concessum non erat spicilegium ipsis agrorum dominis, sed tantùm pauperibus tam indigenis quàm advenis. Præceptumque erat in lege veteri, ut dum segetes demeterent, earum domini spicarum aliquid relinquerent. Levitici 19. 9, et cap. 23. 22; Deuter. 24. 19. Ruth ergo ut pauper ad colligendas spicas egreditur.

4. *Ipse veniebat de Bethlehem.* Servabat Booz id quod Cato de Re rustica lib. 1. cap. 1. præcipit, cùm ait: *Ne opera parcas visere.*

Dominus vobiscum. Dominus vobis adsit. Fausta precatio; quid enim deesse possit iis, qui sub divino præsidio latent? Meritò ergo Ecclesia et in missæ sacro, et

in horariis precibus hanc salutationem frequenter usurpat. * Mos erat bene precari opus facientibus. Vide Psalm. 128. 8.

5. *Juveni qui messoribus præerat.* In hebræo est נער *nahar*, quæ vox puerum, aut ministrum significat: in græco est, παιδάριον, quia et ætate et viribus erat bonis et integris. Eum Josephus ἀγροκόμον vocat, vel, ut alii legunt, ἀγρονόμον, eadem tamen significatione, hoc est, agri curatorem.

8. *Sed jungere puellis meis.* Apparet Boozi prudentia, gravitas et castimonia, qui puellæ suadet, ut puellis adhæreat, quod honestius erat, et pudori tutius, quàm si cum viris versata esset.

9. *Bibe aquas.* Magna in orientalibus calidisque locis aquarum penuria est, ut Genes. 26. et 29, Exod. 2, Num. 20, Deuter. 2 aliisque locis patet; et messis erat tempus, quod torridum et siticulosum est; itaque aquæ haustus inter beneficia meritò annumeratur.

10. *Adorans super terram.* Frequens mentio in sacris litteris harum adorationum viris exhibitarum in reverentiæ argumentum, aut gratiarum actionem: exempla habes Genes. 23. 7 et 12, cap. 27. 29, cap. 33. 3 et 7, cap. 42. 6, cap. 43. 26, cap. 49. 8, cap. 50. 18, Exod. 18. 7.

11. *Veneris ad populum quem antea nesciebas.* Ejusdem etiam populi religione suscepta.

12. *Sub cujus confugisti alas.* Chald. *venisti ut proselyta fieres, et te ipsam abderes sub umbra majestatis gloriæ ipsius.*

13. *Locutus es ad cor ancillæ tuæ.* Loqui ad cor, hebraica phrasi est loqui verba consolatoria. Exempla passim occurrunt, 2. Paral. 30. 22 et 32. 6, Isa. 40. 2, Osee. 2. 14.

Quæ non sum similis. Quæ vilior sum.

14. *Comede panem.* Potum ipsi Ruth ante concesserat, nunc addit et cibum; gradatim enim ascendit virtus. Pro pane, phrasi hebraica intelligitur quilibet cibus.

Intinge buccellam tuam in aceto. Videtur sermo esse de acetariis quibus, qui æstu laborant, valdè recreantur. Alioqui etiam usus rusticorum est, ut in messem utantur oxycrato, hoc est, aceto aquâ diluto, quod genus potionis refrigerandi vim habet, ut universim acetum, de quo Plinius lib. 23. cap. 1: *Vini etiam vitium*, inquit, *transit in remedia; aceto summa vis est in refrigerando.*

Ad messorum latus. Non e regione, ne in ejus faciem oculos conjicere possent.

Et congessit polentam sibi. Polenta est far tostum et contusum, et in farinam redactum. Hæc materia erat parabilis eduliorum, addito aliquo genere condimenti, jure, caseo, etc. Quod dicitur Ruth *sibi congessisse*, significat affatim, et largiter illi ex cibis tributum, quos cùm ipsa omnes non absumeret, quasi eorum cumulum ante se habebat.

Et saturata est. Disce, inquit Seneca, epist. 110. *parvo esse contentus, et illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam. Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus.*

Tulit reliquias. LXX. habent κατέλιπεν, *reliquit*: vulgatus noster significat collegisse eam reliquias, et asservasse, quod ita fuisse patet ex num. 18, ubì dicitur eam dedisse socrui Noemi de ciborum suorum reliquiis.

17. *Quasi ephi mensuram.* Ephi continens tres modios continebat uncias 960, ut probat Alcazar libro de Mensuris, et ex eo Cornelius a Lapide in opusculo ejusdem argumenti addito ad Pentateuchum.

20. *Gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis.* Benevolentiâ complexus est Elimelech maritum meum, et filios meos, dùm essent in vivis; nunc pergit nobis benefacere eorum respectu, sibi semper similis.

Propinquus noster est homo. Additur in hebræo, *e redemptoribus nostris ipse est*, seu, *e vindicibus*, id est, ex iis, ad quos pertinet jus liberandi nos ab orbitate, et vindicandi nomen filiorum meorum, maritique tui ab interitu et oblivione, semen iis ac posteritatem dando, juxta legem Deuteronomii 25. 5.

22. *Ad metendum.* Ad spicilegium, quod parva quædam messis est, sicut racematio parva vindemia.

Ne in alieno agro quispiam resistat tibi. Booz benevolum experta es, in ejus agro nullus tibi resistit; favent omnes: perge igitur eò ire; non enim meliorem alibi conditionem invenies.

CAPUT III.

Ruth obsecuta socrûs suæ consilio ad pedes affinis sui Booz dormientis recumbit, et nuptias verecundè postulat, lætoque responso accepto, sex modios tritici ad socrum defert.

1. *Quæram tibi requiem.* A laboribus et ærumnis, quas egestas, et peregrinitas attulit, et ab orbitate liberorum, quæ animum tuum cruciat, nec quiescere sinit. Vide dicta cap. 1. num. 9.

2. *Propinquus noster est.* Vide dicta cap. 2. num. 20.

Aream hordei ventilat. Id est, ventilare parat.

3. *Lavare.* Suggerit Noemi nurui suæ, quæ ad corporis munditiem, honestumque cultum pertinent; in hoc enim magnum feminis telum, ideoque et a Judith adversus Holophernem adhibitum, Judith. 10. 3.

Ungere. Unctionibus utebantur frequentibus orientales mulieres. Sic Judith *unxit se myro optimo.* Judith. 10. 3.

Non te videat homo. Non te videat Booz.

4. *Nota locum in quo dormiat.* Moris tum fuit ut patresfamilias, etiam divites, urgentibus præsertim negotiis rusticanis, in areis etiam ipsis quietem caperent, ut usurpari possit illud Ovidii Fast 1.

> Non pudor in stipula placidam cepisse quietem,
> Nec fœnum capiti supposuisse suo.

Ipse autem dicet tibi quid agere debeas. Sperat Noemi Ruthæ nuptias, easque tunc transigi posse confidit, sed legitimè, modo bono, et a divinis præceptis non abhorrente.

7. *Factus esset hilarior.* Citra temulentiam tamen, ut quæ secuta sunt satis ostendunt.

9. *Expande pallium tuum super famulam tuam.* Chald. *vocetur nomen tuum super ancillam tuam, ad accipiendum me in uxorem.* Pro pallio est in hebr. et LXX, *extende alam tuam super ancillam tuam.* Est adagialis formula loquendi, quâ postulatur auxilii, tutelæ ac defensionis petitio. Hic tamen non qualiscumque tutelæ petitio est, sed ejus quæ uxori a viro debita est. Itaque est modesta et verecunda matrimonii petitio, * et sensus est : extende stragulum tuum, ut me tegat, et intra eumdem thorum tecum recipiat.

10. *Priorem misericordiam*. Quam in maritum et socrum hactenus contulisti.

Posteriore superasti. Quam nunc studes in maritum conferre, filios ei excitando, nomenque illius ad posteros propagando.

Quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites. Laudat Rutham, quòd femina juvenis non virum aliquem, defuncto Mahalone marito suo, quæsiverit in patria juvenem, sive divitem, sive pauperem; sed, relictis omnibus, in Judæam venerit, ibidemque non cuilibet se matrimonio jungere voluerit, sed ei a quo restitui posset in familia exstinctum defuncti illius nomen.

11. *Mulierem te esse virtutis*. Eadem hebraica phrasis quæ hic habetur, Prov. 31. 10, vertitur, *mulier fortis*. Itaque mulier fortis sive virtutis, illa est quam italicè dicimus *donna di valore*.

13. *Vivit Dominus*. Juramenti formula frequens in Scripturis sacris. Chaldæus habet, *juratus coram Domino, dico me, quidquid tibi dixi, facturum*.

14. *Antequam homines se cognoscerent mutuò*. Summo mane, antequam dilucesceret.

Cave ne quis noverit quòd huc veneris. Oportet enim, ut monet Apostolus 1. Thess. 5. 22, ut ab *omni specie mala* abstineamus, etiamsi ab omni peccato alioqui integri simus, sic Booz suæ et Ruth famæ consuluit.

15. *Expande... pallium tuum*. Succinctorium, seu semicinctum linteum, quo sub pectore præcinctæ mulieres, domi præsertim utuntur. LXX vocant περίζωμα, alii, ὑπόζωμα. Itali vocant *grembiale*.

Quæ portans ingressa est civitatem. Mirum videtur quibusdam rabbinis mulierem tantum pondus ferre potuisse, ideoque ad allegoricas interpretationes confugiunt : sex modii juxta ea quæ dixi cap. superiori num. 17, libras conficiunt 160, quod pondus grave non diffiteor; puto tamen illi gestando mulierem parem esse potuisse. Vidi sæpius mulieres capite aut hydrias, aut alia vasa, aut pondera gestantes tantæ molis et gravitatis, ut stupescerem.

CAPUT IV.

Booz coram senioribus civitatis accipit possessionem Elimelech et Ruth in uxorem, cedente alio propinquiore jure propinquitatis, ex qua genuit Obed avum Davidis.

1. ASCENDIT.... *ad portam.* In judaicarum enim urbium portis celebrioribus exerceri solebant judicia, magnique et publici contractus.

Sedit ibi. Quòd ibi aliqua de re tractantibus sedere moris esset.

Vocans eum nomine suo. In hebræo est פלני אלמני, *peloni almoni*, quod in Bibliis Pagnini ab Aria recognitis vertitur, *o quidam singularis.* Respondet phrasis italicæ nostræ *o tale.* Hispani dicunt, *fulano*, quod cum prima voce *peloni* affinitatem videtur habere.

2. *Decem viros de senioribus.* Qui agendorum testes essent, vel arbitri, ut colligitur etiam num. 9 et 11.

3. *Fratris nostri.* Propinqui, cognati nostri.

Vendet Noemi. Poterant agri uxoribus superstitibus relinqui a maritis morientibus, ex quorum fructibus, dum viverent, alerentur. Hoc jus suum jam vendere volebat Noemi, ut sentit Lyranus. Abulensis putat hunc usumfructum iis tantùm legari potuisse, quæ nubere vellent propinquo demortui, et illi semen suscitare, qualis erat Ruth, non Noemi. Hujus tamen fit mentio, ne proximo illi suboleret matrimonii necessitas, et quia Ruth junior Noemi senioris, et socrûs suæ consiliis regebatur.

5. *Ruth quoque.... debes accipere.* Viduæ quæ marito suscitare semen volebant, de quibus dixi, statim post viri mortem hæreditatem capiebant. Deinde qui eas uxores duxissent, ea hæreditate fruebantur, donec ad primogenitum ex hac natum tandem perveniret, sicque ad illud tantummodo temporis vendi, vel ab uxore, vel a posteriori marito poterat, dum eam adire posset iste primogenitus. Generalis enim lex erat ut si bonorum immobilium quid a quoquam Judæo venditum esset, id vel ab ejus propinquis, vel ab ipsomet vendente postea redimi posset. Porro ipsam Ruth in uxorem propinquus ille accipere debebat, si agrum habere volebat, quia hæreditas, si vidua nuberet alicui, eam debebat comitari, et ad maritum ejus pervenire. Vide Serar. in hoc cap. quæst. 6, et Abulensem a quæst. 30 usque ad 61.

Ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. Gignas filium, qui legis vi et auctoritate mortui illius filius censeatur, et legalis illius parentis sui hæreditatem accipiat.

6. *Neque enim posteritatem familiæ meæ delere.* In hebræo est, *ne fortè corrumpam hæreditatem meam:* quod accideret, si plures ex Ruth filios gignerem; quamvis enim primogenitus Mahalonis filius censeretur, et illius hæreditatem adiret, alii tamen mei essent, et cum filiis, quos jam habeo, hæreditatem partirentur.

7. *Solvebat homo calceamentum suum.* Is scilicet, qui jure suo cedebat, quanquam sunt qui sentiant eum calceamentum solvisse, cui fiebat cessio; sed quod dixi verius est.

9. *Omnia quæ fuerunt Elimelech, et Chelion, et Mahalon.* Quia Chelione mortuo absque liberis, et Orpha ad suos reversa, nec curante suscitare semen Chelionis omnia ad Mahalonis hæredem devolvebantur.

10. *Vocabulum ejus.* Nomen ejus.

11. *Sicut Rachel et Liam.* Nominantur hæ, 1. quia etiam ipsæ patriâ relictâ, Jacob secutæ sunt; 2. quia et ipsæ a marito suo Jacob prolem petierunt. Genes. 30. 1, et 16.

In Ephrata. In Bethlehem.

12. *Sicut domus Phares.* Ex quinque familiis, quæ ex Juda præseminatæ sunt, familia Phares ex qua erant Bethlehemitæ præcipua censebatur. Optat ergo Booz parem gloriam ex matrimonio quod nunc init.

17. *Vocaverunt nomen ejus Obed.* Noemi hoc illi nomen imposuit, ut censet Serar. quæst. 14, aliis mulieribus vicinis suadentibus; parentum enim est filiis nomina imponere. Obed significat *serviens*, cujus nominis causas alii alias assignant. Ea verissima esse videtur, quòd anui Noemi omne obsequium ac servitutem exhibiturus esset, et senectutem illius curaturus, idque dicere et ominari videntur vicinæ mulieres, dum dicunt numer. 15: *Qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem.*

IN LIBROS REGUM.

Quis fuerit horum librorum Auctor non constat. Est communis ferè sententia librum primum usque ad cap. 25 a Samuele esse conscriptum; ab eo loco usque ad finem secundi, auctores esse Nathan et Gad videntes; tertii et quarti, Esdram, vel Jeremiam. Sanchez in Prolegom. ad libros Regum prolegomeno 1, num. 11, putat cum aliis Ezechiam, aut eo jubente, alios in ordinem redegisse hanc Regum historiam.

LIBER PRIMUS REGUM.

CAPUT PRIMUM.

Elcana duas habuit uxores, Annam et Phenennam; quarum Anna diu sterilis, et æmulæ improperio tristis, fusa in Silo coram Heli oratione ad Dominum, genuit Samuelem, quem Domino obtulit, ut voverat.

1. *Ramathaim.* Non una fuit Rama, sed duæ saltem, quod vox dualis *Ramathaim* significat; quasi diceret sacer textus, ex duabus Ramath, illa quæ Sophim dicitur patria fuit Elcanæ. Saligniacus tamen cap. 3. tit. 6, quinque hujus nominis civitates facit. Dicebatur hoc oppidum etiam Ramatha, ut patet infra, num. 19, et aliqui volunt esse eamdem cum Arimathia, ex qua Joseph, qui Christum de cruce deposuit.

Sophim. Quæ vox *speculam* significat: ita dicta urbs, vel quòd in edito esset loco, juxta vocis rama interpretationem, quæ *excelsam* significat; vel quòd turris aliqua ibi exstructa ésset, e qua dissita longè loca speculari liceret; * vel certè urbis Rama, de qua hìc est sermo, duæ fuerunt partes, quarum altera edito esset loco, et superiori, altera vero inferiori. Significatur ergo Elcanam ad illam urbis partem pertinuisse, quæ superior erat, ac propterea a sublimitate sitûs dicebatur *Sophim.*

De monte Ephraim. Vide dicta Judic. cap. 17. num. 1. Habitabat Elcana in monte Ephraim, sed ipse alioqui erat de tribu Levi, ex filiis Core: vide 1. Paralip. 6. 34.

2. *Nomen uni Anna.* Duas habuit uxores; illo enim ævo licita erat polygamia. Anna primaria erat et materfamilias, Phennena thori tantùm consors, uxorque secundaria, quales uxores Scriptura vocat concubinas.

3. *Ascendebat vir ille.* Tribus anni temporibus a lege constitutis. Deut. 16. 16. *In solemnitate Azymorum* (hoc est Paschate), *in solemnitate Hebdomadarum* (hoc est Pentecoste) *et in solemnitate Tabernaculorum*, quæ etiam dicebatur Scenopegia.

Sacrificaret. Non per se, sed per sacerdotes.

In Silo. Qui ex Adrichomio mons est altissimus terræ sanctæ: quare meritò dicitur eò ascendisse Elcana de Ramatha, quæ licèt excelsa esset, adhuc tamen Silo tabernaculi locus altior erat. Porro tabernaculum fuit in Silo a Josue temporibus usque ad tempus Heli, quando arca a Philisthæis capta est, annis ferè 460.

4. *Venit ergo dies.* Festus aliquis ex tribus memoratis num. 3.

Immolavit Elcana. Hostias pacificas, cujus bona pars ad offerentem post immolationem redibat, ex quibus offerens cum domesticis suis vesci poterat. Vide Levit. 3 et 7, et Deut. 12, et cap. 16. num. 11.

Partes. Ciborum, immolatarum carnium.

5. *Partem unam tristis.* In hebr. pro *tristis* est, *facierum*, id est, *honorabilem*, ut reddit rabbi David, vel *electam*, ut habet chald. Verùm quia vox hebraica etiam *furorem*, *iram tristitiamque* significat, pars ista sic diceretur, quòd significatione illa benevolentiæ electo illo cibo exhibita, tristitia iraque Annæ leniri posset.

Dominus autem concluserat vulvam ejus. Qua phrasi Hebræi sterilitatem significant. Sic de se Sara, Gen. 16. 2, ait: *Conclusit me Dominus, ne parerem.*

6. *Affligebat quoque eam æmula ejus.* Quotidiano convicio sterilitatem exprobrans.

7. *Cùm redeunte tempore ascenderent ad templum Domini.* Occasio eo tempore exprobrandi duplex videtur fuisse: altera, quòd Phenenna sciret Annam, ut in votis habebat fecunditatem, ita illam a Domino postulare tunc potissimùm, cùm ascenderet ad locum tabernaculi. Exprobrabat ergo, quasi Deus illi iratus,

quod postulabat concessurus non esset. Altera frequentiùs Annam incessendi causa erat, quòd occasione itineris cum marito Elcana simul ipsæ ferè semper agere cogerentur, cujusmodi necessitatem domi non habebant, ubi cùm in diversis conclavibus habitarent, commodiùs Phenennæ exprobrationes Anna poterat declinare.

8. *Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filii?* Illa femina fortunata creditur, quæ virum habet honestum, nobilem, et suî amantem, et cum quo illi bene convenit. Talis erat Elcana, qui hinc petit argumentum ut probet se vivente et sospite non debere Annam tanto prolis desiderio se conficere. * In concordi matrimonio plùs boni esse videtur, quàm in ipsa fecunditate.

9. *Postquam comederat et biberat.* Obsecuta ergo est suasionibus mariti.

In Silo. Vel in privata aliqua domo, vel coram Domino, id est, in vestibulo atrii. Vide dicta Deut. 12. 17; vide etiam Deut. 19. 11.

Heli sacerdote... ante postes templi. Ut ad se venire volentibus facultas esset. Nomine templi intelligitur atrium quod circa tabernaculum erat; nondum enim erat exstructum templum.

11. *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* Levitæ ante 30 ætatis annum non cogebantur interesse templo, et anno 50 a ministerio vacationem habebant, Num. 4. 3. Anna verò suo hoc voto nascituram prolem perpetuo addicit tabernaculi ministerio.

Novacula non ascendet super caput ejus. Erit perpetuò nazaræus, quorum præcipuum erat institutum, ut capillum nazaræatûs tempore nunquam tonderent. Vide Num. 5. 6 et 7, et ibi notata.

13. *Labia illius movebantur.* Naturale est, ut iis, qui commoto sunt animo, sive ira, sive timore, sive dolore, labia moveantur, et quasi tremant.

14. *Digere paulisper vinum.* Quasi ebriam monet ut abeat; non enim decebat temulentam cum sobriis in orationis loco versari.

15. *Effudi animam meam.* Orationem, votum ac desiderium animæ meæ.

16. *Quasi unam de filiabus Belial.* Belial idem est, ac *sinè jugo*. Ait ergo Anna, ne putes me ex earum numero esse, quæ legis jugum et disciplinæ pati non possunt: quales sunt qui sibi omnia indulgent, lege neglecta, aut etiam spreta, in quos convenit illud

Jerem. 2. 20 : *A seculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.*

17. *Vade in pace.* Fausta imprecatio, qua abeuntes prosequebantur. Apud Hebræos verò voce hac, *pacis*, bonorum omnium cumulus significatur.

18. *Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.* Ut scilicet pro me ores.

Vultusque illius non sunt ampliùs in diversa mutati. Adeo post orationem et votum sedato fuit animo, quippe spei plena, ut placido deinceps semper fuerit vultu.

19. *Recordatus est ejus Dominus.* Humano more loquitur Scriptura, ut sæpe alibi.

20. *Post circulum dierum.* Post aliquot dies, evolutis aliquot diebus.

Eò quòd a Domino postulasset eum. Nam verbum שאל *saal*, postulare significat ; sed, ut monet Vatablus, mulier hebræi verbi primam tantùm litteram retinuit. * Vel certè dicitur Samuel quasi *Sam ou el* שמו אל, id est, *posuit ipsum Deus*, scilicet in rerum natura, *eò quòd a Domino postulasset eum.*

21. *Ascendit autem vir ejus Elcana.* Anno vertente, et recurrente eo festo quo ante annum ascenderat cum uxoribus in Silo.

Hostiam solemnem. Hebr. *hostiam dierum*, qualis nimirum statutis a lege diebus immolare solet.

Et votum suum. Fortasse susceptum simul cum Anna ad prolem ex ea impetrandam.

22. *Donec ablactetur infans.* Triennio ferè lac infantibus eo tempore dabatur. Vide 2. Machab. 7. 27 : nunc eos citiùs nutrices a lacte depellunt.

23. *Impleat Dominus verbum suum. Verbum* in Scriptura idem est quod *res.* Sensus ergo est : impleat Dominus, ac perficiat quod cœptum est. Natus est infans, adolescat, confirmetur, ut gaudium nostrum inchoatum perfectum esse possit.

24. *In vitulis tribus.* Quorum unus tantùm immolatus est, ut patet num. 25 sequenti ; reliquos duos aut sacerdoti dedit, cui filium commendavit ; aut pro statis, atque solemnibus victimis reliquit in templo. Vitulus videtur immolatus fuisse ritu hostiæ pacificæ, cui farina addebatur, et vinum, ut habemus Num. 15 ; sacrificiumque oblatum est in actionem gratiarum pro suscepta prole.

Et tribus modiis farinæ. Tres modii faciunt unum ephi. In immolatione autem vituli in hostiam pacificam

ephi unum farinæ simul offerre oportebat. Ezech. 46. 7, dicitur : *Ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciunt sacrificium.*

Adhuc infantulus. Triennis scilicet.

26. *Obsecro.* Vox ista interjectionis attentionem excitantis vim obtinet.

Vivit anima tua. Juramentum Hebræis familiare, quasi dicat : ita vivas. Itali dicunt, *per vita vostra.*

28. *Commodavi eum Domino.* Voto nuncupato, quantùm in me est, sacro ministerio toto vitæ tempore mancipavi.

Cunctis diebus, quibus fuerit commodatus. Quantùm ipsius vita, aut voluntas tulerit; neque enim tenentur hujusmodi vota parentum filii implere.

Oravit Anna. Canticum sequens cecinit.

CAPUT II.

Annæ canticum in gratiarum actionem ob susceptam prolem ; quæ rursus tres filios et duas filias genuit. Ob peccata filiorum Heli, et hujus nimiam indulgentiam, minæ divinitus ei intentantur et mors filiorum prædicitur.

1. *Exultavit cor meum in Domino.* A quo beneficium susceptæ prolis agnosco.

Exaltatum est cornu meum. Cornu potentiam significat, pulchritudinem et gloriam. Exaltatur ergo cornu, cùm decus alicujus, potentia, aut gloria capit incrementum.

Dilatatum est os meum. Nam priùs mutire non audebam.

Super inimicos meos. Contra Phenennam æmulam meam, vel etiam illud *super* idem est, ac *magìs*, quasi dicat : plus ego possum unico Samuele nato, quàm Phenenna multiplici sua prole gloriari.

In salutari tuo. In te, Domine, qui vera salus es, vel in salute quam cum nato Samuele adepta sum.

2. *Non est sanctus, ut est Dominus.* Idem videtur esse cum eo, quòd ait David psalm. 85. 8: *Non est similis tuî in diis, Domine.*

Neque enim est alius extra te. Qui videlicet sit sanctus, id est, Deus, qui talia præstare possit.

Non est fortis sicut Deus noster. τὸ *fortis* in hebræo est צוּר *tzur*, quæ vox *petram*, *rupemve* significat, ac

per metaphoram eum ad quem tanquam ad munitum locum perfugium est, et sæpe Deo tribuitur. Ps. 17. 2, Deut. 32. 15, et alibi.

3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* Noli, ô Phenenna, adhuc gloriari, et magnificè de te loqui.

Recedant vetera de ore vestro. Jam aliter de te senti et loquere, quàm priùs solebas.

Deus scientiarum Dominus. Omniscius, cui omnia patent.

Et ipsi præparantur cogitationes. Est etiam omnipotens, quia quæ cogitat, et vult, effecta dat. Cogitatio ergo hìc accipitur pro re cogitata, vel etiam sensus est: ipsi omnes hominum cogitationes apertæ sunt, et expositæ. Prior explicatio magis est genuina.

4. *Arcus fortium.* Arcus arma significat, et generatim id in quo quis præsidium suum constituit. Arcus Phenennæ fecunditas.

Infirmi accincti sunt robore. Quasi dicat: ego priùs infirma, jam verò divino munere roborata, et quasi armis munita, instructa et accincta.

5. *Repleti.* Divites, abundantes.

Pro panibus se locaverunt. Operas suas vilissimo pretio locarunt, scilicet pro diurno cibo. Italicè dicimus, *s'accordarono per le spese.*

Et famelici saturati sunt. Esurientes enim *implevit bonis*, ut in suo cantico cecinit B. Virgo, Luc. 1. 53. Remotâ allegoriâ eadem est sententia: Phenenna filiis abundans et superbiens, ego sterilis, ac propterea despecta: jam ego etiam fecunditatem adepta, et prolem, quæ hæres erit in domo viri mei, Phenennam ad paupertatem redactam video. Bene dicit *pro panibus se locaverunt*, quia qui priùs jus habebant ad paternam hæreditatem, jam filio ex primaria uxore Anna nato, munera tantùm a patre habituri erant, ut filii concubinæ; hæreditas verò ad primariæ uxoris Annæ filium pertinebat. Imò pro panibus se locare, hoc est, industriâ suâ victum sibi quærere debebant. Vide Genes. 25. 6.

Donec. Hebr. עד *had.* LXX vertunt, ὅτι, *quia.*

Sterilis peperit plurimos. Unum Samuel, qui multorum sit instar. * In hebræo est, *peperit septem*, qui numerus in Scripturis multitudinem significat. Vide Prov. 24. 16, Psal. 118. 164, Levit. 26. 18.

Infirmata est. Infirmior apparuit, succubuit.

6. *Dominus mortificat et vivificat.* Deus vitæ et mortis Dominus est.

Deducit ad inferos et reducit. Eos qui mortui

sunt, si velit, excitat et vitæ restituit. Remotâ allegoriâ significatur Deum infelices et miseros felicitati, et florenti statui pro sua voluntate restituere, ut sequenti versiculo clariùs repetit.

8. *Suscitat de pulvere.* Sedere in pulvere est mœrentium habitus; itaque suscitare de pulvere, aut de stercore, est excitare a misero statu et conditione ad felicem. Hæc eadem sententia iisdem prope verbis reperitur Psalm. 112. 7, et Luc. 1. 52.

Domini enim sunt cardines terræ. Universæ terræ Dominus est ab uno ad alterum polum; ipse enim ejusdem auctor est, fabricator et gubernator.

9. *Pedes sanctorum suorum servabit.* Diriget eorum gressus, ne impingant, nec incurrant in offendicula quæ illis parant impii.

Et impii in tenebris conticescent. Angulo aliquo, aut carcere retrusi, mœrentes et afflicti conticescent; quia jam magnificè et gloriosè de se loqui non audebunt, ut priùs faciebant.

Quia non in fortitudine sua roborabitur vir. τὸ vir idem est ac *quilibet*, quasi dicat: nemo viribus suis, aut suæ felicitati confidere debet, sed tota spes et fiducia in Deo locanda est.

10. *Dominum formidabunt adversarii ejus.* Ostendit quàm tutum sit præsidium in Domino locatum, argumento a divina potentia sumpto, quam de cœlo tonantem, et contra rebelles pugnantem timent adversarii ejus. Peculiariter verum hoc fuit in Samuele, de quo infra dicitur, cap. 7. 10: *Factum est autem, cùm Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniêre prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa supra Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel.*

Dominus judicabit fines terræ. Quippe illius princeps ac Dominus.

Et dabit imperium regi suo. Christo Domino, de quo ista passim accipiunt interpretes, ab Anna scilicet propheticè dicta.

Et sublimabit cornu. Vide dicta num. 1 hujus capitis. Cornu Christi priùs depressum et abjectum (ipse enim se vermem appellat et non hominem, opprobrium hominum et plebis abjectionem) sublimatum est resurrectione, in cœlos ascensione, etc., et judiciaria potestate, de qua hìc agitur. Possunt etiam hæc accommodari regi Sauli, qui a Domino per Samuelem inungentem imperium adeptus est et sublimatus, ut esset christus Domini.

11. *Erat minister in conspectu Domini*. Cùm scilicet crescente ætate factus est grandiusculus. In conspectu Domini idem est ac in ministeriis tabernaculi.

Ante faciem Heli. Cui assistebat ministrabatque sub disciplina et imperio Heli.

12. *Filii Belial*. Vide dicta supra, num. 16. cap. 1.

Nescientes Dominum. Non reverentes, non parentes Domino, ut illi faciunt, qui superiorem non agnoscunt. Sic Pharao, Exod. 5. 2, dicebat: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam*.

13. *Neque officium sacerdotum ad populum*. Violabant enim leges sacerdotibus a Domino præscriptas, et cum populo hostias offerente servandas.

Puer sacerdotis. Famulus aliquis sacerdotis minister, aut filius.

Dum coquerentur carnes. Dum elixarentur. Nam ut notat Abul. in hoc c. quæst. 8, offerentes coquebant carnes sacrificiorum, quæ ipsis debebantur, et sacerdotibus. Cùm autem ex sacrificiis pacificis, de quibus hic sermo esse videtur, tantùm pectusculum, et armus ad sacerdotes pertinerent, ipsi *omne, quod levabat fuscinula, tollebant*, offerentibusque hoc pacto injuriam faciebant.

15. *Etiam antequam adolerent adipem*. Tam in victimis pacificis quàm in victimis pro peccato adeps Domino adolebatur. Hoc ergo peccabant sacerdotes, quod antequam Domino adoleretur adeps, ipsi carnes cum adipe, repugnantibus iis, qui offerebant, accipiebant minitabundi, et non tam in Deum inurbani, cui primum quasi ferculum ex convivio offerendum erat, sed irreligiosi etiam et impii, qui leges sacrificiorum violabant.

17. *Quia retrahebant homines a sacrificio Domini*. Cùm enim viderent non servari ritus solitos sacrificiorum, oblationibus abstinebant.

18. *Accinctus ephod lineo*. Ephod genus est vestis, quod humeros tegit et pectus ambit; et si usum ejus spectemus, semper sacer est ac religiosus; si verò personas quæ illud induebant, vel ecclesiasticus erat, vel politicus. Ecclesiastico induebantur pontifices, sacerdotes, levitæ; politico laici, quale fuit illud quo David indutum legimus 2. Reg. 6. 14, et 1. Paral. 15. 27. Ergo ephod Samuelis levitæ hoc sensu leviticum erat; vel quia per ætatem nondum poterat esse in levitam consecratus, politicum.

19. *Tunicam*. Hebr. est מעיל *mehil*, quam vocem in-

terpres noster vertit hoc loco *tunicam*, alibi *pallium* aut *vestem*.

Statutis diebus. Hebr. *a diebus in dies*, annuatim, singulis annis.

Ascendens cum viro suo. Vide dicta cap. 1. num. 3 et 21.

20. *Benedixit Heli Elcanæ*. Ea fortasse formula quæ habetur Num. 6. 24 : *Benedicat tibi Dominus, etc.*, additis quæ sequuntur num. proximo.

Reddat tibi Dominus. Tu filium unum commodasti Domino, vicissim tibi Dominus cum fenore multiplicet prolem. Verè Domino feneratur, qui aliquid in illius honorem et obsequium facit.

22. *Cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi*. Virgines erant aut viduæ tabernaculo deservientes texendis sacris vestibus, abluendis, sarciendis, aliisque hujusmodi ministeriis, quæ muliebrem artem et industriam requirunt, vel perpetuò, vel ad tempus addictæ : * observabant autem nutus et imperia sacerdotum, quid nempe per ipsas curari vellent. Cum his ergo mulieribus filii Heli turpem consuetudinem habebant.

23. *Quare facitis res hujuscemodi*. Mollis nimis ac remissa reprehensio. * Qui puniendi jus habent, ii monendo tantùm eos, quos minimè corrigi animadvertunt, officio proprio non defunguntur.

24. *Ut transgredi faciatis populum Domini*. Vel legibus sacrificiorum non servatis, de quo dictum supra, num. 12 et 13, populum inducendo, ut consensu suo peccati particeps esset, vel pravorum morum exemplo.

25. *Si peccaverit vir in virum*. Loquitur Heli juxta ea quæ inter homines accidunt; multò enim difficiliùs ut quis sequester intercedat apud judicem, cùm ipse judex injuriâ violatus est, quàm si alicui privato fuerit illata. Porro refert Scriptura tantùm quid Heli filiis dixerit, cùm eos objurgaret, nec necesse est verba illa anxiè interpretari, et ad theologicam normam, quasi divinæ fidei pondus haberent, exigere, ut notat Sanchez in hunc locum. Sensus etiam esse potest : si vos sacerdotes, qui Deum aliis per sacrificia placatum redditis, eum offenditis et irritatis, quis alius eum vobis propitiabit ? Huic expositioni favent LXX qui pro *placari ei potest Deus*, habent, *orabunt pro ipso Dominum*. Tandem sensus esse potest : si ita peccatis, ut sacrificia tollatis, quis reliquus restat modus placandi Dominum ?

Quia voluit Dominus occidere eos. Quia Dominus extraordinaria eis auxilia gratiæ non tribuit, quibus des-

tituti, vitio tamen suo, perierunt. Vel etiam particula *quia* sumitur pro *idcirco*. Non audierunt, idcirco voluit Dominus perdere illos: ita Emmanuel Sa explicat illud Osee 9. 15: *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos.*

27. *Venit autem vir Dei ad Heli.* Propheta aliquis, cujus nomen Scriptura non exprimit.

Revelatus sum domui patris tui. Aaroni, a quo Heli per Ithamar trahebat originem. Tunc autem hoc accidisse verisimile est, cùm Exod. 4. num. 27, Deus Aaronem allocutus est, eumque Mosis interpretem constituit.

28. *Omnia de sacrificiis.* Ex omnibus sacrificiis aliquid; nam etiam ex holocaustis pellis cedebat sacerdoti. Levit. 7. 8.

29. *Quare calce abjecistis victimam meam.* Ignominiosè impediendo sacras religiones sacrificiorum, et quasi calce impacto, impediendo ne populus victimas offerret et munera.

Magìs honorasti filios tuos. Quos impunè peccare in me passus es, ne illis molestiam creares.

Ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel. Quasi e sacro ministerio id unum, aut præcipuè spectandum esset, ut optimum quodque vobis e sacrificiorum primitiis vindicaretis. Hebr. *impinguaretis vos primitiis:* * primitiæ ergo hoc loco significant præcipua, optima, pinguissima.

30. *Loquens locutus sum.* Quando hoc peculiariter promissum fuerit Heli, non habetur in sacris Litteris; erat tamen generatim factum in prima sacerdotii institutione, Exod. 28. 43, et cap. 49. 9.

Absit hoc a me. Non mutat consilium Deus, quia promissio eam conditionem tacitè saltem habuit, si Heli et ejus posteri bene se gererent et officium facerent.

Erunt ignobiles. Contemptibiles. Hebr. et LXX, *contemnentur.*

31. *Præcidam brachium.* Id est, robur, quasi dicat, dignitatem summi sacerdotis et judicis populi auctoritatem.

Ut non sit senex. Summus sacerdos, qui senex dignitate potiùs dicitur quàm ætate, ut nostri temporis sacerdotes *presbyteri* dicuntur.

32. *Videbis.* Non tu, sed posteri tui. Tu, in posteris tuis.

Æmulum tuum. Summum alium pontificem ex filiis Eleazar, qui Heli et reliquis ex Ithamar invidebant,

quia ipsi summo exciderant sacerdotio quo isti potiebantur.

In universis prosperis Israel. Quæ summam pontificalem dignitatem et auctoritatem comitabantur. Translatum est sacerdotium ad filios Eleazar sub Salomone 3. Reg. 2. 27, pro Abiathar substituto Sadoc.

Et non erit senex. Summus sacerdos, ut explicavi num. 31.

33. *Non auferam penitus virum ex te ab altari meo.* Erunt posteri tui minores sacerdotes, non vero pontifices.

Deficiant oculi tui. Invidiâ scilicet tabescant.

Pars magna. Non omnes, sed plerique.

34. *Hoc autem erit tibi signum.* Quod scilicet non mentiar, sed divino spiritu plenus vaticiner, et absque dubitatione ventura sint omnia quæ prædixi.

35. *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* Aliqui volunt esse Samuelem qui tamen de filiis Aaron non erat. Alii, quod est verius, Sadoc de quo dixi num. 32. Alii de Christo Domino intelligunt.

Qui juxta cor meum et animam meam faciet. Id est, juxta voluntatem meam, quod fecit Sadoc, de quo nihil in Scriptura narratur quod quis jure reprehendat.

Ædificabo ei domum. Prolem dando, et ad filios ejus summum sacerdotium transmittendo.

Coram christo meo. Salomone rege; * qui propter solemnem unctionem christus appellatur, id est, unctus.

36. *Offerat nummum argenteum.* Quo, ut pauper, tortam panis, et pauperem victimam paret, quæ pro illo offeratur.

Dimitte me. Ut pauper ac famelicus optabit fieri particeps sacrificatarum carnium, et eorum quæ sacerdotibus cedunt, ut saturari possit.

CAPUT III.

Samuel quater a Domino vocatus, quæ sibi revelata fuerant Heli percontanti refert.

1. SERMO *Domini erat pretiosus.* Rari erant eo tempore prophetæ.

Non erat visio manifesta. Prophetia publicè nota, ad eum modum, quo fuit cùm Isaias, Elias aut Elisæus prophetarunt, qui passim ab omnibus prophetæ habebantur.

2. *Jacebat in loco suo*. Cubiculum et cubile habebat in loco aliquo a tabernaculo non longè dissito. Post ædificatum templum erant aliqua pro sacerdotibus seposita loca, in quibus diversarentur, templo adjacentia : simile aliquid credibile est fuisse ante constructionem illius, præsertim postquam tabernaculum fixam aliquo in loco sedem habuit.

3. *Lucerna Dei antequam exstingueretur*. Sententia est, Samuel dormiebat in templo, in quo noctu lampades collucebant, quæ in aurora de more exstinguebantur. Antequam ergo tempus esset lucernas exstinguendi, vocavit illum Dominus.

Samuel dormiebat in templo Domini, ubì erat arca Dei. In tabernaculo, aut loco illi adjuncto, ex quo videre posset quid opus esset, et curare ne quid minùs ornatum esset aut decens, sanctoque loco conveniens.

7. *Necdum sciebat Dominum*. Quod statim sequentibus verbis explicatur: *Neque revelatus fuerat ei sermo Domini*. Nondùm cum illo locutus fuerat Dominus, nec tanquam prophetæ suo quidquam adhuc revelaverat.

10. *Sicut vocaverat secundò*. Secundò vocare est bis idem nomen inclamando repetere. *Samuel, Samuel*. Vel significat vocare iterum atque iterum, sæpiùs vocare.

11. *Facio verbum*. Rem, patrabo quiddam.

Tinnient ambæ aures ejus. Quæ phrasis magnum significat terrorem. Eadem formula dicendi habetur Jerem. 19. 3, et 4. Reg. 21. 12.

12. *Suscitabo*. Exsequar.

Incipiam et complebo. Jam aggrediar effecta dare, quæ comminatus sum, nec desistam, priusquàm perfecero, quæ prædixi.

13. *Judicaturus*. Pœnas sumpturus.

Non corripuerit eos. Vox hebr. כהה *chiha*, significat rugata, et præ ira exasperata fronte corripere. Supra vidimus Heli remissum animum, et reprehensionem felle aculeoque carentem.

14. *Iniquitas*. Pœna iniquitatis. Sic peccatum sæpe pœnam peccato debitam significat.

Muneribus. Oblationibus.

15. *Dormivit autem Samuel usque mane*. Id est, cubavit; neque enim probabile videtur exiguo illo tempore, quod usque ad lucem intercedebat, post horribiles illas minas, somnum iterum capere potuisse.

17. *Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat*. Quasi dicat: male tibi contingat, vel puniat te Deus : ita solebant

Hebræi sibi, aut aliis imprecari mala, ut etiam nunc vulgò dicitur : Hoc mihi accidat et hoc, si mentior, aut quid simile.

* 18. *Dominus est.* Laudabile exemplum patienter se submittentis Deo punienti. Laudabile et insuper, quòd sensu publicæ calamitatis magis quàm privatæ tangitur.

19. *Dominus erat cum eo.* Illi favens, et donis suis augens.

Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Omnia enim ad unguem impleta sunt.

20. *A Dan usque Bersabee.* Duæ sunt civitates in extremis terræ Israelitidis finibus. Dan ad aquilonem, Bersabee ad meridiem.

21. *Juxta verbum Domini.* Id est, eo modo quo verbum suum prophetis revelare consueverat aliquando Dominus. Sanchez putat sententiam esse, verbo duntaxat, nulla autem specie sensibili corporis exhibita se Dominum illi revelasse,

Et evenit sermo Samuelis universo Israeli. Hebr. *et fuit sermo, etc.* Et videtur sensus esse : manavit sermo, et vulgatus est per totum Israelem. Sanchez putat alia prophetasse Samuelem ad universum Israelem spectantia, quæ evenerint. Fortasse illud ipsum, quod Samuel de Heli prædixit Domino revelante, non incommodè universo Israeli evenisse dicitur, quia quæ pontificibus et principibus accidunt ad totum reip. corpus pertinent, cujus capita sunt. Adde ex iis, quæ deinceps narrantur, hanc explicationem confirmari; nam Israel a Philisthæis cæsus est, et alia mala passus, quæ Heli et filiorum ejus peccatis accepta referri debent.

CAPUT IV.

Israelitæ a Philistæis semel iterumque cæduntur arca capitur : duo filii Heli occiduntur, ipse etiam Heli fractis cervicibus occumbit, et nurus ejus in partu exstinguitur.

1. JUXTA *lapidem Adjutorii.* Est prolepsis; sic enim postea a Samuel locus ille appellatus est, infra, cap. 7. num. 12.

3. *Afferamus ad nos de Silo arcam.* Non est damnanda Israelitarum spes, quam collocabant in Domino, et arcæ præsentia, si adesset in castris; insistebant enim Mosis vestigiis, qui cùm castra moverentur, et

arca præiret, dicebat: *Surge Domine; dissipentur inimici tui, et fugiant, qui oderunt te, a facie tua.* Num. 10. 35.

4. *Tulerunt inde arcam.* Non licebat ordinariè sedem fixam habente tabernaculo arcam e Sancto Sanctorum efferre; videntur tamen Israelitæ persuasisse sibi tanti discriminis casum exceptum esse, præsertim cùm Josue principe circa mœnia Jericho felici eventu, Deo jubente, circumlata esset. Abulens. q. 6 in hoc caput, licuisse putat, *quia egerunt*, inquit, *illud non ex aliqua curiositate, sed ex necessitate.*

5. *Vociferatus est.* Clamore jubilationis, ut indicant hebr. et chaldæus.

* 7. *Venit Deus in castra.* Ita loquuntur, quia audierant Deum super arcam residere, ut super solium. Vel quia putabant divinam virtutem arca inclusam, aut affixam.

8. *Heri et nudius tertius.* Familiaris Hebræis formula loquendi, quæ *ante* significat.

Deorum sublimium. Hebr. *fortium*, sive *illustrium*, אדירים *Adirim.*

In deserto. Id est, in mari Rubro.

18. *Mortuus est.* Æternam tamen mortem evasisse graves auctores sentiunt, et non leves suadent conjecturæ. Vide Sanchez in præfatione ad libros Regum a num. 7 usque ad finem.

19. *Incurvavit se et peperit.* Gravis enim aliquis et repentinus timor, aut dolor animum percellens partum accelerat. Sic cervas aiunt nonnunquam parere, cùm tonat cœlum; quo modo passim explicant illud Ps. 28. 9: *Vox Domini præparantis cervos*, id est, tonitru parere facientis.

21. *Ichabod.* Ex eventu non infrequenter nomina imponuntur: significat hæc vox *ubì gloria?* vel, *væ gloriæ!* Josephus vertit, ἀδοξία, *non gloria.* Arcam dicit gloriam Israel, quia super eam Deus gloriosè apparere solebat.

CAPUT V.

Dagon coram arca semel iterumque corruit, præcisis in limine capite ac manibus. Philisthæi gravissimis plagis, ubicumque arca esset, plectuntur.

1. *A Lapide Adjutorii.* De lapide Adjutorii dixi supra, cap. 4. num. 1.

2. *In templum Dagon.* De Dagon vide dicta Judic. 16. 23.

Statuerunt eam juxta Dagon. Vel ut honorarent arcam, cui magnum Numen inesse arbitrabantur : vel ut eam quasi trophæum quoddam statuerent de hostibus suis Dagonis beneficio superatis.

3. *Jacebat pronus.* Qui adorantis habitus est, ut intelligerent Azotii quantò præstantior esset Hebræorum Deus.

4. *Caput autem Dagon.* Gravius secunda vice mulctatur Dagon, ut vel sic intelligerent Azotii veri Numinis potentiam, et idoli sui vanitatem.

5. *Remanserat in loco suo.* Quem in terram delatus semel occupaverat.

6. *Demolitus est eos.* Attrivit morbis, de quibus paulò post, aliisque malis multis morte e medio sublatis.

In secretiori parte natium. Hæmorrhoidibus immissis mariscis, hoc est, tuberculis in ano ad fici similitudinem; marisca enim propriè insipidam ficum significat. Theodoretus et[a] Procopius φαγέδαιναν interpretantur, hoc est, ulcus rodens et exedens.

Nati sunt mures. Agris infesti, omnia arrodentes, et spem frugum auferentes. Itaque dicitur cap. seq. num. 5 : *Facietis similitudines murium, qui demoliti sunt terram.*

Facta est confusio mortis magnæ. Plurimi promiscuè mortui sunt.

8. *Satrapas Philisthinorum.* In quot satrapias distributa esset Philisthinorum ditio, et quænam essent eorum nomina, diximus Judic. 16. 5.

Responderuntque Gethæi. Geth erat una ex præcipuis Philisthæorum præfecturis.

Circumducatur arca Dei Israel. Quod eo consilio factum volunt Procopius et Lyranus, ut certius cognoscerent casune mala illis evenissent, ex aeris, v. g., corrupti intemperie; an verò ab Hebræorum Dei manu

vindice. Si enim alii ad quos arca deferretur iisdem, aut similibus malis affligerentur, jam constaret Deo immittente illis evenire.

9. *Fiebat manus Domini.* Fieri manum Domini super aliquem est divinam potentiam in aliquem ostendi, sive illi benefaciendo, sive malis vexando et deprimendo. Exemplum utriusque significationis suppeditat Ezechiel, favoris quidem et spiritûs prophetici, cap. 1. num. 3, cùm dicitur : *Et facta est super eum ibi manus Domini;* ultionis verò et vindictæ, cap. 13. num. 9, cùm ait : *Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium.*

Prominentes extales. Mariscæ.

Gethæi. Ad quos ab Azotiis arca transierat.

Fecerunt sibi sedes pelliceas. Ut molliùs in eis sederent, et acquiescerent.

10. *In Accaron.* Quæ una erat ex quinque Philisthæorum satrapiis.

12. *Viri quoque, qui mortui non fuerant.* Ex his verbis fit verisimile plurimos ex illa regione ad aspectum arcæ mortem subiisse repentinam, quod etiam viris Bethsamitibus cap. sequenti narratur accidisse.

CAPUT VI.

Philisthæi arcam cum votivis donariis ad Israelitas remittunt, qua exceptâ a Bethsamitis, nec satìs reverenter inspectâ, plurimi etiam illorum morte puniuntur.

2. VOCAVERUNT *Philisthiim sacerdotes.* Quia ad scientiam sacerdotalem, seu auguralem quæstionem hanc pertinere arbitrabantur, in qua de re sacra ambigebatur.

3. *Nolite dimittere eam vacuam.* Muneribus eam prosequimini ; hìc enim omnium gentium sensus est, ut Deum existiment oblationibus honorari. Ipsis etiam Hebræis præceptum fuerat : *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, Exod. 23. 15.

Reddite ei pro peccato. Hebr. *reddite ei peccatum.* Sacrificium scilicet, aut munus pro peccato. Peccatum intercessisse facilè sacerdotes conjiciunt ex accepta plaga et agrorum vastitate, quam passi fuerant.

Et scietis quare non recedat manus ejus a vobis. Septem jam mensibus affligebantur gravissimis malis

Philisthæi, et tamen quo erant mentis stupore, non planè intelligebant quis plagarum auctor, et quænam illarum causa.

5. *Dabitis Deo Israel gloriam.* Agnoscentes ab eo morbos, et mortem immitti, et ab eo salutem exspectantes. Vide Josue 7. 19.

Et a diis vestris. Probabile enim est non Dagon tantùm simulacrum, de quo dictum est cap. superiori, sed alia etiam idola in aliis satrapiis constituta arcæ adventu corruisse.

6. *Sicut aggravavit Ægyptus.* Nota erat Palæstinis historia, sive ex majorum traditione, sive ex narratione Hebræorum.

7. *Plaustrum novum.* Indignum enim judicabant arcam plaustro imponere, quod rusticis usibus deservisset. Idem fecit David, qui plaustro item novo arcam imposuit, cùm illam ex Cariathiarim transtulit in domum Obededom. 2. Reg. 6. 3.

Et duas vaccas fœtas. Hæc omnia eò spectant ut explorent an ab offenso Deo plagam ipsi, et agri vastitatem acceperint. Vaccæ fœtæ dicuntur quæ jam vitulos enixæ sunt.

8. *Vasa aurea.* Anos et mures aureos. Vas enim apud Hebræos latissimam habet significationem, * et arma, aut quælibet instrumenta significat. Vide Genes. 49. 5. Exod. 31. 7. Num. 1. 50.

9. *Et si quidem.* Usitatum fuit antiquis illis seculis ut homines certum inter se signum constituerent, ut ex eo cognoscerent quid facto opus esset. Juxta illud nonnunquam aperuit Deus quid fieri vellet, ut locum hìc habeat illud Proverb. 16. 33: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.*

13. *Metebant triticum in valle.* Quæ messis illis in regionibus fiebat circa Pentecostis festum mense maio; in eo enim festo primæ anni illius fruges offerebantur. Levit. 23. 16. Cùm arca fuerit in Philisthæorum regione menses septem, oportet illam captam mense novembri.

14. *Lapis magnus.* Qui altaris vicem implevit.

15. *Levitæ autem deposuerunt arcam.* Facile fuit advocare levitas; nam Bethsames ipsa una erat ex civitatibus sacerdotalibus, ut patet Josue 21. 16.

Obtulerunt holocausta. Putat Abulensis quæst. 18 Bethsamitas peccasse horum sacrificiorum oblatione. Rationes tres afferri possunt: 1. quòd vaccas sacrificaverint, cùm tamen victimæ e masculis tantùm offerri debe-

rent; 2. quòd ipsi, non sacerdotes obtulerint; 3. quod eo loco fas non esset offerre, sed tantùm in Silo, ubi tabernaculum. Possunt tamen non difficilè argumenta hæc dilui, si dicamus ad primum, tunc masculas victimas exigi, cùm aliud aut necessitas, aut rei adjuncta non suadebant. Hæ autem vaccæ divinitus actæ necessitatis illo articulo ad sacrificium aptæ visæ sunt. Ad secundum dicimus sacerdotes ex Bethsames urbe sacerdotali adfuisse. Ad tertium non semel ibi sacrificatum ubi tabernaculum non erat, cujus rei exempla attulimus alibi. Adde ibi fuisse arcam, cujus causâ sacrificia fiebant coram tabernaculo. Nec hujus sacrificii causâ aut reprehensos Bethsamitas, aut plexos habemus ex Scriptura.

18. *Secundum numerum urbium.* Quinque tantùm aurei mures oblati sunt; id enim fecerunt Philisthæi, quod eorum sacerdotes et divini præceperant : hi autem quinque fieri jusserant, ut habemus num. 5.

Ab urbe murata usque ad villam. Significatur tam muratas urbes, quàm villas aliquid contulisse, ut mures et ani aurei fierent.

Usque ad Abel magnum. Lapis ille dictus videtur Abel, quia אבל *Abel*, luctum, tristitiam, planctumque significat : quia ergo ibi magnus luctus excitatus est propter Bethsamitarum stragem, ideo loco אבל *Abel* nomen factum est. Sic Genes. 50. 11, locum ubi Ægyptii Jacob sepulturam funebri planctu prosecuti sunt אבל *Abel*, appellarunt. *Idcirco vocatum est nomen loci illius planctus Ægypti.*

Quæ erat. Pro *qui lapis erat:* τὸ *quæ*, licèt sit feminini generis, refert lapidem, quia vox אבל *Abel*, generis est feminini.

Usque in illum diem. Putat D. Hieronymus ex Hebræorum traditione super lapidem hunc Abraham sacrificasse, ideoque notatum esse a sacri textûs auctore lapidem illum post tot secula adhuc exstitisse.

19. *Eò quòd vidissent arcam.* Quam scilicet velis detractis, quibus obvolutam a Philisthæis acceperant, viderunt, quod a Domino vetitum fuerat Num. 4. 15, 19 et 20. Imò Emman. Sa et Mariana in ipsam arcam inspexisse putant; nam hebræa habent, *eò quòd aspexerant in arcam Domini;* vel, ut Pagninus vertit, *quia aspexerant, quæ erant in arca Domini.* Id verò ab illis factum, vel ex curiositate, ut tabulas legis viderent; vel studio cognoscendi num Philisthæi aliquid in arcam posuissent, sicut ad ejus latus aurea illa munera collocaverant, vel an aliquid sustulissent.

De populo septuaginta viros. Textus hebraicus sic habet, *et percussit de populo septuaginta viros quinquaginta millia virorum*, et sensus videtur esse ex quinquaginta millibus qui aderant, septuaginta cecidisse, quam explicationem sequitur Josephus lib. 6. cap. 11, Lyranus, et alii. Itaque cùm dicitur, *et quinquaginta millia plebis*, supplendum, *aderant*, aut ad hunc sensum aliqua alia ratione Vulgata nostra versio explicanda est; communior tamen, magìsque recepta sententia est septuaginta supra quinquaginta millia percussos interiisse.

CAPUT VII.

Deducitur arca in domum Abinadab in Gabaa; et Samuelis hortatu Israelitæ ad Dominum conversi Philisthæos vicerunt, orante pro illis Samuele.

1. IN *domum Abinadab.* Qui erat e levitico genere, ut ait Josephus, et opinione religionis et justitiæ celeber.

In Gabaa. Gabaa hebraicè collem significat, ideoque LXX pro Gabaa habent, βουνὸν, id est, *collem.* Sensus ergo est positam arcam in domo Abinadab in colle, intra tamen civitatem Cariathiarim, quod patet ex 1. Paral. 13. 6, ubi legimus : *Ascendit David, et omnis vir Israel ad collem Cariathiarim, etc., ut auferret inde arcam Domini .... de domo Abinadab.*

* *Eleazarum autem filium.* Abinadab jam decrepiti.

Sanctificaverunt. Destinarunt, addixerunt, vel consecrarunt, chald. *præfecerunt.*

2. *Multiplicati.* Quasi dicat, multis diebus illic mansit, scilicet per viginti annos.

Requievit. Hebr. *luxit*, id est, pœnitentiam egit. LXX, *reversa est.* Chald. *quieta fuit.*

Post Dominum. Sequendo Dominum.

3. *Auferte deos alienos.* Hæc causa, propter quam requievit domus Israel, quia scilicet adhortante Samuele, et populo monita faciente, cultus idolorum sublatus.

Baalim et Astaroth. Vide dicta Jud. 2. num. 11 et 12. Hisce nominibus idolorum, quæ in Syria et Palæstina erant frequentissima, deos deasque omnes infidelium intelligit.

5. *Masphath.* Convocatus est populus in Masphath,

quia eò ex omnibus Israelis partibus commodè conveniri poterat.

Ut orem pro vobis Dominum. Oravit, et sacrificavit Samuel, licèt non esset ex ordine sacerdotali, Deo ita inspirante. Vide dicta Lev. cap. 17. num. 3.

6. *Hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini.* Quâ cæremoniâ videntur significare voluisse affectum cordis et adhærendi Deo desiderium, quod in conspectu Domini orantes effundebant, vel detestationem idololatriæ quam penitus abjicere volebant, ita ut illius nullum superesset vestigium, nullæ reliquiæ, quod aptè effusio aquæ significat, cujus effusæ nihil vasi, quo continebatur, adhæret; secus ac fit in oleo, melle, aliisque hujusmodi liquoribus. Emmanuel Sa putat esse modum juramenti, quasi dicerent: Ita pereamus, ut aqua e vase fusa, si pactum cum Deo violaverimus.

Judicavitque Samuel filios Israel. Cum suprema potestate, ut reliqui judices, de quibus in libro Judicum.

7. *Ascenderunt....ad Israel.* Contra Israel.

9. *Obtulit illum holocaustum.* Vel per sacerdotem, vel per seipsum ex divina inspiratione, vel ut sacerdos extra ordinem vulgarium sacerdotum. Vide dicta Lev. 17. num. 3, et Serar. hoc cap. 7. q. 1.

Integrum. Angustiæ temporis, quas imminens hostis afferebat, tantæ fuerunt, ut agnum non diviserint in partes, ut moris erat, sed integrum, et fortasse cum pelle, pedibus et intestinis in flammas injecerint. Ita Salianus.

13. *Nec apposuerunt ultra.* Longo nimirum tempore; nam postea iterum cum Philisthæis pugnæ, de quibus infra.

14. *Redditæ sunt urbes.* Vel vi ablatæ, vel a Philisthæis sibi ab Israelitis timentibus redditæ.

Liberavitque Israel de manu Philtsthinorum. Jugum levius fecit tyrannidis eorum, adhuc tamen tributum Philisthæis pendebant, quod tandem sustulit David, de quo dicitur 2. Reg. 8. 1: *Percussit David Philisthiim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philisthiim.*

15. *Cunctis diebus vitæ suæ.* Ex quo colligitur eum post depositam reip. administrationem, novo rege inducto, non diu fuisse superstitem; vel dicitur judicasse toto tempore vitæ, quia vel solus judicavit, vel cum filiis vel cum Saule novo rege.

16. *Bethel, et Galgala, et Masphath.* Hasce obibat

civitates, et in illis diutius quàm in aliis subsistebat, ut jus diceret, omnesque ad officium faciendum, retinendamque veram religionem incitaret; commodiùs enim in illis urbibus populi conventus agere poterat, et ad eum Israelitæ faciliùs confluere.

17. *Ædificavit etiam ibi altare Domino.* Ut in eo hostias immolaret, cùm usus ferret. Hoc, ut sæpius dictum, ex divina dispensatione factum videtur.

CAPUT VIII.

Filiis Samuel avarè et injustè rempublicam administrantibus populus regem postulat. Samuel quàm dura sint regum imperia explicat, sed nihilominus perstat in sententia populus.

2. In *Bersabee.* Quæ est in finibus Israelis in parte australi. Filiorum gubernationi hanc partem attribuit, ut, quandoquidem ille circuire, ut priùs, non poterat provinciam senio impeditus, illi populo jus dicendo in partem oneris venirent.

3. *Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus.* Nullâ Samuelis culpâ, sed suo ipsorum vitio: quare nec a Domino, ut Heli, reprehensus, aut plexus est Samuel.

* 4. *Majores natu.* Tribuum primores.

5. *Sicut universæ habent nationes.* Hâc formâ loquendi leges illas respuisse videntur, quas regibus Israelitis Dominus indixit, Deut. 17, et barbaricum illum circumjectorum regum dominatum elegisse.

6. *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Meritò displicuit: 1. quia cùm Dominus populi israelitici rex et immediatus princeps esse vellet, ipsi contra Dominum quodammodo repudiabant; 2. quia regiam inducere conabantur potestatem, quam reges nimiam et immodicam facturi erant, ut ex iis, quæ num. 11 sequenti dicentur, apparebit; 3. quia ipse de rep. optimè meritus redigebatur in ordinem; electo enim regi subditus erat futurus.

Et oravit Samuel ad Dominum. Videtur senioribus respondisse se consulturum Dominum, et quod tulisset responsum, se illis cum fide relaturum.

* 7. *Audi vocem populi.* Aliud est velle ut aliquid fiat, aliud sinere fieri.

Non enim te abjecerunt, sed me. Utrumque abjecerunt, sed non tam te quàm me.

8. *Juxta omnia opera sua.* Consolatur Dominus Samuelem, docens postulatum populi non inde ortum, quòd ipse creditum sibi munus minùs diligenter, aut fideliter impleverit, sed ab innata ingenii levitate a die qua de Ægypto educti sunt multis experimentis cognita.

9. *Contestare.* Testans priùs Deum et homines.

Jus regis. Non hìc significatur quid reges jure possint, sed quid audeant.

11. *Ponet in curribus suis.* Aurigas faciet curruum suorum.

12. *Tribunos, et centuriones.* Prætorianos milites ad corporis sui custodiam destinatos.

13. *Focarias.* Coquinarias; nam LXX habent, μαγειρίσσας.

15. *Eunuchis.* Aulæ ministri eunuchi vocabantur, etiamsi secti non essent.

16. *Juvenes optimos.* Hebr. *bonos*, sed per bonos pulchros intellige, eleganti scilicet forma.

17. *Vosque eritis ei servi.* Ad summam servitutem redigemini.

18. *A facie regis vestri.* Propter regem vestrum, et tyrannidem, quâ vos opprimet, clamabitis. Chald. habet, *ab ante regem vestrum*, id est, clam eo; neque enim gemitus liber erit.

19. *Noluit autem populus audire.* Vulgus capitur inanibus, et mutationes amat.

20. *Egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra.* Hæc etiam fuit Israelitis occasio regis postulandi, ut scilicet eum in bello ducem haberent, præsertim cùm bellum Ammoniticum instaret, ut patet ex cap. 12 sequenti, num. 12, ubi Samuel sic populum alloquitur: *Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis.*

21. *Locutus est ea in auribus Domini.* Dominum consulens quid deinceps facto opus esset.

CAPUT IX.

Stirps Saulis, qui patris asinas quærendo pervenit ad Samuelem, a quo cognoscit se regem fore Israelis.

1. JEMINI. Id est, de tribu Benjamin. Chald. *ex tribu domûs Benjamin.*

2. *Electus et bonus.* Animi et corporis dotibus egregiè ornatus. * In græco est, εὐμεγέθης, procerâ corporis staturâ.

Ab humero et sursum. Facit proceritas corporis ad pulchritudinem et majestatem ; nam parvi concinni et eleganduli esse possunt, pulchri non possunt. Vide Arist. 4. Ethic. cap. 3.

3. *Asinæ Cis.* Illo ævo multus erat asinorum usus in Palæstina ; itaque ut boum armenta, ita asinorum alebantur, quorum multiplex erat usus, et proventus.

De pueris. Famulis.

4. *Salisa.* Hæc, Gen. 14. 3, dicitur Bale et Segor. Vide Hier. in Gen.

5. *In terram Suph.* In qua erat Ramathsophim.

6. *Vir nobilis.* Inclytus, cujus sapientiæ et prophetiæ fama vulgata est. In hebr. et chald. est, *honorabilis.* LXX, *gloriosus*, seu *illustris*, ἔνδοξος.

Sinè ambiguitate. Certissimè.

De via. De causa viæ.

7. *Quid feremus ad virum Dei?* Non tanquam divinationis pretium, sed ut munusculum in signum observantiæ.

In sitarciis. Sitarcia propriè est annona, et illa præsertim quæ militibus datur stipendii loco. Hic tamen sitarcium est pera in qua panem, caseolos, et hujusmodi ad victum in itinere necessaria ferebant : quare hebr. chald. et LXX habent, *in vasis.*

Sportulam. Sportula propriè fiscellam, aut cistam parvam significat : quia tamen in sportula de mensa mittebantur seu diarii cibi clientulis et salutatoribus, hinc sportula diurnum victum significat, et simpliciter accipitur pro munere, quia ferè munuscula, quæ inter amicos missitantur, de rebus sunt ad victum, et ut sic dicam, ad sportulam pertinentibus.

8. *Quarta pars stateris argenti.* Hebr. est, *quarta pars sicli*, quæ regali uni hispanico æquivalet.

* 11. *Puellas.* Mos illius ævi et illius gentis ut puellæ aquatum irent. Vide Genes. 24, 11, 15, 43, 45; Exod. 2. 16.

12. *In excelso.* Quia quo tempore hæc agebantur nullus erat locus in quo tabernaculum esset, aut domus Dei, quia licèt structura antiqui tabernaculi adhuc staret, erat tamen ab arca vacuum, quæ erat quasi forma et vita tabernaculi; arca verò a tabernaculo separata domus Dei appellari non poterat ; hinc fiebat ut nullus esset sacrificiis destinatus locus, sed in locis sublimibus sacrificarent, quæ Scriptura excelsa vocat : quæ consuetudo tenuit usque ad Salomonem, qui templum ædificavit. Itaque 3. Reg. 3. 2, legimus : *Attamen*

populus immolabat in excelsis : non enim ædificatum erat templum Domini usque in diem illum.

13. *Benedicit hostiæ*. Gratias agit Deo ante prandium de hostia pacifica factum, et solitâ aliquâ formulâ mensam consecrat. De qua consuetudine benedicendi mensæ diximus in nostris Œconomicis.

15. *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis.* Revelare aurem hebraica phrasi idem est quod revelare, aperire, indicare; sic cap. 20 hujus lib. num. 13, Jonathas ad David: *Revelabo*, inquit, *aurem tuam*, *et dimittam te.*

16. *Clamor eorum*. Populi mei, Israelitarum. * Superiori cap. num. 18, negaverat Dominus se auditurum populi clamorem, cùm clamaret *a facie regis*, scilicet duri nimis, ac violenti; sed non negavit se populo suo ab externis hostibus oppresso adfuturum, quod nunc facit.

18. *Portæ*. Urbis.

19. *Omnia quæ sunt in corde tuo*. Quæcumque optas, et ex me quærere vis.

20. *Optima quæque*. Regnum intelligit, quod hominum opinione optimum existimatur, et summum.

Tibi et omni domui patris tui? Promissio hæc regni Sauli et familiæ ejus facta, cum hac intelligenda est conditione: si divinis paruerit præceptis, quod ita accipiendum esse patet ex c. 13. n. 13, cùm ait Samuel: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.*

21. *Filius Jemini*. Idem est quod Benjamita, de tribu Benjamin.

De minima tribu Israel. Minima non solùm, quia orta ex Benjamin, qui minimus erat inter filios Jacob, sed multo magis quia propter bellum cum aliis tribubus, de quo Judic. 20, ad paucitatem erat redacta.

Novissima. Hebr. *minima*. Chald. *infirmissima*. LXX, *paucissima*.

22. *Triclinium*. Cœnaculum, locum convivio destinatum.

24. *Levavit*. LXX, ἥψησεν, *elixavit*, coxit. Alii cum vulgato nostro consentientes habent, ἦρεν, *levavit*, *tulit*.

Armum. De industria armum servari jusserat Samuel, et Sauli apponi, ut hoc symbolo intelligeret principum esse fulcire rempublicam; armus enim ea pars est corporis, quæ oneri supponi solet. * Videtur fuisse

armus sinister; nam dexter erat sacrificantis, Lev. 7. 32. Hic ergo armus portio erat ejus qui in convivio præcipuæ esset dignitatis, ac proinde regis, ubì is aderat: itaque hanc partem Josephus βασιλικὴν μερίδα, *regiam portionem*, appellavit.

25. *In solario*. In suprema ædium parte, quæ solarium dicitur, quia soli exposita. Ea fere plana erat, ut in ea diversari, fabulari, deambulare commodè liceret.

Stravitque Saul in solario, et dormivit. Fortasse tempus æstivum fuit, nec sinè conopæi, aut papillionis alicujus velamento; nisi dicere velimus rusticanis laboribus duratum Saul majores delicias respuisse, et sub dio, quod aliàs non semel fecisset, cubare voluisse.

27. *Transeat*. Aliquantulùm ante nos pergat, LXX, *transeat ante nos*.

CAPUT X.

Ungitur Saul in regem a Samuele: prophetat in choro prophetarum: sorte declaratur rex, plerisque gratulantibus, reliquis obloquentibus: lex regni in libro scripta coram Domino reponitur.

1. *LENTICULAM*. Est vas olearium in eam figuram conformatum, ut granum lentis referat. LXX vocant φακὸν, ex quo noster interpres videtur lenticulam appellasse, quia alioqui vox hæc vas apud Latinos non significat. Vox hebr. פך *phac*, sono consentit cùm φακῷ, et guttum, seu gutturnium significat, sive vas quodcumque, ex quo liquor exit; nam radix פכה *phacah*, exire significat.

Deosculatus est eum. Osculum potiùs ex benevolentia ortum, quàm a lege, sive consuetudine, quæ servari soleret cùm reges inaugurabantur.

2. *Juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin.* Rachel sepulta est in via quæ ducit Ephratam, quæ est Bethlehem: quamvis autem Bethlehem sit in tribu Juda, fieri tamen potuit ut illius sepulcrum non longè distans a Bethlehem esset in finibus Benjamin. Vel etiam dici potest τὸ *in finibus Benjamin* significare locum illum tribûs Juda, ubì sese duarum tribuum termini contingunt; id est, in ipso duarum tribuum confinio.

In meridie. Circa meridianum diei tempus. Vel ita loquitur, quia tribus Juda erat ad meridiem tribui Benjamin.

Quid faciam de filio meo? Quasi dicat, timeo ne mali aliquid illi acciderit.

3. *Ad quercum Thabor.* Non est mons Thabor; hic enim est in tribu Zabulon; sed aut nomen est viri, qui quercûs illius erat dominus, aut loci nomen est, in quo sita erat quercus. Quidam pro quercu quercetum habent, alii planitiem, quia hebræa vox ;אלון *elon*, utrumque significat. Sed D. Hieronymo consentiunt et LXX, et magis pertinet ad prophetiæ certitudinem unicam arborem præmonstrari.

Ascendentes ad Deum in Bethel. Ut enim dixi cap. superiori, n. 12, sacrificabatur eo tempore in excelsis, et Bethel jam inde a tempore Jacob locus religiosus censebatur, ut nomen ipsum ostendit, quod domum Dei significat.

Tres tortas panis. Videntur fuisse panes vel in extremitate contorti, vel aliqua alia ratione. Isidor. 20. Etymol. cap. 2, declarans crustulum diminutivum nomen a crusta, qui sit panis oleo conspersus, in medio concavus et tortus, *hæc*, ait, *et torta panis.* Videtur torta panis esse Isidoro id quod appellamus italicè *ciambella.*

5. *In collem Dei.* Probabilior sententia est collem hunc Dei esse Gabaa; nam supra diximus Gabaa collem significare. Videtur *collis Dei* appellata, quòd in ea esset collegium prophetarum, de quo mox dicetur.

Ubi est statio Philisthinorum. Militare præsidium Philisthinorum ad continendos in officio Israelitas institutum. In conditionibus enim pacis nuper inter Hebræos et Philisthæos initæ, ita urbes restitutæ sunt Hebræis, ut præsidium in Gabaa et fortasse in aliis etiam locis relinqueretur.

Gregem prophetarum. Prophetæ in sacris litteris illi vocantur aliquando, qui divinis laudibus decantandis addicti sunt, ut patet ex 1. Paral. 15. 22 et 24, eodemque lib. cap. 25. num. 1. Horum autem cantorum quædam erant instituta collegia, ut in illis ad Dei laudes concinendas exercerentur, quale collegium fuit in colle Dei, sive Gabaa.

Psalterium. Hebr. est *nablum*, נבל, sic et chald. et LXX, quanquam psalterium non vento pulsatur, ut nablum, sed digitis, plectrove. Vide Pagninum in radice נבל.

Prophetantes. Cantantes.

6. *Spiritus Domini.* Sensus quidam pietatis a Deo immissus, quo movearis, et facultas, qua possis divinas laudes cum prophetis illis canendo exsequi.

Mutaberis in virum alium. Ex rustico scilicet, et pecudum custode psaltes factus, qui non incongruè prophetantium choro possis adjungi.

7. *Quæcumque invenerit manus tua.* Quidquid ex usu esse cognoveris, ut creditum tibi munus principis impleas.

9. *Cùm avertisset humerum suum.* Ut ii faciunt qui jam abeunt.

Immutavit ei Deus cor. Animum regium, et principis muneribus parem inspiravit, confirmans illum *spiritu principali*, ut loquitur S. David.

10. *Insiluit super eum spiritus Domini.* Explicatum est hoc num. 6.

11. *Heri et nudius tertius.* Qui antea illum noverant.

Num et Saul inter prophetas? Quasi dicerent, res planè admirabilis, et prodigio similis.

12. *Et quis pater eorum?* Quis eorum magister? (magistri enim Scripturarum phrasi patres dicuntur), quasi dicat: quemadmodum ergo reliqui Deo magistro in laudes Dei, et aliquando in prophetiam rerum occultarum divinatricem erumpunt, ita Saul eodem doctore idem potest. Vel sensus est, non mirum si Saul rusticanis parentibus natus in prophetarum choro canit, cùm et ipsi prophetæ non nobilioribus, aut doctioribus parentibus, quàm Saul orti sint, quia scilicet prophetandi spiritus et facultas ab alio, quàm a parente derivatur.

13. *Ad excelsum.* In Gabaa.

16. *De sermone autem regni non indicavit.* Veritus ne fortè aliquâ invidiâ tangeretur, etiamsi consanguineus esset, ut notat Josephus, et assentitur Abulens. Alii tacuisse volunt ex humilitate; alii, ut fidem secreti Samueli servaret.

17. *Convocavit Samuel populum.* Ut jam divina voluntate explorata super negotio regis constituendi responsum daret. Dicitur convocasse ad Dominum, non quòd ibi arca esset, sed quia omnis locus in quo aliquis specialis cultus Deo exhibetur, vel ad quem aliqui religionis causâ adibant dicebatur esse coram Domino, ut ait Abulens. q. 17.

In Maspha. Quem in locum populum de re aliqua deliberaturum convenisse non semel habemus ex sacris litteris. Vide Judic. 20. 1. Eo in loco celebre oratorium fuisse discimus ex 1. Machab. 3. 46, *quia*, inquit, *locus orationis erat in Maspha ante in Israel.* Bene autem locus orationis eligitur ad peragenda comitia, quæ divino spiritu dirigente indigent. Porro Maspha sita erat

in confinio Benjamin et Juda, non longè a Cariathiarim, ut ait D. Hier. cui consentiens Adrichomius trium horarum iter interjicit.

19. *Projecistis Deum vestrum.* Quomodo hoc intelligendum sit patet ex supradictis cap. 8. num. 6 et 7.

State coram Domino. Modus hic loquendi aut orationem significat, aut religiosum aliquod opus, quod ab eo suæ voluntatis significationem imploret.

Per tribus vestras, et per familias. Sic Jos. cap. 7. num. 14: *Accedetisque manè singuli per tribus vestras, et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros.*

* 20. *Cecidit sors.* Dei providentia sortes gubernavit. Mos fuit aliquarum gentium ut magistratus et sacerdotia sorte obvenirent. Virg. 2. Æneid.

Laocoon lectus Neptuni sorte sacerdos.

22. *Consuluerunt post hæc Dominum.* Qua ratione non explicatur. Fortasse id factum est per summum sacerdotem (quem adfuisse par est credere in tanti momenti negotio), applicato ephod, de qua re dicetur infra, cap. 23. num. 9.

Absconditus est domi. Hebræa habent, *inter vasa*, hoc est, inter domesticam supellectilem modestè et prudenter, ut appareret vocante Domino, non malis artibus et ambitu ad regnum venisse.

24. *Certè videtis.* Laudat Samuel novum regem ab externa specie, quæ in omnium incurrebat oculos: nam animi dotes latebant.

* *Vivat rex!* Vivere hic et alibi est prospere agere.

25. *Legem regni.* Qua tam regi quàm populo reip. forma proponeretur. Vel qua mutua regis et subditorum officia continerentur. Vel etiam lex regni vocantur acta ipsa comitiorum, quibus ad regnum Saul evectus est.

Scripsit in libro. Qui jam non exstat.

Reposuit coram Domino. In tabernaculo, in quo etiam asservabantur pondera et mensuræ, quæ leges quodammodo sunt, quæ rerum quantitatem explorant.

26. *Pars exercitûs.* Qui necessarius erat propter ingruens Ammoniticum bellum.

Quorum tetigerat Deus corda. Quos divinus spiritus ad obsequium illud novo regi exhibendum impulit; alioqui enim Saul nondum in regni possessione confirmatus cogere recusantes non facilè poterat.

27. *Filii... Belial.* Vide supra dicta cap. 1. n. 16.

Dissimulabat se audire. Prudenter, ne scilicet cogeretur ab illis sumere supplicium, quod eo tempore sinè turbis, quæ multùm reip. incommodarent, fieri non poterat.

CAPUT XI.

Saul exercitum cogit adversus Ammonitas et de illis victoriam reportat; liberat Jabesgalaad et iterum rex inauguratur in Galgalis.

2. *ERUAM omnium vestrûm oculos dextros.* Id eo consilio faciebat barbarus, ut ad bellum omnino ferè essent inepti; sinistrâ enim clypeum gestabant, cujus objectu oculi sinistri usum minùs habebant expeditum: itaque effossis dexteris oculis perinde erat ac si eseent cæci. Nolebat omnino cæcos facere, quia oneri tantùm, nec ad servorum ministeria utiles fuissent. Ita Josephus, Theodoretus, et alii. Videtur etiam Naas voluisse oculos dexteros eruere, ut effossio illa oculorum oris esset dehonestamentum; sic enim ait: *Ponam vos opprobrium in universo Israel.*

3. *Ad universos terminos Israel.* Nulla regis fit mentio, ut putat Abulensis, quòd Saul ut rusticanus contemneretur. Vel quia melius videbatur consilium mentionem regis non inducere, ut Naas faciliùs improvida securitate lactarent, quasi negotium esset cum ovibus pastore destitutis.

Egrediemur ad te. Ut in tua simus potestate.

5. *Sequens boves de agro.* Olim ipsorum etiam imperatorum manibus agri colebantur. Videtur potiùs Saul aratorem egisse, quam bubulcum, cujus rei conjecturam habemus ex ipso textu, num. 7, ubì dicitur: *Et assumens utrumque bovem.* Videtur enim absoluto rustico opere cum bobus aratoribus rediisse domum.

6. *Insilivit spiritus Domini in Saul.* Zelus pro patriæ defensione, et fortitudinis a Domino immissus.

7. *Concidit in frusta.* Factum levitæ imitatur, qui cadaver uxoris in duodecim partes dissectum ad tribus miserat, Judic. 19. 29. Erat hoc Sauli domesticum exemplum; nam factum illud fuerat in Gabaa patria Saulis, in qua tunc degebat.

Sic fiet bobus ejus. Additæ minæ iis qui bellum detrectassent, ut vel amor patriæ, vel privatum damnum omnes commoveret.

Invasit

Invasit ergo timor Domini populum. Dominus spiritum timoris, obedientiæ et obsequii erga principem populis immisit, quo eorum inclinavit animos, ut jussa regis facerent.

Quasi vir unus. Unanimi consensu vel omnes ad unum.

8. *In Bezech.* Civitas est in qua Adonibezech ille regnavit, cujus mentio Judic. 1. num. 5. Idem enim est Adonibezech quod *dominus Bezech.*

9. *Et dixerunt.* Saul scilicet, et Samuel qui erat in castris, ut patet ex versu 7.

Cras erit vobis salus. Significant se adfuturos cum exercitu die consequente reditum nuntiorum Jabes.

Cùm incaluerit sol. Circa meridiem.

10. *Mane exibimus ad vos.* Dissimulant exspectationem auxilii, ut metu solutos Saul hostes inveniat.

11. *Media castra.* Media vocat respectu suorum, qui hostem eodem tempore ad dexteram et ad sinistram invadebant.

In vigilia matutina. Extrema noctis parte, quæ quarta vigilia dicitur, vel vigilia matutina, quia matutinum tempus et auroram antecedit.

Reliqui autem. Qui scilicet mortem evaserant.

Non relinquerentur in eis duo pariter. Dissipatis omnibus, metu consternatis, et singulis, ut sibi consulerent, in diversa fugientibus.

12. *Et ait populus ad Samuelem.* Jam re bene gesta a Saule crescit illius existimatio, et populus ad cædem postulat contumaces.

13. *Quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.* Non est tam læta dies, tam eximio Dei beneficio insignis, cujusquam cæde funestanda.

14. *In Galgala.* Elegit Samuel Galgala, quia urbs illa una erat e tribus conventibus ubi jus dicere, et vocare populum consueverat Samuel, ut publica dignitas in conventu publico vel traderetur, vel confirmaretur.

Innovemus ibi regnum. Electionem factam confirmando, victimas Domino mactando, et, ut probabile est, solemni cæremonia novum regem inungendo: quare illum statim cap. seq. num. 3, vocat christum Domini, id est, unctum, quod non de privata, sed de publica unctione accipiendum videtur.

CAPUT XII.

Samuel populi judicio probatus innocens; Israelem ingratitudinis arguit datis e cœlo signis, hortaturque omnes ut Deo constanter adhæreant.

2. *Et nunc rex graditur ante vos.* Jam rex constitutus est : ego privatus sum; jure ergo mecum quilibet agere potest, et si quid tractando rempub. peccavi, arguere potest, et per principem pœnas repetere.

Porro filii mei vobiscum sunt. Quasi dicat, si senectus vitam abstulerit, superstites sunt filii, quos pro me vobis satisfacere cogatis; vel sensus est : ecce filii mei, quos accusatis, apud vos sunt, non subterfugiunt judicium; rationem reddere possunt administrationis suæ, ætatem habent, ipsi pro se loquentur. Me autem num parati estis arguere?

Ecce præstò sum. Rationem administratæ reipublicæ redditurus. * De magistratu abiens, censuræ, quam ferre non tenebatur, ultro se subjicit, et optimæ conscientiæ fiducia accusatores provocat.

3. *Loquimini de me.* Si quid est quod me accusare velitis.

Coram christo ejus. Saule in regem inuncto. * Hæc agi voluit Samuel coram rege novo, non solùm ut ipse innocens probaretur, sed etiam ut formam reip. bene administrandæ Sauli poneret ob oculos.

Contemnam illud. Facillimam illius jacturam existimabo, libenter carebo re illa, vobisque restituam.

6. *Dominus, qui fecit Moysen.* Imperfecta est oratio: ut sensus constet subintelligendum videtur, *adest*, *et est testis.*

7. *Ut judicio contendam.* Conscientiâ fretus, et testificatione populi, qua innocens, et ab omni crimine purus fuerat pronuntiatus, audenter pro bono patriæ suos Israelitas alloquitur.

De omnibus misericordiis Domini. Memorans divina beneficia in vos collata, pro quibus contumaciam, idololatriam et alia scelera rependistis.

9. *In manu Sisaræ.* Vide Judic. 4. 2, et ibi notata.

Magistri militiæ Hasor. Magistri militiæ Jabin regis chananæi, qui regnavit in Hasor.

11. *Jerobaal, et Badan.* In hebr. est, *Bedan*, quasi filius Dan, quod de Samsone intelligitur, qui fuit ex ea tribu.

13. *Nunc ergo præstò est rex vester.* Aliquid hìc subamarum et ironicum agnoscit S. August. in psal. 51, initio, quasi in caput suum malum sibi ultro accersivissent.

14. *Exasperaveritis os Domini.* Os Domini exasperatur, cùm provocatur ad iracundiam : qui enim irati sunt, faciem exasperant, et vultum tristem et minacem induunt. LXX habent, μὴ ἐρίσητε τῷ ϛόματι κυρίȣ, id est, *non contenderitis contra faciem Domini*, quod bene consentit cum nostra editione : qui enim cum alio contendit, os ejus exasperat, et sæpe ad iracundiam illum provocat. Idem significat *exasperare sermones* (quod habemus infra, num. 15); qui enim irascuntur facie et voce asperiore utuntur in eos contra quos commoti sunt.

Sequentes Dominum Deum vestrum. Quasi dicat : Deus erit rex vester, ut priùs, et more ducis ante vos ibit, vosque sub ejus tutela securi degetis.

15. *Exasperaveritis sermones ejus.* Vide dicta versiculo præcedenti.

17. *Numquid non messis tritici est hodie?* Quo tempore pluviæ nullæ esse solent in Palæstina. Vide D. Hieron. ad cap. 4 Amos in illa verba : *Ego quoque prohibui vobis imbrem.*

Voces. Tonitrua.

Et scietis. Hoc enim signum a Deo dari postulo, ut sit testificatio divina hujus, quam nunc eloquor, veritatis : quòd scilicet malè feceritis, cùm regem postulastis.

19. *Timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem.* Dominum, cui tonitrua, imbres, et tempestates famularentur ; Samuelem, qui illa tam facilè impetraret.

Dominum Deum tuum. Non dicunt nostrum, quia se illum offendisse sciebant.

21. *Post vana.* Idola, deos vanos et falsos, quibus nullum verum numen inest.

22. *Propter nomen suum.* Propter famam et honorem suum.

CAPUT XIII.

Victi a Saule Philisthæi maximo apparatu adversus Israelem armantur. Territi Hebræi in antris latitant. Saul, quia non exspectato Samuele holocaustum obtulit, reprobatur a Domino.

1. *FILIUS unius anni erat Saul.* Innocens scilicet, et purus, ut infantes esse solent. Alii explicant, unus annus intercessit ab unctione usque ad confirmationem regni, de qua extremo c. 11 dictum est, et duo deinde anni lapsi sunt usque ad bellum de quo hic agitur; sic ferè explicant rabbini.

Duobus autem annis regnavit super Israel. Quæstio valde dubia est, quot annis Saul regnaverit, cùm hic duo anni tantùm illi tribuantur; Actor. verò cap. 13. num. 21, anni 40. Aliqui ut verba sonant tradunt 40 annis regnasse. Ita S. August. lib. 18 de Civit. Dei, cap. 20, et lib. 17. cap. 7; Salmeron Prolegom. 14. Alii communiter 40 hos annos ex annis Samuelis et Saulis conflari putant. Alii multi ita interpretantur verba nostri textûs, ut dicatur duobus annis regnasse, scilicet in sua illa puritate et innocentia. Sanchez, quòd duobus annis regnaverit solus; nam reliquo tempore præcedenti Samuel adhuc superstes administrationis reipublicæ particeps fuit : quæ sententia est etiam Montani, Mercatoris, Adrichomii, et aliorum. * Genuinus sensus sacri textûs ille videtur esse quem attulimus, ut scilicet biennio regni exacto, contraxerit copias illas militares, de quibus versiculo secundo sequenti.

3. *Stationem Philisthinorum.* De qua supra, cap. 10. num. 5.

Audiant Hebræi. Hæc fortassis fuit solemnis præconum formula, cùm aliquid populo principis nomine proponerent. Non dissimilis habetur Dan. 3. 4 : *Præco clamabat valenter : Vobis dicitur populis, tribubus, et linguis, etc.* Sententia est, audiant Hebræi quæ sequuntur, hoc est, *percussit Saul stationem Philisthinorum, etc.*

4. *Clamavit ergo populus.* Quid clamaverint incertum; fortasse, ut Judic. 7. 20, clamarunt Israelitæ, *Gladius Domini et Gedeonis*, ita simili aliquâ formulâ bene ominati sunt regi suo Saul.

5. *Triginta millia curruum.* Fortasse Philisthæis cum copiis auxiliaribus aderant Tyrii : hinc tanta curruum

multitudo. Certè in bello, quod cap. 7 narratum est, Tyrii suppetias Palæstinis tulerunt, ut patet Ecclesiast. 46. 21, cùm dicitur: *Et contrivit principes Tyriorum, et omnes duces Philisthiim.* Lyranus ita interpretatur hunc locum, ut dicat fuisse triginta millia militum e curribus pugnantium, cui consentit Dionysius, et Salianus. Res minùs mira videbitur reputanti Salomonem habuisse *quadraginta millia præsepia equorum currulium, et duodecim millia equestrium.* 3. Reg. 4. 26. * Vide quæ diximus de rep. Hebræorum lib. 6. cap. 11. q. 8.

Bethaven. Sic dicta, ut putant quidam, Bethel ob idolorum cultum. Significat autem *domum vanitatis*, aut *iniquitatis.* Id quod alibi verum puto, inquit Emmanuel Sa, sed hìc ipsam intelligo Bethaven diversam a Bethel.

6. *Absconderunt se in speluncis.* Quæ frequentes illis in regionibus. Sanè David in speluncis delituit, 1. Reg. 24. 4, et Josue, cap. 10. 16, quinque reges e speluncis, in quibus se absconderant, extraxit.

Abditis. Hebr. et chald. *munitionibus.*

Petris. Chald. *foraminibus petrarum.*

Antris. Hebr. *turribus.* Chald. *speluncis rupium.* LXX, *foveis.*

Cisternis. Ab aquis nimirum vacuis, quæ abscondendis hominibus aptissimæ sunt.

7. *Hebræi autem transierunt Jordanem.* Hos, qui Jordanem transierunt, Hebræos potiùs, quàm Israelitas vocasse videtur sacer textus, ut esset quædam allusio ad significationem vocis hebrææ quæ *transitorem*, græcè, περάτην, significat.

Adhuc. Scilicet a tempore innovati regni.

8. *Exspectavit septem diebus juxta placitum Samuelis.* Id est, juxta præscriptum tempus: juxta id, quod illi cum Samuele convenerat, cap. 10. 8.

9. *Afferte mihi holocaustum.* Lyranus et alii putant Saulem peccasse sacerdotale munus sibi negatum usurpando. Negat Abulensis, et Cajetanus, quia cùm hoc esset gravius peccatum quàm septem integros dies non exspectare, sanè illud propheta non tacuisset. Nec est necesse dicere per seipsum sacrificasse, sed per sacerdotes quos habebat in castris.

13. *Stultè egisti.* Peccatum Saulis in eo positum fuit, quòd toto illo temporis spatio, quo jussus fuerat, Samuelem non exspectasset. Nec exiguum peccatum fuit non paruisse, quia, ut inquit Samuel eumdem Saulem allo-

quens infra, cap. 15. 22: *Numquid vult Dominus holocausta, et victimas, et non potiùs ut obediatur voci Domini?* Adde (quod notavit Isidor. Pelusiota epist. 181) ad sanciendam legum suarum disciplinam graviter Dominum eos plectere consuevisse, qui in aliquo genere primi peccant, ut Ananiam et Saphiram voti violatores, Actor. 5, et eum qui ligna colligens sabbati legem recens latam non servavit, Num. 15. 35. Vide quæ dixi Hieropolit. l. 3. cap. 4. num. 4.

Præparasset Dominus regnum tuum. Præparare regnum idem est, quod stabilire et confirmare; hoc enim significat verbum hebraicum כּוּן *cun:* sic Prov. 8. 27, dicitur: *Quando præparabat cœlos, aderam*, id est, quando fundabat. Non videtur adhuc Saul per hæc verba rejectus omnino a Domino, sed minæ tantùm intentatæ, nisi pareret in posterum: comminatio autem ad effectum deducta est, cùm rursus Domini dicto minùs obediens, a Samuele audivit: *Projecit te Dominus, ne sis rex super Israel*, cap. 15. 26, vide Abulens. quæst. 11.

Super Israel in sempiternum. Verùm quia Dominus prævidit vitio suo Saulem regnum amissurum, non servatis conditionibus quibus illud acceperat, tantò ante Jacob vaticinatus est, Genes. 49. 10: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec, etc.*

14. *Præcepit ei Dominus.* Præcepturus est. De re futura loquitur Samuel tanquam de præterita, ut non infrequenter solent prophetæ.

15. *Obviam populo.* Philisthæorum scilicet.

16. *In Machmas.* Machmas non procul aberat a Gabaa, in qua vires et castra conjunxerant Saul et Jonathas, ut patet infra ex cap. 15. 5.

17. *Contra viam Ephra. Meridiem versùs*, ut ait chaldæus paraphrastes. At si hæc Ephra eadem est cum ea in qua habitavit et sepultus est Gedeon, in septentrionem dicendum fuit, ut notat Salianus; erat enim ea urbs in tribu Manasse cis Jordanem, ut D. Hier. in Locis hebraicis, et Adrichomius in tribu Manasse num. 31 volunt.

18. *Porro alius ingrediebatur per viam Bethoron.* Id est, occidentem versùs; hic est enim situs inferioris Bethoron ratione Machmas juxta Adrichomium in tabula tribûs Ephraim.

Ad iter termini imminentis valli Seboim. Id est, versùs orientem. Seboim socia fuit Sodomæ et Gomorrhæ, unde hæc vallis nomen accepit.

19. *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni*

terra Israel. Cùm ad eam diem servissent Hebræi Philisthæis, horum jussu caruerant fabris, qui nondum erant restituti.

20. *Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim*. Fortasse ad ea loca ubì stationes, sive præsidia Philisthinorum erant in Israelitarum oppidis.

22. *Non est inventus ensis*. Cùm tamen facilè sibi ex præcedentibus victoriis parare potuissent. Non dicitur omnes Israelitas ensibus caruisse, sed eos qui erant cum Saule; hi autem tantùm erant sexcenti viri, quos fortasse Dominus inermes esse permisit, ut luculentior esset victoria. Crediderim etiam plerosque milites qui Sauli adhæserant fuisse ex Gabaa, quæ illis cum Saule communis erat patria. Gabaitæ autem fundâ jaciendis saxis plurimùm valebant, Jud. 20. 16; quare non improbabile eos alia armorum genera neglexisse, ut postea David cum Goliath pugnaturus. Quamvìs autem enses non haberent Israelitæ, aliis tamen telis non caruerunt, et rustica etiam instrumenta ad usum belli facilè convertere potuerunt.

23. *Egressa est autem statio Philisthiim, ut transcenderet in Machmas*. Statio Philisthiim significat tota ipsa castra stativa Philisthæorum, qui territos animadvertentes Hebræos, a loco, in quo priùs consederant, progressi, castra locarunt inter Machmas et Gabaa Benjamin, eo consilio ut Saulem in Gabaa obsiderent, et cum urbe ipsum caperent, et occiderent.

CAPUT XIV.

Jonathas armigero suo comite Philisthæorum stationem aggreditur, cædit et dispergit. Verùm post victoriam melle contra parentis prohibitionem, quam ignorabat, degustato, vix mortem evadit.

1. QUADAM *die*. Non accipitur hic dies prout a nocte distinguitur; nam Josephus, et Abulensis, et alii putant Jonatham nocturnum captasse tempus, ut tentaret aliquid contra Philisthæos.

2. *In extrema parte Gabaa*. Loco non parum dissito ab eo in quo Jonathas morabatur.

Sub malogranato. Certo quodam loco, cui erat nomen a malo granato, ibi tentorium suum habebat Saul. Videtur locus hic ille idem, in quo Judic. 20. 47, sexcenti viri consederant; erat enim prope Gabaa, et dicebatur *Petra Remmon*, id est, *collis*, aut *scopulus mali granati*.

3. *Portabat ephod.* Pontificale scilicet. Achias alio nomine dicebatur Achimelech, eratque filius Achitob, filii Phinees, filii Heli.

4. *Nomen uni Boses.* Quæ vox significat *flos in eo*: locus fortasse floribus abundans. Rupes hæc ex Adrichomio vertice suo vergebat in meridiem, et respiciebat Gabaa.

Nomen alteri Sene. Quæ vox *rubum* significat : ibi fortasse rubi et spinæ : hujus scopuli vertex prominebat ad aquilonem, et obversus erat ad oppidum Machmas, eodem Adrichomio auctore.

6. *Transeamus ad stationem.* Temerarium consilium, nisi Deus inspirasset, cui, ut ipsemet loquitur Jonathas, *difficile non est salvare in multis, vel in paucis.* * Dictum hoc frequenter usurpatum in sacris litteris. Vide 2. Paral. 14. 11, et 1. Machab. 3. 18, et 2. Machab. 15. 27; exempla verò habemus Jud. 7. 7, infra, cap. 17. 47, 2. Paral. 25. 8, similis etiam sententia Psal. 146. 10.

9. *Si taliter locuti fuerint.* Cùm Jonathas non omnino certus esset an incitatio illa animi divinitus esset immissa, signum statuit, et omen captat, ex quo certior fiat de divino motu. Hujusmodi signis edoceri quid facto opus esset postulasse viros sanctos et sapientes discimus ex Scripturis. Sic servus Abraham, Genes. 24. 14, Gedeon, Judic. 7. 11. Credibile etiam est Deum, qui mentem illi injecerat ut ad Philisthæorum castra ascenderet, etiam ut signum noscendæ divinæ voluntatis constitueret suggessisse.

12. *Ostendemus vobis rem.* Cùm viderent Philisthæi Jonathan huc et illuc errantem, quasi aliquid quæreret, illi cum irrisione dicunt : Venite ad nos, et ostendemus id quod tanto studio quæritis, nempe mortem; vel sensus est : audite, habemus enim quod vobis dicamus.

13. *Ascendit autem Jonathas.* Non in conspectu Philisthæorum, sed ex aliqua alia parte, ut cum Josepho alii nonnulli sentiunt.

Alii cadebant ante Jonathan. Timore divinitus immisso consternatos facilè potuit Jonathas cum armigero suo viginti illos viros opprimere.

14. *In media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.* Videtur legendum *quod*, ut referatur ad jugerum, et non ad partem ejus; id enim, quod possunt arare boves uno die, est integrum jugerum.

15. *Miraculum.* Vox hebraica חרדה *charadah*, stuporem, tremorem, trepidationemque significat.

In castris, per agros. Hebr. est, *in castris, in agro*, id est, tam in castris quàm in agro. Vel sensus est, in castris, quæ erant in agro.

Obstupuit. Hoc est, quod paulò ante miraculum appellavit.

Conturbata est terra. Putat probabiliter Salianus significari terræ motum quo terra concussa sit ad terrendos Philisthæos.

Quasi miraculum a Deo. Ex hebræo verti potest, *in miraculum Dei*, seu *in trepidationem*, aut *stuporem Dei*: stupor Dei dicitur phrasi Scripturæ stupor magnus, ut cùm dicitur *montes Dei*, *cedri Dei*, id est, montes excelsi, cedri valde proceræ. Particula *quasi* non tam similitudinem significat quàm veritatem, ut dicitur 1. Petr. 2. 13, *sive regi quasi præcellenti.* Italicè, *come a quello, che ha dignità più sublime.*

18. *Applica arcam.* Idem est quod alibi dicitur, *applica ephod*, hoc est, induere ephod, et ad arcam accede, et consule Dominum. Quomodo ederentur oracula sciscitantibus pontificibus incertum est. Alii quæstioni in scheda inscriptæ responsum divino miraculo subscriptum apparere : alii ad sacerdotis aures sonum quemdam accidere, quo quid facto opus esset indicaretur : alii in sardonyche, qui erat ad humerum dextrum pontificis, splendorem apparere solitum, quo Numinis præsentia, et prosper eventus significaretur.

19. *Contrahe manum tuam.* Extenderat enim manus ad orandum. Jubet absistere ab orando, quia angustiis temporis excludebatur, et fortasse quia timens Jonathæ statim in pugnam descendendum putavit.

20. *Versus fuerat gladius uniuscujusque.* Laborabant enim ἀκρασία, vel potiùs ἀκρίσια, ne inter hostes et suos discernere possent.

21. *Hebræi qui fuerant cum Philisthiim.* Vel transfugæ, vel captivi, aut servi. Servos fuisse, et diu apud Palæstinos servitutem servisse, indicat illa phrasis, *ab heri et nudius tertius*, quæ diuturnitatem aliquam temporis significat. Fecerunt Hebræi quod in classibus usu venit; cùm enim turcica triremis capitur a christianis, captivi christiani remigio addicti in Turcas insurgunt.

24. *Maledictus vir.* In hac adjuratione pœna capitis videtur fuisse proposita ei qui contra fecisset, quod patet ex periculo Jonathæ, de quo paulò post.

Comederit panem. Cujusvis generis prohibitus cibus, ut patet ex facto Jonathæ qui cùm mel comedisset, contra adjurationem fecisse censebatur. Potus non vide-

tur interdictus, quia brevior in bibendo mora, et urgentior illius necessitas æstu et pugnâ fatigatis. Inconsultè, nec sinè culpa Saulem adjurationem illam interposuisse plurium tenet sententia, quæ est etiam LXX interpretum, qui habent, *magnâ laborans ignorantiâ maledixit*. Abulensis tamen, Cajetanus, Serarius, et Salianus Saulis præceptum justum fuisse volunt, quòd rationi consentaneum esset omnes præcidere occasiones moras nectendi, quòdque viris duris et militaribus non adeo difficile esset et violentum jejunium ad vesperum usque producere.

25. *Erat mel super faciem agri*. In cavis enim arborum truncis mellificaverant apes.

27. *Illuminati sunt oculi ejus*. Caligabant enim præ inedia.

28. *Defecerat autem populus*. Ἐξελύθη ὁ λαὸς, ut habent LXX, *dissolutus est populus*, *elanguit* propter jejunium.

29. *Turbavit pater meus terram*. Chald. *populum terræ*.

32. *Comeditque populus cum sanguine*. Quod vetitum erat Gen. 9. 4: *Carnem cum sanguine non comedetis*, quod idem prohibetur Lev. 17. 14, et Deut. 12. 16.

34. *Et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine*. Sensus est: legitimè occidetis, sanguinem in terram fundetis, atque ita jam non peccabitis, ut fecistis.

35. *Ædificavit autem Saul altare Domino*. Ut in eo offerrentur sacrificia pro re feliciter gesta, et ut altare illud posteris monumentum esset victoriæ divino beneficio adeptæ.

Primùm cœpit ædificare altare. Nam licèt cap. præcedenti legatur sacrificasse, illud tamen altare non ab ipso, sed ab aliquo alio constructum fuerat.

36. *Sacerdos*. Id est, pontifex, summus sacerdos.

Accedamus huc ad Deum. Quasi dicat: placet consilium tuum, sed Dominum consulamus.

38. *Universos angulos populi*. Principes populi, qui ut anguli domorum fabricam; ita ipsi rempublicam faciunt. D. Chrysost. interpretatur *tribus populi*. Lyranus, Abulensis, et Serarius castrorum extrema, quasi præcipiat ut omnes adsint, etiam qui in extremis erant castris. Ex Domini silentio orta Sauli suspicio, ne propter alicujus peccatum universo Israeli iratus esset, ut quondam Josue 7, propter peccatum Acham.

41. *Da sanctitatem*. Quasi dicat, ostende nos innocentes, vel sensus est: da signum quo significes te

amare sanctitatem, et culpam abominari. Da etiam sanctitatem, ut scilicet eo qui peccavit sublato, populo tuo sanctitas, a qua excidit, reddatur. Sanchez putat Saul bene precari populo, quasi dicat, ignosce illi, aut viam ostende qua expiari possit.

Deprehensus est Jonathas. Licèt peccatum esset a Saule, cùm comedenti maledixit, ut supra diximus, Dominus tamen ad sanciendam eam quæ principibus debetur obedientiam, per sortes Jonatham indicavit. Adde voluisse hoc exemplo docere quæ vis esset parentum exsecrationum et maledictionum, quas culpæ non affinibus filiis aliquando noxias fuisse legimus. Ex quo etiam intelligimus verum esse illud, quod dici solet, Anathemata etiam injusta esse timenda. Tandem ut Saul in periculo filii, quem unicè diligebat, puniretur: quis enim fuerit Saulis dolor, cùm Jonatham destinatam morti victimam videret, ob inconsultam illam suam, ac præcipitem adjurationem!

Populus autem exivit. Non ab urna, sed a periculo: a sortibus absolutus fuit.

43. *Et ecce ego morior.* Quasi dicat: Itane ex tam levi causa moriar? Cajetanus duplex in Jonatha peccatum deprehendit. Primò quia audito patris cum adjuratione atque exsecratione mandato, factum suum nihilominus probavit. Deinde quia ausus est tacente et non reclamante populo mandatum illud imprudentiæ et temeritatis arguere. Serarius addit tertium, quòd scilicet cùm videret nullum ex melle illo exposito et passim obvio gustantem, quærere potuit causam, et suspicari a parente fortasse interdictum.

45. *Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram.* Phrasis est proverbialis: sic Christus, Lucæ 21. 18: *Capillus de capite vestro non peribit.*

Cum Deo operatus est hodie. Deo scilicet auspice et fautore.

Liberavit ergo populus Jonatham, ut non moreretur. Quasi violenter eum e Saulis manibus eripientes, et compensatione utendum esse asserentes, ut scilicet peccatum violati jejunii egregio in rempublicam promerito compensaretur, et aboleretur.

46. *Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim.* Veritus ne fortè Deus, a quo responsum non tulerat, iratus esset.

47. *Moab, et filios Ammon.* Hebræis vicinos ex parte orientali.

Edom. Idumæos qui erant Hebræis finitimi versùs meridiem.

Reges Soba. Quorum regnum erat ad partem septentrionalem terræ Israel; itaque rex Syriæ Damasci opem tulisse scribitur Adarezer regi Soba, cùm oppugnaretur a David, 2. Reg. 8. 5. Damascus autem est in boreali parte terræ sanctæ. Reges etiam Soba inimicitias gerebant cum regibus Emath; terra autem Emath est ad plagam aquilonarem Israel, ut habemus Num. 34. 8: vide quæ dixi Num. 34. 8.

48. *Percussit Amalec*. Quod bellum cap. sequenti narratur.

Vastatorum ejus. Gentium, quæ Israeli erant infestæ, quas paulò ante numeravit.

49. *Jonathas*. Alium etiam habuit filium, cujus nomen Isboseth, cujus mentio erit infra. Abulensis omissum dicit, quòd non semper omnia narret Scriptura. Emm. Sa putat omissum, quòd bello esset ineptus; tamen Paral. cap. 8. 33, quatuor recensentur Saul filii.

Jessui. Hic 1. Paral. cap. 8. 33, appellatur Abinadab.

Primogenitæ. Respectu sororis Michol: non verò etiam fratrum.

50. *Et nomen uxoris Saul*. Quam scilicet duxerat antequam veniret ad regnum. Nam postea concubinam habuit nomine Respha, ut patet ex lib. 2. cap. 3. 7.

Abner, filius Ner. Ner autem erat frater Cis patris Saul. Itaque Saul et Abner patrueles erant.

51. *Ner pater Abner, filius Abiel*. Cujus etiam Cis filius erat. Totam Saulis genealogiam, vel, ut vulgò appellamus, arborem, vide apud Salianum tom. 3, anno mundi 2965, numero marginali XV.

CAPUT XV.

Jubetur Saul funditus delere Amalecitas, sed ille regi Agag parcit, multamque prædam reservat; quare et inobedientiæ arguitur, et regno spoliandus prædicitur.

2. RECENSUI *quæcumque fecit Amalec Israeli*. Historiam habes Exod. 17, cujus cap. num. 14 hæc verba legimus: *Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub cælo*. Nunc ergo humano more loquitur Deus, quasi dicat: evolvi annales, et reperi Amalec pœnas mihi debere, etc.

* *Quomodo restitit ei in via*. Non tantùm restitit, sed

inhumaniter et durè se gessit erga Israelitas, quibus tamen sanguinis communione jungebatur, cùm ab Esau genus duceret; nam per fines suos transire non permisit, et longo circuitu eò, quò tendebant, proficisci coegit, Num. 20; fame etiam et labore confectos vexavit extremum agmen ex insidiis carpendo. Deut. 25. 18.

3. *Non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.* Juxta ea quæ præcepit Dominus, Deut. 7. 25: *Sculptilia eorum igne combures : non concupisces argentum, et aurum, de quibus facta sunt : neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui : nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, etc.*

Parvulum atque lactentem. Hi etiam sinè ulla culpa, non tamen sinè causa occiduntur; Deus enim qui ita fieri jubet vitæ ac necis Dominus est.

4. *Quasi agnos.* Mos enim pastorum est accuratè oves et agnos recensere per angustum aliquem locum eos e caulis educentes, simulque numerantes.

5. *Usque ad civitatem Amalec.* Metropolim, et regni caput.

In torrente. In alveo torrentis.

6. *Cinæo.* Cinæis, de quibus vide dicta Judic. cap. 1. num. 16.

Tu enim fecisti misericordiam. Jethro, cujus genus Cinæi erant, beneficus fuerat in Mosen et Israelitas, variis benevolentiæ significationibus exhibitis, consiliisque salutaribus; obtulerat etiam hostias, quæ sacrificarentur a Mose, Exod. 18. num. 12 : quod caput legat qui hæc pleniùs cognoscere voluerit. Præterea Mosis rogatu Jethro Hebræis adfuerat, et in deserto eos direxerat, ut patet Num. 10. 31.

7. *Ab Hevila, donec venias ad Sur.* De Hevila vide dicta Gen. 2. 11 ; de Sur vide dicta Gen. 16. 7.

8. *Agag regem Amalec vivum.* Variæ afferuntur causæ cur Agag vitam non ademerit Saul, ut jussus fuerat. Aliqui putant specie quadam falsæ pietatis fuisse delusum. Ita Josephus et Abulensis. Alii servatum ad triumphum; nam fornicem triumphalem erexisse Saulem habemus num. 12. Ita Glossa interlinearis. Alii ductum avaritia, grandi pecunia se Agag redempturum sperantem. Ita Lyranus, cujus sententiam probabilem facit quòd optima quæque ex præda reservavit, licèt anathemati deberentur.

11. *Pœnitet me.* Loquitur humano more. Sic Gen. 6. 6,

dicitur : *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra.* Dicitur Deum pœnitere, cùm id facit quod homines solent facere cùm illos pœnitet.

Clamavit ad Dominum tota nocte. Videtur ineunte nocte hanc a Deo vocem accepisse, et quod reliquum erat noctis orando consumpsisse.

12. *De nocte.* Summo mane.

In Carmelum. In eo Carmelo qui pertinet ad tribum Juda.

Erexisset sibi fornicem triumphalem. Sibi erexit studio ambitionis et honoris, non Deo, in cujus potiùs honorem monumentum illud excitandum erat. Quod vulgatus dicit, *fornicem triumphalem*, in hebræo est, *manum.* LXX, χεῖρα. Fortasse trophæis manus imponebatur ad significandum hostes valida manu devictos; * vel dicitur *manus*, id est, opus egregii artificii. Sic poeta:

Mentoris hæc manus est, an, Polyclete, tua?

(Mart. 1.8.ep.51). Aliam hujus rei rationem attuli in Hieropoliticis lib. 3. cap. 16. num. 6.

Descendissetque in Galgala. Ubi aliàs sacrificium obtulerat, supra, cap. 13. num. 9.

De initiis prædarum. De præcipuis ac optimis.

14. *Quæ est hæc vox gregum?* Dixerat Saul, *implevi verbum Domini* : itaque illum Samuel manifesti mendacii coarguit, quòd gregibus pepercisset, quorum balatus resonabat.

15. *Pepercit enim populus.* Culpam suam in populum derivat.

Ut immolarentur. Alius pietatis prætextus ad eamdem culpam suam tegendam.

Domino Deo tuo. Quem tu colis et amas, atque ideo non potes non probare quòd ex electa præda in ejus obsequium aliquid reservatum sit.

16. *Sine me.* Quasi dicat, tace, et verba ista nugatoria et falsa omitte.

17. *Cùm parvulus esses in oculis tuis.* Cùm etiam tuo judicio humilis esses et despicabilis.

18. *Misit te Dominus in viam.* Ire jussit.

22. *Auscultare.* Obedire.

Offerre adipem arietum. Vel sensus est, offerre arietes pingues, vel intelligit ipsum tantùm adipem qui Domino solebat adoleri.

23. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare.* Vox hebræa קסם *quesem*, omne genus vetitæ divinationis,

quæ per dæmones fit, comprehendit, ut etiam ariolationem, quæ, teste Isidoro, ab aris dicta est circa quas divini preces effunderent, aut sacrificia facerent, dæmones consulentes. Sententia est, gravissimum peccatum est inobedientia, quemadmodum ariolatio. Adde similitudinem inter utramque intercedere: ut enim ariolus seposito divinæ legis præscripto, quod actionum nostrarum regula est, a dæmonibus quid agendum sit exquirit; ita inobediens vocem superioris non audit, et animi sui perturbationibus et cupiditatibus sacrificat, ipsique dæmoni, qui suadet inobedientiam, a quo suarum actionum directionem videtur exspectare. Vide D. Gregorium in hunc locum. * Præterea cùm certum sit obediendo non peccari, proprium verò sensum sequendo dubium ut minimùm an bene agatur; qui judicium suum sequitur, divinare quodammodo videtur, ut in re dubia, peccet nec ne, hocne, an illud potiùs faciendum.

Quasi scelus idololatriæ. Quia cultum et reverentiam superiori, Dei personam sustinenti, debitam non tribuit, sed suo judicio potiùs, et voluntati, quam præfert divinæ.

24. *Peccavi.* Non est vox animi verè pœnitentis, sed tantum malum imminens amissionis regni depellere studentis.

25. *Porta, quæso, peccatum meum.* Id est, ferto, vel tolle, remitte peccatum meum, veniam impetrando precibus et sacrificiis tuis, ut solent sacerdotes. Vel dissimula peccatum meum.

Ut adorem Dominum. Supplex orem, aut sacrificiis, quæ Domino offeruntur, adsim, illumque mihi propitiem.

27. *Summitatem.* Oram pallii.

* 28. *Scidit Dominus.* Decrevit te regno privare. Alludit ad scissam vestis suæ laciniam.

29. *Triumphator.* Deus dicitur triumphator, quia arbitratu suo in omnem partem agit et versat Israel. Videtur Samuel obiter suggillare arcum triumphalem Saulis, et tacitè innuere trophæum Deo exercituum potiùs statuendum fuisse.

31. *Reversus ergo Samuel secutus est Saulem.* Non cum illo in oratione communicaturus, sed civili tantùm honore afficiens, ne regiam dignitatem contemnere videretur.

32. *Pinguissimus, et tremens.* Vocem hebr. מעדנות *mahadannoth*, aliqui vertunt, *cum deliciis*, id est, cum lætitia et voluptate, vel delicatè, et incessu molli, quod secutus videtur noster interpres, cùm dixit, *tremens*,

quasi molli et vacillanti. Alii interpretantur, *cum vinculis et catenis*. Vide Pagnini thesaurum in voce עדן.

Siccine separat amara mors? A divitiis, deliciis, regno, vita. Bene Eccl. cap. 41. 1: *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!*

33. *Fecit absque liberis.* Suo, aut suorum gladio occidens.

In frusta concidit eum Samuel coram Domino. Manu sua, ut sonant verba, non aliorum ministerio, ut vult Josephus. Fuit quasi quædam victima Domino, coram quo occisus, et, ut fiebat in holocaustis, sectus in frusta. Nec est novum in Scripturis vocari victimam cædem inimicorum Dei, ut Idumæorum Isa. 34. 6. *Victima enim Domino de Bosra, et interfectio magna in terra Edom.*

35. *Non vidit Samuel ultra Saul.* Sensus est cum illo ampliùs non egisse, non eum visitasse, non communicasse reip. negotia, etc. Nam alioqui Saulem a Samuel postea visum constat ex cap. 19. num. 24.

CAPUT XVI.

Reprobato Saule David inter fratres minimus in regem ungitur. Psallit coram Saule a malo spiritu agitato, et ille meliùs habet.

1. *Usquequo tu luges Saul?* Cum lacrymis orabat Samuel, ne Saul, si fieri posset, a regno excideret.

Imple cornu tuum oleo. Non lenticulam, ut supra cap. 10. 1, sed cornu quod abundantiam gratiæ in Davidem conferendam docet, ut notavit Rupert. lib. 1. Reg. cap. 23, et regni Davidici firmitatem, quia cornu solidum, lenticula fictilis fragilis est. Lyranus et Abulens.

2. *Dices: Ad immolandum Domino veni.* Vera quidem causa, sed non sola.

3. *Vocabis Isai ad victimam.* Ad convivium ex immolatis carnibus apparatum.

4. *Admirati sunt seniores civitatis.* Quia ex quo rex populo datus, et præsertim post Saulis peccatum, se domi ut plurimùm continere solebat.

Pacificusne est ingressus tuus? Quasi dicant, accidit ne aliquid adversi, vel aliquidne apportas infausti nuntii; vel timebant, ne aliquem punire vellet.

Sanctificamini. Parate vos, ut sacrificio adsitis, et si quam

quam habetis legalem maculam, quâ vetemini convivii sacrificalis participes esse, eam abstergite. De immunditia quæ a sacrificatis carnibus arcet agitur Lev. cap. 22.

6. *Cùmque ingressi essent*. Domum Isai, in qua pransuri erant.

Et ait. Apud se tacitus, velut consulens Dominum.

Num coram Domino est christus ejus? Estne coram te, Domine, futurus rex, quem inungere debeo.?

7. *Abjeci eum*. Non hunc elegi : vel, hujusmodi res non curo.

Juxta intuitum hominis. More hominum.

Ea quæ parent. Externa, quæ apparent, et in oculos incurrunt.

11. *Parvulus*. Omnium natu minimus. * Hebræi in Sederolam cap. 3 aiunt Davidem hoc tempore annum egisse vigesimum octavum.

12. *Pulcher aspectu*. Hebr. *pulcher oculis*. Pagninus vertit, *cum nitore oculorum*.

13. *In medio fratrum ejus*. Ipsis tamen non intelligentibus quò spectaret illa unctio ; credibile tamen Davidi, et Isai ejus parenti mysterium indicasse. Salianus Samuelem inducit rem totam Isai et filiis ejus aperientem, ita tamen ut quæ agerentur silentio premerent. * Hæc unctio Davidi regnum non dedit, sed regno eum destinavit, jusque ei dedit ad regnum suo tempore adipiscendum.

Directus est spiritus Domini a die illa in David. Multiplicibus suis donis eum Dominus ornavit, iisque præcipuè quæ futurum regem decent, et illum tanto fastigio dignum reddunt. LXX habent, *insiluit spiritus Domini in David*. Hebr. *prosperavit;* hoc enim est *dirigi* in Scripturis.

14. *Spiritus autem Domini*. Eodem modo intellige spiritum Domini ut superiori versiculo.

Exagitabat eum spiritus nequam. Energumenum factum, obsessum a malo spiritu, et vexatum. Ita communis patrum et doctorum sententia. Aliqui putant morbum fuisse ex atra bile, qui in furorem agit.

A Domino. Domini jussu, pœnas de Saul sumere incipientis.

16. *Psallat manu sua, et leviùs feras*. Musicæ varii modi aut concitant affectus, aut leniunt. Dæmon exasperabat humores, ad mœrorem et tristitiam incitabat : hos affectus temperabat musica lætitiæ artifex, sed majorem fortasse vim habebant Davidis cantica ex materia; divinas enim laudes exsequebatur, quibus in fugam

malus dæmon agebatur. * Pythagoreis moris fuit, aït Quintil. lib. 9. cap. 4, cùm somnum peterent ad lyram priùs lenire mentes, ut si quid fuisset turbidarum cogitationum, componerent.

20. *Plenum panibus.* Onustum, ut habet chaldæus. *Misit . . . Sauli.* In observantiæ signum ex illorum temporum consuetudine.

21. *Factus est ejus armiger.* Quia minùs honorificum fuisset regi, si eâ tantùm causâ habuisset apud se David, ut morbum leniret, et arreptitio occineret.

22. *Stet David in conspectu meo.* Revocat David, quem remiserat putans se solutum, vel quia bellum aliquod ingrueret, et locus musicæ in castris esse non videretur; vel quia melanchòlicorum ingenia morosa sunt, et eadem modò quærunt et volunt, modò refugiunt et respuunt.

CAPUT XVII.

Davidis cum Goliath singulare certamen. Fugiunt, cæduntur et castris exuuntur Philisthæi.

1. *In Socho Judæ.* Est Socho trans Jordanem Gedeonis ultione nobilitata, Judic. 8. 15 et 16.

Azeca. Locum jam olim clarissimâ Josue victoriâ insignem, Jos. 10. 11.

4. *Vir spurius.* LXX habent, δυνατὸς, *potens, fortis.* S. Hier. in Traditionibus hebraicis in cap. 17. 1. Reg. docet Goliam spurium appellatum, quia ex patre gigante, matre verò gethæa, aliena scilicet muliere natus esset. Comestor, quòd ex patre gentili, matre judæa. * Probabile admodum est ex incerto patre, eoque gigante satum de stirpe Enacim, et matre gethæa. Nam reliquias Enacim, seu gigantum permansisse in Geth constat ex cap. 11. Josue, et incertum fuisse Goliathi patrem inde colligitur, quòd cùm generis illius et parentum fit mentio in Scriptura 2. Reg. 21. 19, et 1. Par. 20. 6, nunquam patris nomen exprimitur, sed solius matris, nempe Arapha.

Altitudinis sex cubitorum et palmi. Statura gigantæa, communi nostri ævi hominum ferè duplo major.

Palmi. Hebr. זרת *zereth*, quæ vox palmum majorem significat, qui duodecim constat digitis.

5. *Loricâ squamatâ.* Thorax e ferreis laminis squamatim contextis.

Quinque millia siclorum æris. Siclus erat ponderis semunciæ, hoc est, quatuor drachmarum. Itaque quinque millia siclorum efficiunt libras ducentas et octo, et insuper uncias quatuor, assignando singulis libris uncias duodecim.

6. *Tegebat humeros.* Rejectus in humeros interim dum non pugnabatur, revocandus ad pectus tempore conflictûs.

7. *Liciatorium texentium.* Jugum circa quod textores telam circumvolvunt, quod intellige quoad hastilis crassitiem.

Sexcentos siclos habebat ferri. Libras nimirum viginti quinque.

8. *Stansque clamabat.* Jactabundus, et Hebræis timorem et ignaviam exprobrans: quod indicat Ecclesiasticus 47. 5, ubì de David: *In tollendo*, inquit, *manum, saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ*, Goliam scilicet exultantem et superbientem virium fiduciâ.

Numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saul? Quasi dicat: ego sum Philisthæus, vos Hebræi; inter has duas gentes bellum est; congrediamur singulari certamine, et populus ille vincat, cujus propugnator adversarium vicerit.

* 15. *Reversus est a Saul.* Fortasse vitæ aulicæ, et impietatis Saulis pertæsus. Saul etiam abeundi potestatem fecerat, vel quòd melius haberet, vel quòd cùm moroso et mutabili esset ingenio, jam apud se Davidem habere non curaret, quem odio prosequi cœperat.

17. *Ephi polentæ.* Polenta aptus cibus iis qui agunt in castris: fit autem ex hordeo madefacto, deinde siccato et tosto, molâque in farinæ modum comminuto: ex hac farina recentes cibos quotidie sibi parare poterant milites in castris. Porro ephi est mensura aridorum, de qua vide quæ dixi libri Ruth cap. 2. num. 17.

18. *Tribunum.* Tribunus ille est qui mille præest militibus. Græci χιλίαρχον vocant, ut hic LXX.

20. *Ad locum Magala.* Magala circulum significat. Aut ergo est nomen proprium loci; aut idem est *ad locum Magala*, quod ad locum castrorum.

25. *Ascendit.* Potiùs descenderat in vallem, sed hic *ascendit* idem est ac progressus est.

Qui percusserit eum. An ita loquerentur milites ex privata sua opinione, gregaliumque suorum, an verò Saul hoc promiserit quod jactabatur, non satis colligi potest ex Scriptura. Videtur tamen omnino promissio

intercessisse, quia Davidi non semel interroganti constanter idem redditum responsum.

29. *Numquid non verbum est?* Quasi dicat: quid aliud quàm locutus sum? Chald. *nonne verbum fuit quod dixi?* Italicè fortasse diceremus, *non si può dir una parola?* Annon licet verbum effari? vel etiam sententia est, an non licet loqui de re vulgata, et quæ in omnium ore versatur? * Vel, annon imperium est patris, quo mittor ad castra?

32. *In eo.* Propter eum, Goliath scilicet.

33. *Puer.* Adolescens. Theodoretus et S. Aug. quatuordecim aut sexdecim annorum faciunt. Salianus contendit viginti duorum annorum fuisse, et a Saule vocatum puerum, quia comparatione Saulis, qui procerâ admodum erat staturâ, puer videbatur. Vide dicta cap. 16. 11.

40. *Limpidissimos lapides.* Politos, non asperos.

43. *Maledixit Philisthæus David in diis suis.* Sic olim apud Romanos usitatum illud, *dii te deæque perdant.* Itaque mali aliquid a Dagon deo suo, aut Baalim Davidi imprecatus est Goliath.

47. *Ecclesia hæc.* Congregatio hæc populorum.

50. *Interfecit.* Ictu enim lapidis prostratus fuerat, nondum tamen exhalarat animam. Salianus et alii ictu lapidis planè exstinctum putant.

51. *Eduxit eum de vagina.* Gladium nondum Goliath evaginarat, hastâ primùm, deinde, si opus foret, gladio pugnaturus.

52. *Ad portas Accaron.* Quæ una est ex quinque Philisthæorum satrapiis.

54. *Attulit illud in Jerusalem.* Præcipuam urbem. Nec obstabat quòd adhuc Jebusæi arcem illius, Sion scilicet, tenerent; imò triumphus hic Davidis ad illos terrendos faciebat. Circumtulit etiam idem caput per alias civitates, per quas victor exercitus transibat, ut constat ex sequenti cap. num. 6. Nam ex urbibus dicuntur egressæ mulieres, et epinicium Sauli et David cecinisse.

Posuit in tabernaculo suo. Ubì ad aliquod tempus fuerunt, deinde translata videntur in Domini tabernaculum ad æternum rei monumentum: nam petens David gladium ab Achimelech sacerdote, Goliæ gladium ex tabernaculo accepit.

55. *De qua stirpe descendit hic adolescens?* Aliquandiu aberat David ab aula Saulis, et, ut fit in adolescentibus, statura corporis procerior facta, et barbæ aliquid

natum, et cultus corporis pastori, non ut priùs, aulico congruens efficiebant ne facilè agnosceretur. Sunt etiam qui dicant infirmam Sauli a morbo fuisse memoriam. Addo fieri potuisse ut Saul Davidis non omnino oblitus esset, sed jam voluisse cognoscere singula minutim; pollicitus enim fuerat occidenti Goliath filiam in matrimonium; itaque distinctiùs futuri generi genus, et dotes investigandæ, quàm cùm in aulam admissus, ut citharœdum ageret, aut ut esset armiger.

Vivit anima tua. Per vitam tuam.

Si novi. Non novi.

CAPUT XVIII.

Jonathas et David arctissimum amicitiæ fœdus ineunt inter se. Saul lanceâ Davidem nititur configere, et Merob filiam, quam illi promiserat, alteri viro tradit: loco tamen illius dat illi juniorem filiam suam Michol.

1. *Cum complesset loqui ad Saul.* Qui post pugnam de illa videtur quæsivisse aliqua, ut etiam de genere ipsius, illique gratulatus, etc.

* *Conglutinata est animæ.* Amicorum unam dici animam notavit Arist. lib. 9. moral. cap. 8. Idem significat latina vox concordia, et græca ὁμόνοια.

3. *Inierunt autem David et Jonathas fœdus.* Perpetuæ amicitiæ. Amorem conciliabat strenuitas David et rei bellicæ studium, et patriæ religionisque tuendæ contra hostes Israelis.

4. *Usque ad balteum.* Ita loquitur sacer textus, ut ostendat nullam vestimentorum partem, etiam minimam, Davidi datam non esse, vel quia baltei olim pretiosi, ut honoris insigne fuerunt ad exaggerandam benevolentiæ magnitudinem. Certè in lib. Job. cap. 12. 18, dicitur: *Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum.* Potuit Jonathas alia munera amico dare, sed maluit vestes, ut quamprimùm aulico cultu ornaret, ne pastoritio habitu despiceretur, voluitque tanquam alterum Jonatham ab omnibus honorari, et se quasi in illo agnoscere et contemplari, et existimare David pluris se a Jonatha fieri, diligique vehementiùs quàm seipsum.

5. *Egrediebatur quoque David.* Hæc per anticipationem dicuntur, præcesserunt enim quæ num. 6 sequenti narrantur.

6. *De universis urbibus.* Per quas victores transibant cùm irent in Jerusalem. Canunt mulieres, id enim fuit illo ævo solemne, ut in victoriis virgines læto carmine Dei victorumque laudes exsequerentur. Sic Maria soror Mosis cum reliquis cecinit, mari Rubro exstinctis Ægyptiis, Exod. 15. 20.

In sistris. Σεῖστρα, sistra sunt crepitacula, quæ quodam artificio digitis aut manibus impulsa resonant, sic dicta ἀπὸ τοῦ σείειν, quod quatere, concutere, agitare significat.

7. *Percussit Saul mille et David decem millia.* Quasi dicerent, multos percussit Saul, sed multò plures David. Vera laus, et Davidi congruens, cui non decem millium tantùm cædes, sed toti hostium exercitui illata clades accepta referri debebat. S. Chrysost. homil. de David et Saule, et alii damnant mulierum imprudentiam; omnis enim comparatio odiosa, etiam inter pares; quantò magis si inferior majori æquetur, aut anteponatur! Itaque Saul jure mulieribus iratus est, non autem Davidi innoxio.

10. *Prophetabat.* Agitabatur corpore a maligno spiritu, quo erat obsessus. Qui ita moventur et agitantur, prophetare dicuntur, vel quia etiam veri prophetæ irruente in eos divino spiritu cum enthusiasmo concitatè loquebantur, et ad populum concionabantur; vel quia prophetæ vulgò censebantur insanire, quòd ignota et abstrusa pleraque dicerent. Sic propheta quidam insanus vocatur. 4. Reg. 9. 11.

Psallebat manu sua. Musicum instrumentum manu pulsabat. Psallere propriè significat voce canere, sed transfertur etiam ad instrumenta; sic etiam Latini dicunt : *canere fidibus.*

11. *A facie ejus.* Saulis.

Secundò. Bis enim telum in Davidem contorsit Saul, licèt semel tantùm a Scriptura narretur.

12. *Timuit Saul David.* Ejus incrementa suspecta habere cœpit.

13. *Egrediebatur, et intrabat.* Ingredi et egredi est ducem agere, et cum potestate præesse, expeditiones jussu regis suscipere, cohortem suam educere ad bellum et reducere.

15. *Cœpit cavere eum.* Idem est quod num. 12 dictum est, *timuit Saul David.*

17. *Filia mea major.* Quam ei antea promiserat, ut diximus cap. 17. num. 25.

Non sit manus mea in eum. Ut illum interficiam,

sed potiùs gladiis Philisthæorum objiciatur, et eorum manu cadat.

19. *Factum est autem tempus.* Temporis aliquod spatium, quo elapso Merob Davidi nuberet.

Data est Hadrieli. Contra fidem datam, et cum insigni Davidis injuria.

21. *Fiat ei in scandalum.* Ut sit illi mortis occasio, objiciendo illum rursus Philisthæorum armis.

In duabus rebus gener meus eris hodie. Propter duplex meritum, occisionem scilicet Goliæ, et præputia quæ adnumerabis mihi. Vel sensus est, in uno duorum eris gener meus, scilicet dote danda, vel præputiis, quorum posterius Saul postea elegit, cùm David paupertatem suam causaretur.

25. *Non habet rex sponsalia necesse.* Munera, sponsalia, aut dotem, aut dotis augmentum, quod David pauper pro regis dignitate dare non poterat.

30. *Egressi sunt.* Ad bellum contra Israelitas, vel antiquis incitati offensionibus, vel recentibus damnis a Davide illatis, ac nominatim quòd illa præputiorum numeratione se ludibrio habitos intelligerent, quòd circumcisi non essent.

CAPUT XIX.

Jubet Saul occidi Davidem, sed placatur voce Jonathæ. Mox illum iterum lanceâ transfigere conatur, sed Micholis industriâ elabitur, et ad Samuelem se confert, quem persecutus Saul prophetat cum prophetis.

1. LOCUTUS *est autem Saul ad Jonathan.* Speravit Saul se facinus hoc per Jonatham confecturum, quia ejus maximè interesse videbatur mors Davidis, qui Saulis regnum ipsi tanquam primogenito debitum occupaturus timebatur.

2. *Observa te, quæso.* Custodi te, cave tibi.

Manè. Crastina die manè, ut habent LXX, αὔριον πρωΐ.

3. *Stabo juxta patrem meum.* Hæc verba legenda sunt per parenthesim, quasi dicat : ubi stetero juxta patrem, et ejus animum intellexero, egressus in agrum tibi indicabo.

5. *Posuit animam suam in manu sua.* Hebræa phrasis, qua significant periculo se exponere.

In sanguine innoxio. Innoxium sanguinem effundere cupiens.

6. *Vivit Dominus! quia non occidetur.* Ex animo juravit, non fictè et simulatè, ut indicat Scriptura, quæ illum placatum fuisse dicit.

7. *Sicut fuerat heri et nudius tertius.* Sicut priùs.

9. *Tenebat lanceam.* Id illi erat pene perpetuum, adeo ut etiam in mensa, ut videbimus cap. seq. num. 33, in promptu habuerit lanceam, quam vibraret in Jonatham; et rursum ad cubile inter dormiendum, infra, cap. 26. 7.

10. *Nisusque est Saul configere David.* Prosperis Davidis successibus irritatus videtur Saul, et novis incrementis illius.

11. *Interficeretur manè.* Potuisset nocte occidere, sed hoc turpe videbatur et proditorium, hominem domi suæ, et in lecto agentem opprimere: cædem in auroram dilatam putant Josephus et Tostatus, ut hominem in judicium evocatum, et calumniis circumventum capitali sententia damnaret, quod probabile censet Salianus, qui tamen putat id potiùs factum, ne per tenebras noctis elaberetur.

13. *Tulit autem Michol statuam.* Hebraica vox *teraphim* licèt aliquando significet aliquid impium, quale est idolum, ut Genes. 31. 19, ubi Rachel furata dicitur idola patris sui, aliquando tamen in bonum sensum accipitur, ut hoc loco, et Osee 3. 4. Porro Michol consilium fuit ludibrio statuæ tantisper satellites Saulis morari, donec se David fugâ eriperet, et longiùs abiret.

Pellem pilosam caprarum. Putat Sanchez capras illis in regionibus fulvis esse villis, ex eo capiens conjecturam, quòd Cantic. 4. 1, de capillis sponsæ dicatur: *Capilli tui sicut greges caprarum.*

17. *Dimitte me, alioquin interficiam te.* Officiosum Micholis mendacium.

18. *Najoth.* Chald. *domo doctrinæ*, ubì collegium prophetarum erat. Vide dicta cap. 10. num. 5. Abulens. putat Najoth non fuisse locum distinctum a Ramatha, nisi ut partem a toto, et contentum a continenti. Vatablus ait fuisse locum in agro Ramatha, et significare locum studiosorum. Vatablo consentit Serarius.

20. *Stantem super eos.* Illis præfectum.

Prophetare cœperunt. Vide dicta c. illo 10. num. 6. In furorem hunc propheticum satellites vertit Deus, ut Saul Dei potentiam, contra quam frustra pugnabat, agnosceret, et ut simul intelligeret quanti Deus David faceret, quem hoc miraculo tuebatur.

22. *In quo loco sunt Samuel et David?* Ex quo apparet nuntios illos, sive apparitores ad Saulem reversos non fuisse.

23. *Et prophetabat usque dum veniret.* Antequam veniret in Najoth, et in conspectum aliorum prophetarum, locis illis, qui frequenter divinis laudibus personabant, Saulem incitantibus, et spiritu Domini illum agente.

24. *Exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis.* Illud, *etiam*, non significat lictores missos se priùs vestibus spoliasse, sed sensus est duo illi accidisse, quæ lictoribus, qui præmissi fuerant, non acciderant. Alterum, ut prophetaret, antequam perveniret in Najoth; alterum, ut etiam vestibus suis ipse se exueret.

Cecidit. Viribus et sensibus destitutus : et cecidisse etiam prophetantes habemus ex verbis Balaam, Num. 24. 4.

Nudus. Non omnino nudus, sed superioribus tantùm vestibus, cultuque regio detracto.

Num et Saul inter prophetas? Quasi dicerent, res mirabilis, et prodigio similis.

CAPUT XX.

Jonathas repetito fœdere cum Davide ipsum cum Saule conatur reconciliare, sed frustra. Ergo sagittarum indicio evocatum complectitur cum lacrymis, et dimittit.

1. *Fugit autem David de Najoth.* Dum scilicet Saul prophetabat.

2. *Neque enim faciet pater meus.* Conjiciebat hoc Jonathas ex eo quòd non ita pridem pater ad eum detulisset consilium de occidendo Davide.

3. *Uno tantùm... gradu, ego morsque dividimur.* Mors in me fertur præcipiti cursu, et uno vix passu a me distat.

5. *Ecce calendæ sunt crastino.* Calendis, sive primo die mensis novi festum agitabant Hebræi, quod græco vocabulo dicitur neomenia, unde illud Ps. 80. 4. *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Vide Num. 10. 10. In diebus autem solemnibus adesse debebant regis domestici, ac necessarii convivio, et in primis David Saulis ipsius gener.

Ut abscondar in agro. In agri spelunca aliqua faciliùs cavere potuit insidiantium oculos et linguas, quàm in civitate.

Usque ad vesperam diei tertiæ. Postridie calendas tota res gesta est ; sequenti autem die non latuit, sed summo mane discessit.

6. *Victimæ solemnes.... contribulibus.* Idonea et probabilis excusatio. Superbum enim hujusmodi invitationes non admittere. Porro cùm ait *victimas*, intelligit sacrificium, et ex eo convivium. * Simile convivium solemne apud Romanos Charistia dictum, cui præter agnatos et affines nemo admittebatur. Ovid. l. 2 Fast.

> Proxima cognati dixere Charistia cari,
> Et venit ad socios turba propinqua deos.

Contribulibus. Hebr. et chald. *familiæ*, seu *cognationi.* LXX, *tribui.*

7. *Pax erit servo tuo.* Erit enim argumentum animi benevoli.

Si autem fuerit iratus. Probabilis admodum conjectura; nam inimicorum dicta factaque probari non solent. Adde Saulem aliquo signo edito ostensurum quomodo in Davidem esset animatus.

Completa est malitia. Id est, decrevit omnino me perdere.

8. *Fac ergo misericordiam.* Confer hoc beneficium.

Fœdus Domini. Coram Domino, vel Domini voluntate.

Tu me interfice. Sic Moses orabat : Dele me de libro vitæ. Porro si vel inimici, vel amici manu cadendum sit, optabilior videtur mors illata ab amico, qui mortem, quam posset, mollissimam inferret, et casum amici lacrymis prosequeretur; cùm contra inimici sævire soleant in eos quos occidunt, et odii signa expromere, quod morientis animum maximè cruciat.

9. *Absit hoc a te.* Ut scilicet innocens manu mea interficiaris.

10. *Quis renuntiabit.* Sanè hoc erat difficile, quia nec Jonathas ad Davidem egredi facilè poterat, ita ut omnium oculos fugeret; nec famulis arcanum tutò committi.

11. *Cùmque exissent ambo in agrum.* Jonathas proprio in habitu, David verò in ementito, ut sentit Serar. atque ideo sinè hasta, aut gladio, quod ex eo colligitur, quia ad Achimelech inermis pervenit.

12. *Si investigavero sententiam.* Si cognovero quomodo erga te affectus sit Saul, omnino tibi indicabo, quod juramento tibi confirmo; hoc enim significat usitata illa phrasis : *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat.*

13. *Revelabo aurem tuam.* Aperiam tibi. Sic supra, cap. 9. 15, habemus : *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis.*

Sicut fuit cum patre meo. Illum evehens ad regnum. Itaque verba hæc sunt prænuntiantis Davidi regnum ; quare aptè statim se illi, familiamque suam commendat.

15. *A domo mea usque in sempiternum.* Filios scilicet meos, ac nepotes conservando.

Quando eradicaverit. Resumit clariùs imprecationem in se antea paucis prolatam, nisi patefecerit malam regis in Davidem voluntatem, et sensus est : si quod promisi non præstitero, cùm sublati fuerint inimici David de terra auferat ipsemet David Jonatham de domo sua, id est, eum perdat.

Et requirat Dominus de manu inimicorum David. Requirere de manu alicujus idem est, quod de illo vindictam sumere. Sic Gen. 9. 5, dicitur : *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum :* id est, ulciscar. Cùm ait, *De manu inimicorum David*, idem est ac si dixisset : expetat ultionem etiam de me, qui non retegendo Davidi, quæ contra illum molitur Saul, quodammodo me Davidis inimicum constituo, et aliis, qui illi malè volunt, aggrego.

16. *Cum domo David.* Primum fœdus initum post Goliam occisum privatæ fuit amicitiæ ; hoc latiùs patet, et pertinet ad conservandas mutuò utriusque familias.

17. *Addidit Jonathas dejerare.* Aliis juramentis confirmare. Dejerare idem valet, quod simplex jurare.

18. *Requireris.* A patre meo.

19. *Requiretur enim sessio tua usque perendie.* Quæretur uno, atque altero die, quid causæ sit cur vacuus appareat locus tuus, nec tu ad eum occupandum veneris.

Descendes ergo festinus. Jam nunc ubi finito colloquio digressi fuerimus.

Die qua operari licet. Die profesto, ne scilicet tum ab iter facientibus videaris; die enim calendarum cum non liceat, sicut nec sabbato, longiùs ab urbe progredi, minùs erunt necessariæ latebræ.

Juxta lapidem, cui nomen est Ezel. Ex nomine Ezel conjectat Lyranus lapidem illum esse viatorium, ut vertit Pagninus, id est, quod viam ostenderet iter agentibus, quales sunt lapides Mercurii, qui in biviis, aut triviis statuuntur. Sed hoc minùs est probabile, quia in lapide hoc locus fuisse videtur aptus ad Davidis latebras, et quia juxta lapidem viarum indicem sedere in bivio aut

trivio idem fuisset ac velle ab omnibus conspici, quod tamen fugiebat David.

22. *Sagittæ intra te sunt.* Id facturus erat, permittendo ut longiùs abiret puer, antequam sagittam mitteret Jonathas, et tunc sagittam mittendo, quæ ad ipsum non perveniret puerum.

Dimisit te Dominus. Dominus, qui vias tuas dirigit, vult ut discedas.

23. *De verbo autem.* Renovat memoriam initi pacti, veritus ne fortè illum ultra videre non posset.

* *Sit Dominus.* Sit Deus testis, et si quis fallat fidem, vindex.

24. *Absconditus est ergo David in agro.* Aliqui existimant in spelunca illa divinitus fuisse enutritum. Probabilius secum aliquid cibi detulisse, cum eo venisset consilio ut ibi delitesceret; ipse enim absconsionis suæ mentionem fecerat supra, num. 5.

25. *Cùmque sedisset rex super cathedram suam.* Videtur mensa fuisse longior, in cujus capite versùs parietem sederet rex solus, inde ad ejus dexteram Jonathas, et deinceps cæteri ejus fratres et sorores. Ad sinistram primo loco Abner regis patruelis, et militiæ princeps, tum David regis gener, et deinde reliqui viri principes ordine suo.

26. *Ut non esset mundus nec purificatus.* Facilè enim Hebræi legalem aliquam immunditiem contrahebant, v. g., contactu cadaveris, vel alteriùs rei immundæ.

27. *Filius Isai.* Ita illum vocat contemptim, et cum stomacho. Ita Nabal, infra, cap. 25. 10: *Quis est*, inquit, *David, et quis est filius Isai?*

30. *Fili mulieris virum ultro rapientis.* Ultro se ad nequitiam offerentis.

In confusionem tuam. In tuum dedecus; tibi enim regnum erepturus est.

In confusionem ignominiosæ matris tuæ? Quæ filio rege gloriari non poterit. Pro *ignominiosæ*, chald. *nuditatis*, seu *ignominiæ*. LXX, *revelationis*, id est, nuditatis.

31. *Filius mortis est.* Dignus morte, et a me morti destinatus.

34. *In ira furoris.* Vehementer iratus.

Non comedit in die calendarum secunda panem. Secundo mensis die jejunus præ indignatione mansit.

Contristatus est enim super David. Quòd implacabilis animi signa edidisset Saul innocentem ad mortem expetendo.

Eò quòd confudisset eum pater suus. Eum convitiis, et etiam lancea impetendo.

35. *Juxta placitum David*. Juxta condictum.

41. *Adoravit tertiò*. Filium regis, majorem natu amicum, et vitæ suæ conservatorem.

David autem ampliùs. Indulsit ampliùs David affectui suo. Jonathas vehementiùs se continuit, qui et ætate superabat, et consolatoris partes agebat, et unicam amici patiebatur jacturam, non multiplicem, ut David, qui cariturus erat amico Jonatha, uxore etiam, et latè a Saule ejus patre quæsitus ad mortem.

42. *Quæcumque juravimus*. Firma scilicet sint, et inviolata. Deficiens et decurtata oratio præsenti animorum commotioni valde congruit.

CAPUT XXI.

David fugit in Nobe urbem sacerdotalem, ibique panes sanctificatos et gladium Goliath postulat ab Achimelech pontifice, præsente ibidem Doeg Idumæo. Inde apud regem Achis dementiam simulat ne pereat.

1. *In Nobe*. Duplex est Nobe, altera trans Jordanem, quam Abulensis et Torniellus aiunt esse in tribu Manasse; Adrichomius verò collocat in tribu Gad: altera est cis Jordanem, cujus meminit Isaias cap. 10. 32, et est in tribu Benjamin. In hanc autem urbem translatum fuerat tabernaculum.

Ad Achimelech sacerdotem. Summum pontificem, ad quem eo consilio venisse videtur, ut per eum de rebus suis, et quid facto opus esset, consuleret Dominum. Porro hunc Achimelech aiunt eumdem fuisse cum Achia filio Achitob filii Phinees filii Heli. Ita D. Hier. in tradit. Hebr. et alii.

Tu solus, et nullus est tecum? Videtur fuisse non omnino solus, cum duobus, aut tribus tantùm, ut colligitur ex num. 4; vel certè, quod probabilius putat Salianus, Davidem sinè ullo planè comite venisse ad Achimelech; socios verò habuisse in alio loco, quibus mox panes communicarit.

2. *Sermonem*. Negotium quoddam. * Mendacium officiosum, quod fortasse culpa carere putavit. Huc facit illud Euripidis:

> Οὕτῳ δ' ὀλεθρὸν δεινὸν ἡ ἀλήθεια ἄγει,
> Συγγνωςὸν εἰπεῖν ἐςὶ καὶ τὸ μὴ καλόν.

> Cui autem diram perniciem veritas affert.
> Condonandum si mentiatur.

Condixi in illum et illum locum. Jussi eos adesse certis quibusdam in locis.

4. *Panem sanctum.* Panes propositionis.

Si mundi sunt pueri, maximè a mulieribus. Modestè quærit pontifex de munditia ipsius etiam Davidis, quamvis illius nomen non exprimat, et licèt aliæ essent immunditiæ majores secundum legem, quæ a participatione panum sacrorum arcebant, meminit tantùm illius quæ ex congressu cum mulieribus, quòd magis esset communis.

5. *Fuerunt vasa puerorum sancta.* Corpora vocat vasa, ut S. Paul. 2. Corinth. 4. 7, et 1. Thess. 4. 4.

Porro via hæc polluta est. Quasi dicat, in via, quâ venimus, immunditias contraximus legales. * Vel polluta via dicitur, quòd speciem haberet fugæ ad profanos et gentiles, qui tam ipsi polluti erant, quàm eorum ritus superstitiosi et impii.

Sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Id est, panis iste erit sanctus in vasis nostris, id est, in corporibus, quia non contrahet immunditiam propter nos, qui immundi sumus, quia necessitas excusabit nos ab omni immunditia; et perinde est ac si a mundis panis iste comederetur. Ita Abulensis, et alii. * Vel sensus est, via hæc sancta et munda manebit in talibus vasis, seu personis, quæ bono animo viam hanc ineunt, non transfugiendi ad religiones idololatrarum, sed tantùm declinandi imminens vitæ discrimen. Vel, si quid per viam, ut fit, maculæ contractum est, purificabitur. Vide apud Sanchez hìc alias expositiones, et apud Salian. Scholio 13, post annum mundi 2973.

6. *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem.* Ex hoc pontificis facto apparet non fuisse exspectandam summam necessitatem ad hoc, ut laici panibus illis, etiamsi immundi essent, vesci possent. Præter panes probabile est dedisse ei Achimelechum alia etiam cibaria, quæ ut in opulenta summi sacerdotis domo non defuerint.

Ut ponerentur panes calidi. Quod singulis fiebat sabbatis, Lev. 24. 8, ex quo apparet David ad Achimelech die sabbati venisse.

7. *Intus in tabernaculo Domini.* Putat Serarius legendum *detentus in tabernaculo*, ut hebræa, græca, et chaldæa indicant, quod aliqui de voto interpretantur quo se Doeg obligasset ad orandum ad tempus aliquod in loco sancto: ideoque dici detentum in tabernaculo: Theodoretus interpretatur de malo dæmone quo teneretur.

Idumæus. Gente Idumæus, religione hebræus proselytus.

Potentissimus pastorum. Apud LXX legimus eum pastorem fuisse mularum Saulis.

9. *Pallio.* Tegumento.

Post ephod. Id est, locum ubì sepositum est ephod.

Si istum vis tollere, tolle. Erat gladius ille Deo donatus, sed urgente necessitate inde auferri poterat non minùs quàm panes absumi. * Seneca in Controversiis: *Pro republica plerumque templa nudantur.*

10. *Venit ad Achis regem Geth.* Credibile est divino instinctu, aut edito per sacerdotem oraculo venisse ad regem Geth; alioqui consilium plenum periculosæ aleæ, quia Philisthæi omnes Davidi inimici, et quia Gethæi potissimùm, post cædem Goliæ, qui erat de Geth. Ita sentit Salianus, sed Sanchez existimat aut David Deum non consuluisse, aut certè nullum responsum tulisse. Nam exitus hujus profectionis ad Achis non fuit ejusmodi ut illius auctorem Deum facere debeamus. Verùm quæ dicit Doeg, cap. seq. num. 10, ostendunt Achimelech Deum consuluisse.

11. *David rex terræ?* David ille inclytus, et quasi alter rex Hebræorum.

12. *Posuit autem David sermones istos in corde suo.* Notavit quæ de illo a Gethæis jactabantur.

Extimuit valde. Quia cùm putaret se incognitum latere posse, consilium non procedebat. Potuit credere se a Philisthæis non agnitum iri, a quibus vel habitu pastorali olim, vel postea tantùm armatus visus fuerat.

13. *Impingebat in ostia portæ.* Quasi illis clausis transiturus.

15. *Introduxistis istum.* Non temerè David in regiam irruerat; sed alicui ex optimatibus se obtulerat tanquam militem gregarium militaturum regi. Ita inductus in regiam.

CAPUT XXII.

David subinde mutat loca, socios sibi adjungit; eum Saul quærit ad necem: cædes Achimelech pontificis et sacerdotum Nobe; unus elabitur Abiathar, et se confert ad Davidem.

1. SPELUNCAM *Odollam.* Bidui ferè itinere inde distantem. Hujus speluncæ non infrequens mentio in Scriptura. Josephus ait fuisse in tribu Juda; tempore Josue

constat ejus nominis civitatem fuisse, Jos. 12. 15; imò et tempore Judæ Machabæi, 2. Machabæorum 12. 38.

Descenderunt ad eum. Bethlehem patriam, in qua illis a Saule periculum, relinquentes.

2. *Convenerunt ad eum.* Non omnes hi qui numerantur simul convenerunt, sed paulatim aliis alii additi sunt; primi tamen fuerunt Davidis fratres.

In angustia constituti. Quibus domi angusta res erat, qui vel potentium odiis, vel æqualium invidia, vel suorum injuria domi hærere non poterant: hi enim omnes, ut hìc dicitur, cum amaro essent animo, rebus novis studebant.

Factus est eorum princeps. In quo David non peccavit; nam cum a Saule injustè quæreretur ad necem, potuit in alieno auxilio rationem quærere expediendæ salutis, et paratis uti ad justum et necessarium finem.

3. *Maspha, quæ est Moab.* Ita dicitur, ut distinguatur a Maspha Benjamin, ubi Samuel judicia exercuit ante regnum Saulis.

Quid faciat mihi Deus. Quo statu, et loco futuræ sint res meæ.

4. *Ante faciem regis Moab.* Apud regem Moab.

In præsidio. In quo a rege Moab collocatus fuerat. Id præsidium fuisse Maspha putat Vatablus, quod esset firmissima instar arcis.

5. *Vade in terram Juda.* Jussus est David a Domino ex Moabitarum finibus migrare, vel quòd infidelis rex, aut illius proceres malum aliquod David molirentur, vel quòd variis casibus vellet illum Dominus exercere, vel Israelitis, qui eum sequebantur, occasionem ad idola declinandi voluit eripere.

In saltum Haret. Josephus locum hunc appellat *Sarim:* LXX, *Saric.* Abulensis putat fuisse civitatem, quæ Mareth etiam diceretur: Adrichomius saltum Hareth a civitate Sareth, sive Sarim, aut Saraim valde disjungit. Nihil certi. Fugit in saltum quia multæ ibi latebræ, et quia non multùm ea loca a finibus Philisthæorum distabant.

7. *Filii Jemini.* Benjamitæ.

8. *Conjurastis omnes adversum me.* De Davide defendendo, et a periculis eripiendo licita erat conjuratio; quia David innocens petebatur: de Saule verò invadendo fuisset injusta; non enim jus subdito ad invadendum principem suum, quamvis injustè se gerat.

Fœdus inierit. Videtur hoc ex suspicione divinasse Saul; alioqui enim fœderis illius nemo erat conscius, juxta

juxta illud : *De verbo autem, quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum*, supra, cap. 20. 23.

Suscitaverit filius meus servum meum adversum me. Injusta et falsa Jonathæ innocentis criminatio.

Insidiantem mihi. Et hoc falsò David impingitur.

Usque hodie. Usque ad hanc diem pergit mihi insidiari.

* 9. *Doeg Idumæus. Delatores genus hominum publico exitio repertum*, ait Tacitus histor. 1. 4.

12. *Audi, fili Achitob.* Nullo compellat honorifico nomine contumeliæ causâ; sic et David filius Isai appellatur num. 7. 9 et 13.

17. *Emissariis.* Cursores vocantur in hebræo, et græco textu. Satellites intelligit, et stipatores regis. * Parere recusant, reveriti innocentiam, et ordinis sanctimoniam.

18. *Conversusque Doeg.* Paret regi impius Doeg more adulantium, et ne videretur immeritò Achimelechum detulisse.

Vestitos ephod lineo. Non eo ephod, quo induti sacris operari consueverant; hoc enim extra locum sacrum non utebantur; sed alio sacerdotibus communi, quod ordinis sui insigne per oppidum ferebant. Ita sentit Abulens. quæst. 27 in cap. 22, et Salianus. Emanuel Sa, et Vatablus, *vestitos* interpretantur, vestiri solitos.

20. *Evadens autem.* Vel fugâ satellitum manus effugit, vel domi remanserat, ut aliquis esset qui sacra curaret, quamvìs supra, num. 11, omnes venisse dicantur, hoc est, quotquot adesse potuerant.

22. *Sciebam.* Præsagiebat animus, imò mihi planè persuadebam.

Ego sum reus. Bonarum mentium est ibì culpam agnoscere, ubi culpa non est, ut ait S. Greg.

23. *Si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam.* Contrarium videtur dicendum fuisse, nimirum si quis quæsierit animam tuam, quæret et meam, quasi dicat : Ego conjiciam in discrimen vitam meam pro salute tua. Erimus anima una, ut non possit alterutra sinè altera periclitari.

CAPUT XXIII.

David civibus Ceilam obsessis a Philisthæis opem fert. Profugit in desertum Ziph, et prope abest a periculo veniendi in manus Saul; sed hic subita Philisthæorum irruptione copias suas inde abducere cogitur.

1. CEILAM. Urbem Judæ octavo lapide distantem ab Hebron, septimo ab Eleutheropoli, ut ait S. Hieronym. in Locis hebraicis, et Adric. in Topographia Judæ, numer. 78.

Diripiunt areas. Septuaginta significant conculcasse areas. Causa hostilis irruptionis vetus gentis odium in Hebræos.

2. *Consuluit. . . . Dominum.* Per prophetam, ut ait Josephus; nam Abiathar nondum ad eum venerat; quæ enim superiori capite narrantur per prolepsim dicuntur, et Abiathar venit ad Davidem, cùm hic esset ad Ceilam, ut patet ex num. 6. sequenti.

3. *In Judæa . . . timemus.* Quasi dicat: hìc in media tribu Juda, procul a Saule, procul a Philisthæis positi, timemus tamen; quantò magis si viciniora hostibus loca, imò jam ab illis obsessa adierimus.

4. *Rursum ergo David consuluit Dominum.* Ut omnem metum, et dubitationem suis eriperet. Sic olim Gedeon in gratiam militum suorum signum sibi in vellere geminari postulavit.

5. *Salvavit habitatores Ceilæ.* Soluta obsidione.

6. *Ad David in Ceilam.* Vide dicta num. 2.

7. *Tradidit eum Deus in manus meas.* An putat Saul sibi Deum favere? an phrasis hebraica tantùm significat: incidet David in manus meas?

In qua portæ et seræ sunt. Quas claudi et custodiri jubebo.

* 9. *Clam.* Simulabat enim Saul se arma sumere contra Philisthæos.

Applica ephod. Indue ephod quo modo solebant summi sacerdotes cùm in Urim, et Thummim Deum consulere dicebantur, eoque applicato ad corpus pontificis Deus interrogabatur, respondebatque.

10. *Ait David: Domine Deus.* Putat Lyranus verba propositæ quæstionis a sacerdote Dominum consulente fuisse prolata nomine David. Abulensis ab ipso Davide dicta existimat, ut textus sacer indicat, cùm hoc nihil habeat absurdi, et alioqui etiam David propheta fuerit.

* 12. *Tradent.* Scilicet nisi inde excesseris.

13. *Viri ejus quasi sexcenti.* Priùs fuerant quadringenti, sed in moabitico præsidio, et fortasse in saltu Haret numerus auctus erat.

14. *Locis firmissimis.* Natura non arte munitis.

In monte solitudinis Ziph. Erat hic mons Idumææ vicinus, ut patet Josue cap. 15. 24, cujus regionis prærupti montes et scissuræ petrarum ab Abdia celebrantur numero 3.

In monte opaco. Fraxinis, et abietibus, et aliis hujusmodi arboribus, quæ montes amant. D. Hier. de Locis hebraicis montem hunc nebulosum fuisse ait.

16. *Confortavit manus ejus in Deo.* Jussit bono esse animo, ut qui haberet fautorem Deum.

17. *Pater meus scit hoc.* Quia nimirum divino favore promoveri eum videbat, et quotidie capere incrementa, jam præsagiebat animus Davidem regnaturum, maximè verò ex verbis Samuelis cap. 15. 28, quibus pridem protestatus fuerat ipsum a Deo repulsum, et destinatum esse regnum proximo ejus.

18. *Percussit ergo uterque fœdus.* Tertiò; nam 1. statim post Goliæ occisionem cap. 18. num. 3; 2. sub ipsum discessum David, cùm latuit triduum ad petram Ezel. c. 20. 16; 3. hoc loco. Fœdus autem non instauratur ex timore, ne alterutrum facti pœniteat, sed ex amore; juvat enim amantes amoris actus iterare.

Coram Domino. Quia coram Gad propheta, et Abiathar sacerdote, ut vult S. Hier. in Traditionibus, quem sequitur Abulensis. Vel quia fœdus juramenti religione firmatum, Domino in testem invocato.

22. *Recogitat enim de me.* Vatablus ex hebræo in eam sententiam interpretatur: *Præsagit mihi animus eum calliditate sua elapsurum*, cui consentiunt LXX qui habent, *ne fortè versutè agat.*

23. *In cunctis millibus Juda.* Cum omnibus copiis tribûs Juda, in qua ille versatur.

24. *In deserto Maon.* Abulensis ait desertum Maon partem quamdam fuisse latiùs patentis deserti Ziph: Adrichomius tamen in tribu Juda num. 184 et 248 ea deserta sejungit, et diversa facit.

Ad dexteram Jesimon. Supra hanc eamdem vocem *desertum* vertit noster interpres.

25. *Descendit ad petram.* Rupes hæc erat, quæ exiguo spatio Saulem et David separabat, ut patet ex num. 26 sequenti, itaque illi nomen *Petræ dividentis* adhæsit numero 28.

27. *Infuderunt se Philisthiim super terram.* Fines israeliticos ingressi hostiliter, omnia populantur et vastant.

CAPUT XXIV.

David in spelunca Engaddi latitans oram chlamydis Saulis abscindit, ipsi verò Sauli parcit: hoc facto reconciliantur, et David juramento se obstringit de non exscindenda Saulis familia cùm ad regnum venerit.

1. *ENGADDI.* Fuit olim Engaddi urbs nobilissima in tribu Juda dicta Hasason-Thamar, id est, *urbs palmarum*, ut ait S. Hieron. in traditionibus hebr. in cap. 14. Genes. quòd palmis abundaret. Habet desertum adjacens ejusdem nominis, in quo montes admodum prærupti.

3. *Solis ibicibus perviæ sunt.* Hyperbole. Ibices Plinius l. 8. cap. 53, numerat in capris silvestribus.

4. *Quæ se offerebant vianti.* Quæ in itinere occurrebant.

Ut purgaret ventrem. Hebr. *ad tegendum pedes:* dicuntur autem tegi pedes, quia sedentibus, aut incurvatis vestes productiores super pedes effunduntur.

In interiore parte speluncæ latebant. David a Saule visus non est, quia ampla spelunca erat tot militum David capax, ipsique in interiore parte latebant: adde obscuram fuisse, iisque præsertim qui recens a luce venirent.

5. *Tradam tibi inimicum tuum.* Verè ita David dictum sive per Samuelem, aut Gad prophetas, sive aliquo alio modo.

Surrexit ergo. Eo animo videtur ivisse, ut Saulem occideret, nam num. 11 Saulem alloquens ipsemet profitetur: *Cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.*

Præcidit oram chlamydis. Eximia Davidis agilitas, et dexteritas, si chlamydem a tergo Saulis pendentem præcidit. Videtur probabilius ea exutum Saulem, et longiusculè sepositam fuisse. Militum, et equorum fremitus ad os speluncæ in causa esse potuit, quominus David ad regem prorepens, et chlamydem secans sentiretur. *Exiguam particulam*, inquit S. Aug. lib. 12. de Civit. c. 6, *vestis ejus retrorsum latenter abscidit, ut*

haberet, unde monstraret, quomodo ei pepercisset, cùm posset occidere; atque ita suspicionem de animo ejus, qua sanctum David putans inimicum suum vehementer persequebatur, auferret. Ita August.

6. *Percussit cor suum.* Reum scilicet se in sua conscientia agnovit, et addita fortassis pectoris tunsio, quam cùm usurpamus, latens in pectore cor percutimus in doloris argumentum.

7. *Christo Domini.* Saulem propter sacrosanctam unctionem David et *honoravit vivum, et vindicavit occisum*, inquit Aug. lib. 2 contra lit. Petil. cap. 48 : vide infra cap. 26. num. 9.

8. *Confregit David viros suos sermonibus.* Retudit ac restrinxit ardens eorum studium et impetum.

12. *Pater mi.* Ita appellat, quia ætate grandior Saul, officio rex, qui pater populi et reip.; affinitate socer erat, qui genero est quasi pater.

13. *Ulciscatur me Dominus.* Hebr. sonant *ulciscetur;* itaque non est vindictæ a Deo petitio, nec si sit ulla in Davide culpa: ut enim qui privato jure suas injurias non persequitur, magistratum adire potest, et postulare ut in vexantem jure agat; ita, et potiori jure in sinum supremi judicis ac vindicis querelas nostras deponere possumus, modò tollatur privatum odium, et acerbitas animi.

14. *Ab impiis egredietur impietas.* Sententia est: impii impiè; pii verò agunt piè. At ego tecum piè egi, non ergo credendus sum insidias tibi struxisse, aut iniquo animo in te fuisse. Vel sensus est: divina ultio te aliquando comprehendet, absit ut id fiat manu mea, ab impiis hæc aliquando egredietur impietas. * Consonat huic dicto vetus proverbium : *Mali corvi malum ovum.*

15. *Canem mortuum.* Rem vilissimam et infimissimam.

17. *Numquid vox hæc tua.* Procul a Saule steterat David, itaque de facie illum nosse non poterat; agnoscit tamen vocem ejus, cum quo diu et familiariter vixerat.

Fili mi David. Vide supra, n. 12.

18. *Justior tu es quàm ego.* Id est, ego injustus, tu verò justus. * Confessio extorta invito, animo nihil emendato. Vide et infra, cap. 26. 21.

20. *In via bona.* Incolumem, inviolatum.

Vicissitudinem. Vicissitudinem appellat opus gratiæ, indulgentiæ, beneficentiæ.

21. *Scio quòd certissimè regnaturus sis.* Vide supra, cap. 23. num. 17.

23. *Juravit David Sauli.* Quod tamen jusjurandum non impediebat ne si Saulis filii eo mortuo deliquissent puniri possent; alioqui jusjurandum fieret propugnaculum licentiæ et improbitatis.

Ascenderunt ad tutiora loca. Parum enim David Sauli fidebat, cujus quale esset ingenium pluribus experimentis didicerat.

CAPUT XXV.

More Samuelis David Nabali ingrato mortem minatur, sed ab uxore illius Abigail placatur, quæ postea Nabal mortuo nubit Davidi, ut etiam Achinoe. Michol verò Saulis filia et Davidis uxor a parente alteri marito traditur.

1. *Mortuus est autem Samuel.* Anno ætatis 77, juxta Saliani chronologiam, initi magistratûs 38, biennio ante mortem Saulis.* Hebræi tamen in Seder-Olam cap. 13 aiunt tantùm quatuor mensibus ante Saulem exstinctum fuisse.

* *Universus Israel.* Id est, plures e singulis tribubus.

Planxerunt eum. Justa funebria persolverunt, * et *in domo sua* sepelierunt, id est, in natali solo. Solebant etiam esse privatæ sepulturæ illo ævo. Vide Genes. 23. 9 et 50. 5. 1. Mach. 2. 70.

In desertum Pharan. LXX habent, *desertum Maon.* Desertum Pharan erat ad meridiem terræ sanctæ juxta illud Habacuc 3. 3: *Dominus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan.* Hujus deserti pars est Maon.

2. *Magnus nimis.* Potens et opulentus præ vicinis suis agricolis, quo modo Job dictus est *vir magnus inter omnes orientales*, Job. 1. num. 3.

3. *Pessimus, et malitiosus.* Sive ut in hebræo et græco, *malis operibus*, vel *adinventionibus*, qui scilicet malè ageret, et injurius esset in alios.

De genere Caleb. Itaque, ut Caleb, ad tribum Juda pertinebat, ex quo illius ingratitudo major in Davidem hominem de tribu ejusdem, et de se bene meritum.

7. *Nunquam eis molesti fuimus.* In lucro ac beneficio ponunt agricolæ et pastores, si nihil accipiant damni a militaribus viris: id enim quantavis cura, studioque ducis vix obtineri potest. Itaque verè beneficium contulerat in Nabalem David, ita suos in officio continendo, ut nulla in re pastoribus, aut gregi nocerent. Adde quòd eos defenderant etiam, ut ipsi profitentur infra, num. 16.

8. *In die enim bona venimus.* Læta scilicet, qua exhilaratus et auctus bonis a Domino gratificari soles amicis tuis tenuioribus.

Quodcumque invenerit manus tua. Si quid occurrerit, si quid in promptu habueris. * Id quod ex tanta copia facilè dare poteris. Vide hoc loquendi genus Levit. 12. 8.

* 9. *Et siluerunt.* Nihil locuti sunt ampliùs quàm mandatum ipsis fuerat.

10. *Quis est David? et quis est filius Isai?* Ita illum per contemptum appellat.

Increverunt. Multiplicati sunt, ut habent LXX.

14. *Benedicerent domino nostro.* Salutarent, benè precarentur.

17. *Completa est malitia adversum virum tuum.* Malitiam vocat pœnam, aitque ex præsumptione valde probabili, quæ ex verbis signisque nuntiorum colligi posset, definitum esse ac statutum apud Davidem ingentem aliquam calamitatem in Nabalem, totamque ejus familiam importare.

Est filius Belial. Scelestus, et importunus : supra, num. 3, dicitur *pessimus et malitiosus.*

Ut nemo possit ei loqui. Ita ut asperum aliquod responsum non ferat.

18. *Quinque sata polentæ.* Quinque mensuras tosti farris. LXX habent, *quinque ephi farinæ*, quorum singula continent decem gomor; gomor autem mensura erat cibi in unum diem sufficientis, etiam edacissimo cuique. Vide dicta Exod. 16. 16.

Centum ligaturas uvæ passæ. Has hebraicus textus צמקים *tsimmuquin*, appellat, quæ vox botros, aut massas uvarum aridarum significat. Fortasse fuerunt uvæ passæ in massam compressæ, et compactæ ad eum planè modum quo ex Græcia uvæ passæ deferuntur ad nos in usum ciborum. Forsitan etiam ligaturæ dicuntur, quòd botri bini et bini, vel plures simul colligarentur, ut fit in Apulia, antequam dimittantur in vasa, non autem quod iis sacculi infarti funiculis ligarentur. De hoc cibi genere vide plura in nostris Œconomicis lib. 1. cap. 27. num. 1.

Ducentas massas caricarum. Has hebraicè appellant דבלים *debelim*, græcè, παλάθας, eadem semper significatione : sunt ficus in massam compressæ, et, ut quibusdam placet, in lateris formam figuratæ, exilibus fortasse oblongisque taleolis insertæ, ut apud nos fieri solet; aut aliqua alia ratione compactæ, ut faciliùs con-

serventur, nec nimiùm arescant, succoque destituantur. Chaldæus vertit *libras*, ea fortasse de causa quòd quælibet massa libræ unius pondus impleret.

21. *Malum pro bono*. Contumelias scilicet, cùm saltem gratias agere debuisset.

22. *Inimicis David*. Nomine inimicorum David seipsum intelligit, sed ita loquitur ad molliendam imprecationem, quam in seipsum intorquere insanum videtur. Porro David hoc juramento concepto peccavit, non solùm quia ab affectu vindictæ profectum est, sed etiam quia in innocentes sævire animus fuit, quales multi fuerunt in domo Nabal, et quia graviorem peccato pœnam privata etiam auctoritate inferre statuebat. *De formula illa juramenti imprecatoria, *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat*, dixi supra, cap. 3. 17.

Mingentem ad parietem. Ad ipsos usque canes. Hebr. est משתין *mastin*, quæ italicæ nostræ voci *mastino* respondet, quo nomine pastorum canes appellamus.

24. *In me sit . . . hæc iniquitas*. Luam ego pœnas eorum, quæ Nabal in te peccavit.

25. *Ne ponat . . . cor suum*. Ne attendat quæ facit, aut loquitur Nabal, nec illis offendatur, cùm stultus sit, ebrius, nec suî compos.

Secundum nomen suum stultus est. Hoc enim Nabal significat.

26. *Vivit Dominus, et vivit anima tua*. Gratias agit Deo, et Davidi callidè gratulatur, quasi divinitus prohibitus sit a fundendo sanguine : quæ gratulatio simul ostendit non bene facturum fuisse David si in proposito expetendæ ultionis perseveraret.

Salvavit manum tuam tibi. Cohibuit te, et manus tuas ultrices.

Fiant sicut Nabal inimici tui. Optat ut inimici David fiant contemptibiles, et facilè superabiles sint, ut Nabal.

27. *Benedictionem hanc*. Hoc munusculum.

28. *Aufer iniquitatem famulæ tuæ*. Dixerat enim num. 24: *In me sit ista iniquitas*, et se peccati illius quodammodo ream constituerat.

Faciet . . . tibi . . . domum fidelem. Stabiliet te et domum tuam non ad breve tempus, ut domum Saul, sed in perpetuum. Chald. vertit, *regnum firmum*.

* *Prælia Domini*. Prælia Domini sunt, quæ in Philisthæos parisque conditionis gentes geruntur.

Malitia. Peccatum, quale hoc esset, si sævires in nos.

29. *Custodita quasi in fasciculo viventium.* Videtur sumpta metaphora ab agricolis qui decisas arbore virgulas, aut surculos colligant in fasciculum, et aquam infundunt, ne arescant. Ita David quia exulabat, quasi ramus erat ab arbore abstractus, quam Abigail Dei providentiâ in vita optat conservari, et ab hostibus illum ad necem quærentibus defendi.

Rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ. Profugi enim et vagi dissipabuntur et dispergentur, ut lapides quos fundâ circumactâ longè a nobis projicimus.

31. *Non erit tibi hoc in singultum.* Causa scilicet dolendi et flendi.

Recordaberis ancillæ tuæ. Salutaria consilia suggerentis.

34. *Non remansisset Nabal.* Nabali; est enim dativi casus. Alii legunt, *de Nabal.* Vide dicta num. 22.

35. *Honoravi faciem tuam.* Feci te voti compotem ob honorem et amorem tuî. Sic e contra confundere faciem alicujus phrasi hebraica est negare postulata, ex quo fiat ut postulans confusus abscedat. Vide 3. Reg. 2. 20.

36. *Quasi convivium regis.* Propter ciborum abundantiam, et convivarum multitudinem.

Cor Nabal jucundum. Qui enim largiùs bibunt, hilariores fiunt.

Non indicavit ei verbum. Prudenter, quia temulentus erat.

37. *Factus est quasi lapis.* Hæsit, timoreque obstupuit.

38. *Percussit Dominus Nabal.* Sive peste, sive aliâ quâvis plagâ, ut ait Abulensis.

39. *Benedictus Dominus.* Lætatus est David, quia non reddidit malum pro malo, et meritum apud Deum, et pacem conscientiæ consecutus est, et in divina providentiâ lætatus. De malo autem Nabalis, ut malum ejus fuit, gaudere non potuit; id enim ab odio proficiscitur, et animum offensione adhuc exulceratum sapit.

Opprobrii mei. Contumeliæ mihi a Nabal illatæ.

Misit ergo David. Non statim a Nabalis morte, sed aliquo temporis spatio interjecto, unius, v. g., aut alterius mensis; neque enim notâ aliquâ carent mulieres, quæ statim a prioris mariti morte ad novas nuptias convolant.

41. *Adoravit prona in terram.* Quasi præsenti David in famulis suis reverentiam exhibens, vel beneficium Davidis agnoscens, et pro illo Deo gratias agens.

42. *Festinavit.* Non cum ipsis nuntiis profectam crediderim ad David, sed aliquantò post, ut interim quæ

ad nuptias et profectionem necessaria erant pararet.

Pedissequæ ejus. Videntur hæ pedibus iter confecisse, quod etiam ex hebræo colligi potest, et ita sentit Abulensis; et brevis erat via, et unius tantùm asini fit mentio qui honoris causâ dominæ destinatus erat.

Secuta est nuntios David. Scilicet post aliquot dies, ut diximus.

43. *Sed et Achinoam.* Josephus ait Achinoam ante ductam fuisse a David, quàm Abigail, cui sententiæ favet quòd 2. Reg. 3. 2, Amnon primogenitus Davidis filius Achinoam fuisse dicitur, et ubicumque de uxoribus Davidis agitur, primo loco Achinoam nominatur. Prima ergo fuit Michol, secunda Achinoam, tertia Abigail.

De Jezrahel. Quæ est nobilis civitas in tribu Juda.

44. *Qui erat de Gallim.* Civitate in tribu Benjamin, cujus meminit Isaias 10. 30. Non caruit culpâ Michol, quæ non repudiata nec soluto matrimonio alteri nupsit, et in adulterio vixit, donec a David revocata est 2. Reg. 3. 14.

CAPUT XXVI.

David a Ziphæis apud Saulem delatus, hastam et scyphum dormienti regi abstulit, ipso intacto : quod ubi cognovit Saul, culpam agnoscit, revocatoque David securitatem pollicetur.

1. *Ex adverso solitudinis.* Ad dexteram nimirum ejus partem; supra enim, cap. 23. 19, dicitur : *In colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti.*

3. *In Gabaa Hachila.* In colle, sive excelso loco; non enim Gabaa hìc proprium est nomen, sed commune.

Videns autem. Per exploratores scilicet, vel per seipsum; ut verò rem certò cognosceret exploratores mittit.

5. *Venit... cùmque vidisset.* Venit ipsemet, ut vult Lyranus, mentito tamen habitu. Vel etiam dici potest venisse David per exploratores, quo etiam modo explicandum quod dicitur vidisse, vel venit et vidit ex vicino aliquo edito loco.

Saulem dormientem. Longè positus dormientem videre non potuit, sed dormientes vidisse dicitur, quia revera dormiebant, et ipse ibi nullum motum animadvertebat, et magnam populi partem circumfusam videbat humi stratam, et ad quietem compositam.

* *In tentorio.* LXX habent, ἐν λαμπήνῃ, quæ vox currum regium significat, teste Polluce.

6. *Quis descendet mecum ad Saul in castra?* Magno se periculo exposuit David, sed non temere, quia se divinitus ad facinus incitari sentiebat. Deus autem iterari clementiæ Davidis exemplum voluit ut plùs a populo diligeretur, et Saulis ingratitudo magis appareret.

Abisai. Davidis nepos ex sorore Sarvia.

9. *Quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit?* Vide dicta supra, cap. 24. num. 7; non enim poterat privatus in principem absque scelere manus injicere. Itaque David impetum inhibet Abisai, et causam suam Domino judicandam relinquit, juxta ea quæ dixerat cap. 24. 13. *Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.*

10. *Nisi Dominus percusserit eum.* Scilicet morbo. Tria enim genera mortis hìc tangit David, ex morbo, ex senectute, ex casu, v. g., in bello.

12. *Scyphum aquæ.* Sunt qui matellam esse putent, qua urina excipitur; appellant enim Hebræi urinam *aquam*, ut Ezech. 7. 17, *omnia genua fluent aquis*, urina scilicet, ut fit in magno timore. Verius videtur fuisse vas aquæ ut suppeteret quo in æstu itinere fatigatus recrearet se.

Sopor Domini. A Deo immissus vel gravissimus et maximus; sic cedri Dei dicuntur, et montes Dei, id est, cedri admodum proceræ, et montes valde excelsi.

15. *Numquid non vir tu es?* Clarus et insignis, ironicè; vel ita laudat ut laudem in exprobrationem vertat, quasi dicat: tu tantus vir tam indiligenter regem custodis? Ex hac exprobratione putat Salianus ortam Abneris alienationem animi a Davide, qua stimulatus impedimento fuit per septem annos ne totus Israel, exstincto Saule, Davidem sequeretur.

Unus de turba. Abisai; vel sensus est: ingressus est unus quispiam, aut ingredi potuit, et obtruncare regem.

Dominum tuum. Non dicit meum, quia a Saule tanquam alienus et hostis tractabatur.

16. *Filii mortis.* Rei mortis.

Vide ubì sit hasta. Ne te immeritò accusatum et increpitum putes.

* 19. *Si Dominus incitat te.* Si Dei nutu et voluntate, non autem invidia et malo genio stimulante moveris.

Odoretur sacrificium. Præstò sum ad mortem subeundam, quasi victima Deo consecrata in odorem suavitatis.

In hæreditate Domini. In terra Israel, quam Dominus populo suo in hæreditatem dedit.

Vade, servi diis alienis. Licèt enim hoc verbis non dicerent, factis tamen videbantur suadere, cùm illum persequebantur. Prudenter David Saulis culpam in alios transfert. Certè Ziphæi, ut patet ex capitis hujus initio, David adversabantur, et adversatus fuerat Doeg Idumæus, probabileque est alios in regis aula non defuisse, qui illius incrementis inviderent.

20. *Non effundatur sanguis*. Petit David ne Saule jubente, vel conscio interficiatur, quia scilicet indignum sit tantum principem tantulum adversarium ad mortem persequi, et quidem tanta ferocitate quanta rapaces aves solent perdicem in montibus persequi.

* *Coram Domino*. Deo inspectante et vindice futuro. Sic Zacharias Joiadæ filius cùm jussu Joas regis occisus est, 2. Par. 24. 22, ait: *Videat Dominus, et requirat*.

Persequitur. Sumitur in passiva significatione.

21. *Pretiosa fuerit anima mea*. Vita meà, cui tanquam rei pretiosæ pepercisti, nec eam perdere voluisti.

Ignoraverim multa nimis. Veritatis enim inopiâ laborant principes, cùm inter aulicos, qui illos circumstant adulandi certamen sit. Ignoravit Saul aulicorum suorum invidiam, Ziphæorum malignitatem, Doegi calumnias, familiæ Davidis innocentiam, ipsius denique Davidis animum a regni cupiditate alienum.

22. *Ecce hasta regis*. Prudenter David Sauli non fidit, licèt ab illo invitatus; suspicari enim meritò poterat, ne, ut aliàs, rediret ad ingenium. Hastam reddit, ne videatur illam tanquam hostis spolium retinere.

24. *Magnificata est anima tua*. Idem est quod num. 21 dictum est: *Pretiosa fuerit anima mea*.

Sic magnificetur anima mea. Pretiosa sit Domino, ita ut illam conservatam velit.

25. *Faciens facies*. Id est, res tibi succedent ex animi sententia, et ad regnum pervenies et potestatem regiam nancisceris.

In locum suum. In Gabaa civitatem suam.

CAPUT XXVII.

David ad Achis regem Geth revertitur, a quo urbem Siceleg impetrat, e qua plurimas in dies prædas ex Amalecitis et aliis vicinis locis agit.

1. *Incidam una die in manus Saul.* Prudens est Davidis consilium; Dominus enim qui protector illius erat, simul volebat ut ex humanæ prudentiæ legibus sibi caveret. Credibile est consilium cum præcipuis sociis communicasse, et etiam super ea re Domino per Abiathar consulto divinum responsum exspectasse.

Desperet Saul. Posse me comprehendere.

2. *Ad Achis.* Probabile est, antequam ad Achis veniret, legationem ad eum misisse, quâ postulaverit ut fieret sibi potestas in regno illius domicilium figendi.

3. *Vir et domus ejus.* Id est, quisque cum domo et familia sua.

5. *Cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum?* Quasi dicat : si manerem, essem tibi oneri, vel quòd in civitate frequenti, quippe regia, cum sexcentis viris, et eorum familiis, angustias facerem; vel ne ego cum tanto comitatu quasi alter rex existimer velle videri; vel ne aliqua de me sit suspicio quasi regi, aut regno insidier; vel ne sim oneri si me tuis expensis alere velis. Porro David seorsum a rege habitare cupiebat, ut populari regiones incircumcisorum tutiùs posset, utque suos ab idololatriæ periculo subduceret.

* 6. *Dedit. . . . Siceleg.* Ad inhabitandum, et ut ibi, tanquam loco opportuno, securus esse posset.

Facta est Siceleg regum Juda, usque in diem hanc. Verba hæc ostendunt postremam hujus libri partem tardiùs aliquantò scriptam esse fortassis ab aliquo Samuelis discipulo, ut conjectat Salianus : quanquam non desunt qui hujusmodi verba, quæ sæpe occurrunt, posterioribus seculis ab Esdra inserta fuisse arbitrentur, vel ab aliquo prophetarum. Vide Abulens. q. 12 et 14 in hoc cap 27. * Facta est autem Siceleg regum Juda bello postea suborto, cujus mentio infra, cap. 30. 1; nam quæ tali tempore apud aliquem deprehenduntur, illius fiunt, etiam juxta imperatorias leges. Vide titulum de acquirendo rerum dominio, et de Capt. et Postlim. reversis.

8. *Ascendit.* Cum expedita scilicet suorum manu.

Agebant prædas. Non tamen de Philisthæis, quia

ingratus fuisset in regem a quo humaniter et donatione oppidi liberaliter fuerat exceptus, nec facilè potuisset diu latere, sibique magnum periculum creasset. Ita Abulens. q. 15, quem sequitur Salianus. Non desunt tamen qui secus sentiant.

De Gessuri et de Gerzi. Definit regionem in quam impressionem faciebat David, nimirum regionem ad austrum Juda positam, ab ingressu deserti Sur Ægyptum versùs. Gessur et Gessuri duplex in Scriptura reperitur. Altera trans Jordanem contermina Syriæ, proptereaque Gessur Syriæ appellatur, pertinuitque ad tribum Manasse. Altera est ea, de qua hìc est sermo, vicina Amalecitis, et extra terminos Israelitarum, versùs meridiem, cujus alibi non fit mentio quàm hoc loco, sicut neque de Gerzi.

9. *Percutiebat David omnem terram.* De Amalecitis non est difficilis quæstio, quo illos jure vexaret David; nam Exod. 17. 16, habetur : *Bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem*, hoc est, perpetuum : potuit ergo illorum urbes vastare jure belli. De aliis gentibus dicendum est, vel illas fuisse comprehensas intra terminos terræ olim Israelitis promissæ ex qua gentilium nationes delendæ erant, vel certè a Deo ut ita faceret jussum fuisse David qui per Abiathar sacerdotem Numen de rebus agendis subinde consulebat.

Tollensque, oves et boves. Saul, ut vidimus supra, cap. 15. 3, jussus fuerat omnia Amalecitarum demoliri et interficere *a viro usque ad mulierem et parvulum, atque lactentem bovem et ovem.* Itaque David hac lege solutus fuit a Domino, vel certè Sauli duntaxat præceptum illud fuit impositum, ut sentit Abulens. q. 20 in hoc caput.

Veniebat ad Achis. Cui scilicet optima quæque honoris causâ offerebat. Priùs tamen quàm veniret ad Achis ab expeditione revertens divertebat in Siceleg, quæ ex Adricomii Topographia ferè media est inter Geth regiam Achis et regionem quam populabatur.

10. *Contra meridiem Jerameel.* Erant hæc nomina partium quarumdam sortis Juda.

11. *Non vivificabat.* Vivum non relinquebat.

Hoc erat decretum illi omnibus diebus. Ut scilicet neque mancipium servaret ullum, neque ancillam de hostibus, in quos infestus irruebat, ne scilicet stropha detegeretur.

12. *Erit igitur mihi servus sempiternus.* Cùm irreconciliabiles cum sua gente inimicitias gerat.

CAPUT XXVIII.

Philisthæi bellum parant adversus Saulem. David sequitur Achis regis castra. Saul per pythonissam jubet suscitari Samuelem, ex quo mortem suam suorumque in crastinum discit.

2. SCIES *quæ facturus est servus tuus.* Quomodo scilicet tibi sim obsecuturus, et quàm strenuè pro te pugnaturus; ita sonant verba, et in hunc sensum ea accepit Achis. At ea perpendenti apparebit nihil certi promisisse David, qui eo sinè dubio animo fuerit, ut consulto priùs Domino, ejus providentia et voluntate regeretur, ut neque contra gentem suam arma ferret, neque benefico regi videretur ingratus.

3. *Samuel autem mortuus est.* Cum de pythonissa sermonem facturus esset sacer textus, mortem Samuelis iterum memorat, de qua locutus fuerat initio cap. 25.

Saul abstulit magos. Eo nimirum tempore quo non erat melior illo in populo. * Sustulerat magos juxta legis mandatum, Lev. 19. 31 et 20. 6. 27; Deut. 18. 11.

4. *In Sunam.* Fuit hæc urbs in tribu Issachar ad latus australe montis Hermon, ut ait Adrichomius in Issachar, num. 57.

Venit in Gelboe. Quem Josephus ait fuisse situm e regione Sunam, in eadem nimirum tribu Issachar. Erant ergo ita dispositi exercitus, ut Saul meridianam plagam occuparet, Philisthæi aquilonarem, vallis autem Jezrael esset utrique exercitui interjecta.

5. *Vidit Saul castra Philisthiim.* Ex edito illo loco in quo sederat cum exercitu.

Expavit cor ejus nimis. Vel quia ingentes hostium copiæ, vel quia ipse sibi propter toties offensum Dominum malè conscius, vel quia Dominus ei timorem immisit.

6. *Et non respondit ei neque per somnia.* Consuluerat Deum illum rogando ut qua ratione voluisset, sive per somnia, sive per prophetam aliquem quid fieri vellet indicaret, ac responsum nullum tulit. * Contempsit Deus hominem profanum, et tot sacerdotum sanguine pollutum.

7. *Mulierem habentem Pythonem.* Vetitum erat lege Deut. 18. 10, ne quis Pythones consuleret, et quamvis Saul, ut supra diximus, ariolos et pythonicos delere

conatus esset, non dubitabat aliquos adhuc superesse, mulieres præsertim, quæ leviores, et ad superstitionem proniores esse solent. Pythonissas LXX ἐγγαστριμύθους appellant, id est, *ventriloquas*, quòd dæmon, ut quidam volunt, per inferiora ventris detestabiles ederet voces.

In Endor. Quæ civitas fuit quidem intra sortem Issachar; pertinebat tamen ad Manassem, ut constat ex lib. Josue, cap. 17. 11.

8. *Mutavit ergo habitum suum*. Ne a muliere agnosceretur, metuque illius se pythonissam negaret, et divinationem exercere nollet. Vel etiam clam profectus est, ne regis absentia exercitui timorem crearet.

10. *Juravit ei Saul*. In quo juramento peccavit, sacrum adhibens jusjurandum ut mulierem induceret ad sacrilegum maleficium.

11. *Samuelem mihi suscita*. Sperabat enim præ antiqua benevolentia eum summæ necessitati opem laturum.

12. *Cùm autem vidisset mulier Samuelem*. Anima enim Samuelis apparuit, non vi incantantis pythonissæ, sed Deo ita volente.

Exclamavit. Fortasse quia priùs affuit, quàm illa carmen suum necromanticum absolvisset; vel quia non eo modo apparuit quo evocatos mortuos apparere aiunt rabbini apud Lyran. Abulens. et Bellarminum lib. 2. de Purg. cap. 6, pedes nimirum sursum habentes, caput verò deorsum, vel supinos, ut in sepulcris condi solent, sed erectus, eo situ quo sunt homines viventes.

Tu es enim Saul. Quod vel ex Samuele cognovit, vel ex familiari dæmone.

13. *Deos vidi ascendentes de terra*. Pluralis numerus ponitur pro singulari hebraica phrasi, ut in Exodo 4. 32, de unico vitulo aureo dictum est: *Hi sunt dii tui*.

14. *Amictus est pallio*. Prophetico scilicet, quale dudum laceraverat Saul, supra, cap. 15. 27.

Adoravit. Samueli, quem sibi astare intelligebat, reverentiam exhibens.

15. *Quare inquietasti me?* Turbatio in animas sanctorum, quæ in limbo sunt, non cadit: itaque turbatio hìc juxta communem loquendi modum accipienda est; inquietari enim dicuntur, qui e loco quietis et pacis educti, molestis negotiis implicantur.

16. *Quid interrogas me*. Quasi dicat: an ignoras me ibi favere non posse, cùm sis inimicus Domini mei?

Ad æmulum tuum. David.

18. *Neque fecisti iram furoris ejus in Amalec.* Non paruisti Domino Amalecitis irato, nec eos, ut fueras jussus, internecione delevisti.

19. *Cras autem tu et filii tui mecum eritis.* Hoc non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem mortis conditionem referendum est.

21. *Ingressa est itaque mulier illa... ad Saul.* Tantisper enim discesserat, ut Saul cum Samuele liberiùs remotis arbitris colloqui posset.

25. *Ambulaverunt per totam noctem.* Videntur pedites iter fecisse, quòd sic faciliùs, et suos latere possent, et hostes, si in aliquos eorum per noctem dum iter faciebant incurrissent.

CAPUT XXIX.

Ægre ferunt satrapæ Philisthæorum Davidem se et suos adjunxisse copiis regis Achis; ideoque jubetur dimitti, et in Siceleg reverti.

1. *In Aphec.* Locus in valle Jezrahel.

2. *In centuriis et millibus.* Suas centurias, et chyliadas lustrabant satrapæ præcipui, illasque obibant ordinandi, adhortandi, et videndi gratiâ an omnia se rectè haberent.

In novissimo agmine cum Achis. Non ex ignavia, aut timore, sed quia locus ille Achi obtigerat aliqua sorte, vel ratione dignitatis, quòd omnium satraparum præstantissimus esset. Adde in extrema acie fortissimos quosque collocari solitos. Sic apud Romanos qui triarii vocabantur ultimum tenebant locum.

3. *Quid sibi volunt Hebræi isti?* Facilè illos nosse poterant ex dialecto, et fortassis etiam ex vestitu, et armorum genere.

Multis diebus, vel annis. Supra, cap. 27. num. 7, habemus : *Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quatuor mensium.* Itaque vel mentitus est Achis, ut fidem faceret Philisthæis Davidem satis superque sibi notum, quod probabile putat Abulens. quæst. 15 in cap. 27, et quæst. 5 in hoc cap. 29; vel annos retulit ad primam commorationem, quæ ante annos aliquot ante illum inchoata fuerat : vel annos intelligit finem prioris, et posterioris initium, quo modo etiam explicari possunt LXX qui habent, γέγονε μεθ' ἡμῶν ἡμέρας τοῦτο δεύτερον ἔτος. *Mansit apud*

nos dies, plurimos scilicet, *hic quippe secundus annus est.*

4. *Placare dominum suum, nisi in capitibus nostris?* Quasi dicant, insigni aliquo facinore in perniciem nostram perpetrato, redimet et redintegrabit cum Saule gratiam.

6. *Exitus tuus, et introitus tuus.* Consuetudo et actiones tuæ mihi probantur.

Satrapis non places. Prudenter Achis quid in Davide timuerint Philisthæi tacitus transmittit, solùmque generatim ait satrapis illum non placere.

8. *Quid enim feci.* Pulchre David servit fabulæ, et speciem exhibet hominis de facta sibi injuria conquerentis. Necessaria querela, ne, si taceret, suspicionibus Philisthæorum suffragari videretur.

9. *Sicut angelus Dei.* Meminit angeli Dei, sicut a Davide, aut aliis Hebræis in familiari colloquio usurpari audierat. Vel etiam eum dicendi modum Philisthæi a vicinis hauserant Hebræis; conterminæ enim regiones, ut experientia docet, multas voces et phrases communes habent. * Davidem Achis missum facit: sic coguntur sæpe in bellis reges aptare se eorum desideriis, quorum operâ indigent.

10. *Cùm de nocte surrexeritis.* Lucem jubet antevertere, aut summo mane discedere, ne reliquus exercitus eorum quæ gerebantur ignarus, mali aliquid suspicaretur aut animis deficeret.

CAPUT XXX.

Amalecitæ urbem Siceleg capiunt, diripiunt, incendunt absente Davide, qui mox adest, pene omnes occidit, et prædam recuperat.

1. AMALECITÆ *impetum fecerant.* Causa incursionis hujus Amalecitarum videtur fuisse quòd jam a Davide sæpius vexati, in omnem occasionem ultionis intenti, cùm illum castra Philisthæorum secutum fuisse cognovissent, arma ceperunt, et regionem Philisthæorum, ac potissimùm Siceleg populati sunt.

4. *Donec deficerent in eis lacrymæ.* Vel, ut est in hebræo, *donec non essent eis vires ad plorandum.*

6. *Volebat enim eum populus lapidare.* Quòd illum tantæ cladis auctorem facerent, vel propter irritatos Amalecitas; vel propterea quòd abductis omnibus militibus suis, urbem præsidio nudatam reliquisset.

Confortatus est autem David. Bona spe imbutus amissa recuperandi et ulciscendi injuriam, Deo bene juvante.

7. *Applica ad me ephod.* Non petit David indui ephod pontificali, sed vult ut illud sibi applicet sacerdos, ad obtinendam Davidi interroganti responsionem.

9. *Ad torrentem Besor.* Hic torrens sub fines tribûs Simeonis constituitur ab Adrichomio, eumque ex montanis Judæ derivatum ad occiduum mare deducit, ad oppidum et portum Majoma, non multùm ultra Gazam, ad quam ille pertinet.

12. *Fragmen massæ caricarum.* Ferebant secum milites aliquid viatici, prudenter utique, cùm versùs loca deserta iter facerent. Massæ caricarum sunt massæ aridorum ficuum simul compactorum.

Ligaturas uvæ passæ. Vide dicta supra, cap. 25. num. 18.

13. *Dereliquit autem me dominus meus.* Hujus inhumanitatis pœnas luit; si enim cum præda currui impositum abduxisset, fortasse non habuisset David, cujus indicio recedentes Amalecitas persequeretur.

14. *Ad australem plagam Cerethi.* Cerethæos rabbi David interpretatur Philisthæos: alii quamdam eorum provinciam, ut Vatablus et Abulensis; quod si ita est, pertinebat is locus ad satrapiam Gazæ, quæ omnium maximè ad austrum vergit.

Contra Judam. Terram Juda montanam, in qua posteri Caleb habitabant.

15. *Non tradas me in manus domini mei.* Si fortè accidat ut aliqua conventione sit cum Amalecitis paciscendum, isque me reposcat, aut aliquis alius hujusmodi casus inciderit.

Ducam te ad cuneum istum. Fortasse enim ex abeuntibus cognoverat quò essent profecturi.

16. *Quasi festum celebrantes diem.* In hebræo est, *tripudiantes*, in deorum scilicet suorum honorem, quibus collectæ ingentis prædæ beneficium se debere profitebantur.

17. *Et percussit eos David.* Pugnatum non est; totus labor fuit vino madidos, cibo distentos, tripudio fatigatos conficere, et fugam arripientes assequi.

A vespere usque ad vesperam alterius diei. Mirum tanto temporis spatio plures non evasisse, quàm quadringentos. Credibile est situm loci fuisse Davidi cognitum, eosque quasi caveâ inclusos evadendi facultatem facilè habere non potuisse.

19. *Omnia reduxit David.* Iis exceptis quæ incendium absumpserat, vel in cibum et potum cesserant.

20. *Hæc est præda David.* Voces hæ sunt militum suo duci gratulantium.

21. *Salutavit eos pacificè.* Innuit benevola hæc salutatio nulla hos in culpa fuisse, quòd Davidem non essent secuti; nisi velimus hoc eximiæ Davidis mansuetudini tribuere.

22. *Omnis vir pessimus et iniquus.* Sive ut est in hebræo, *vir Belial;* apud LXX, *vir pestilens et malignus.*

23. *De his, quæ tradidit nobis Dominus.* Quasi dicat: cùm Dominus tam liberalis in nos fuerit, non est æquum adversus fratres nostros nos esse tenaces, et nihil mali commeritos nostra a nobis illiberalitate distrahere.

24. *Æqua enim pars erit.* Utrique enim ad nutum imperatoris sunt parati; nec inutiliter qui remanserant operam suam custodiendis sarcinis posuerunt.

* 25. *Factum est hoc ... quasi lex.* Ita etiam fieri jusserat Deus in bello Madianitico, Num. 31. 27.

26. *Et misit dona.* Ingentem prædam collegisse oportet Davidem, cùm ejus partes in tam multas civitates, quot hìc numerantur, distribuerit.

27. *Bethel.* Quæ erat in tribu Benjamin.

Ramoth. In tribu Gad trans Jordanem.

Jether. In tribu Juda, civitas erat levitica.

28. *Aroer.* In tribu Ruben.

Sephamoth. Quam Abulensis in tribu Juda constituit, etsi in catalogo urbium Juda non reperiatur, nec alibi quàm hoc loco a Scriptura nominetur.

Esthamo. Quæ Esthemo dicitur in libro Josue cap. 21. 14, et in leviticis urbibus tribûs Juda cum Jether recensetur.

29. *Rachal.* Hujus oppidi hoc tantùm loco mentio fit in Scriptura, et prætermissum est ab Adrichomio. Abulensis ait fuisse in tribu Juda, licèt non memoretur in catalogo Josue 15.

Jerameel, et ... Ceni. Fuerunt parvulæ provinciæ in tribu Juda.

30. *Arama.* In tribu Nephthali, Josue cap. 19. 36.

Lacu Asan. Lacus Asan nomen est oppidi, nec constat ad quam tribum pertinuerit.

Athach. A S. Hier. de Locis hebraicis in tribu Juda ponitur, nec alibi ulla ejus in Scriptura mentio est.

31. *Hebron.* Clarissima civitas in montanis Juda, cujus frequens mentio est in sacris litteris.

In his locis, in quibus commoratus fuerat. Voluit enim hisce muneribus destinatis grati animi significationem dare propter accepta ab illis beneficia.

CAPUT XXXI.

Saul cum filiis in pugna cæsi corpus truncato capite in muro Bethsan suspenditur, armaque ejus in templo Astaroth. Viri Jabes Galaad, ablatis Saul ac filiorum ejus corporibus, juxta Jabes ea sepeliunt.

1. *PHILISTHIIM autem pugnabant adversum Israel.* Pugnasse dicuntur Philisthæi, quia ipsi ultro priores Israelitarum copias invaserunt.

2. *Et in filios ejus.* Mirum videtur Saulem non egisse ut filii prælio non interessent, quod adversum futurum sciebat. Fortasse sentiebat divinum decretum esse immutabile, nec posse eos eripi exitio : quare nec quo res essent loco admonuit, ne præmaturo mortis nuntio eis dolorem et animi consternationem crearet. Pertinuit autem ad Saulis pœnam ut filiorum ante se cadentium triste spectaculum cerneret.

3. *Totumque pondus prælii versum est in Saul.* Quòd eo superstite non putabant Philisthæi perfectam sibi victoriam contigisse.

Vulneratus est vehementer a sagittariis. LXX habent, ἐτραυματίσθη ἐις τά ὑποχόνδρια, *vulneratus est in hypocondriis.* Vocant hypocondria medici partes musculosas supra umbilicum, quæ spuriis costis ad latera utrinque subjiciuntur. Theodotion ait vulneratum in parte quæ est prope jecur.

4. *Ad armigerum suum.* Quem Hebræi, teste D. Hier., multique hujus loci interpretes Doeg Idumæum fuisse existimant.

Evagina gladium. Quem ut in fuga vaginâ condiderat; vel certè quia res sagittis agebatur.

Fuerat enim nimio terrore perterritus. Ob regis scilicet reverentiam. * Homerus : Δεινὸν δὲ γένος βασιλήιον ἐςι Κτείνειν.

Durum autem est genus regale
Occidere.

Irruit super eum. Ex quo vulnere mortuus est; nam narratio juvenis Amalecitæ, quæ habetur l. 2. cap. 1

num. 10. mendax censetur a plerisque sacræ Scripturæ interpretibus. * An Saul æternam mortem subierit breviter dixi supra, cap. 28. 19.

6. *Universi viri ejus.* Clariùs hoc dicitur 1. Paral. 10. 6, ubi habemus, *et omnis domus illius pariter concidit*, hoc est, præcipui quique, nam superstes fuit Abner Saulis patruelis, Isboseth etiam filius Saulis, et Miphiboseth filius Jonathæ.

7. *Trans vallem.* Jezrahel, quæ a meridie montes habebat Gelboe, a septentrione montes Hermon, et utrisque subjecta erat.

Trans Jordanem. In hebræo ad verbum est, *et viderunt viri Israel, qui erant in transitu vallis, et qui in transitu Jordanis.* In nostro ergo textu τὸ *trans* significat *in transitu.* Porro hi fuerunt Issacharitæ, quorum in sorte erat tota ea vallis, quæ porrigebatur usque ad Jordanem. Itaque Issacharitæ, qui campestria vallis habitabant, viciniori loco prælii primi fugerunt, et huc, illucque dispersi sunt. Deinde qui erant prope Jordanem et quasi in transitu ejus, fugerunt et ipsi.

9. *Ut annuntiaretur in templo idolorum et populis.* In templis, ubi frequentia populi major, et ut gratias eis referrent pro victoria.

10. *In muro Bethsan.* Quam medio milliario prope Jordanem ponit Adrichomius in tribu Manasse cis Jordanem.

13. *Jejunaverunt septem diebus.* Non legis alicujus præscripto, aut consuetudine, sed sponte sua in mœroris et benevolentiæ erga principem argumentum. David, etiam pro Saule diem unum cum sociis jejunavit. 2. Reg. 1. 12.

LIBER SECUNDUS REGUM.

CAPUT PRIMUM.

David occidi jubet Amalecitam qui jactabat a se interfectum Saulem. Luget deinde cæsum regem, et cladem Israelis.

1. *MANEBET in Siceleg duos dies.* Non enim urbs adeo deflagraverat, ut in ea commorari non liceret: satius etiam duxit David suo se oppido continere, quàm ad alia Philisthæorum loca migrare, ne eorum augeret suspiciones.

2. *Veste conscissa.* In signum doloris de more illius ævi.

Venit ad David. Cui se gratum nuntium allaturum speravit.

Cecidit super faciem suam. Regiam in Davide dignitatem Saule mortuo agnoscens.

4. *Saul et Jonathas filius ejus interierunt.* Alios filios non nominat, ut minùs celebres, vel potiùs quia minùs ad Davidem pertinebant, cujus futuro regno Saul et Jonathas soli obstare videbantur.

6. *In montem Gelboe.* In locum ubi Saul jacebat moribundus.

Incumbebat super hastam suam. In proprium pectus infixam. Libro superiore cap. 31. num. 4, dicitur gladio incubuisse, sed gladius phrasi Scripturæ omne telorum genus significat, ut passim cùm minatur Dominus per prophetas populum peste, gladio, fame periturum.

8. *Quisnam es tu?* Voluit Saul amica manu occumbere, non Philisthæi: monuimus tamen superiore lib. cap. 31. num. 4, Amalecitæ hujus narrationem mendacem a plerisque censeri, cùm a se occisum Saulem affirmet.

9. *Sta super me.* Non invitus moritur manu Amalecitæ in cujus gentem indulgentior fuerat.

Adhuc tota anima mea in me est. Ex vulgari hominum sensu hæc dicuntur, quasi per partes exeat anima cùm paulatim membra extrema emoriuntur. At illa indivisibilis tota simul egreditur.

10. *Vivere non poterat post ruinam.* Quâ scilicet irruerat super gladium suum. Ita loquitur Amalecites ut factum excuset, si fortè David illud minùs probet.

Diadema quod erat in capite ejus. Abulensis et

Salianus putant Saulem in ipso prælio diademate usum non fuisse, ne illo insigni conspicuus in se Philisthæos converteret; sed Doeg armigerum Saulis huic Amalecitæ filio suo diadema, quod in sua habebat potestate, dedisse ut illud deferens ad David in illius se gratiam insinuaret. Ita illi. Cui tamen explicationi textûs verba repugnare videntur, et insignibus regiis usum illud etiam suadet, quod cap. 31. num. 3 dicitur : *Pondus prœlii versum est in Saul*, quem scilicet diadema conspicuum et oculis hostium notabilem faciebat.

* *Armillam*. Hoc ornatu etiam viri usi sunt illo ævo apud illas gentes. Vide num. 31. 50.

11. *Vestimenta sua scidit*. Ad significandum dolorem ob mortem Saul, et Jonathæ, et cladem Israelis.

12. *Super populum Domini, et super domum Israel*. Videtur esse ejusdem rei usitata in Scripturis repetitio. Abulens. tamen *populum Domini*, sacerdotes et levitas Domino consecratos interpretatur.

13. *Advenæ*. Proselyti ad fidem conversi.

16. *Sanguis tuus*. Peccatum tuum effusi sanguinis.

Super caput tuum. Scilicet revertitur, quasi dicat, dabis pœnas pro eo.

Os enim tuum locutum est adversum te. Ea locutum est propter quæ interficiendus es.

Dicens : Ego interfeci christum Domini. A quo privatus abstinere debuisti, ut Abisai dixerat olim David 1. Reg. 26 : *Quis extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit?* hoc est, immunis a pœna.

18. *Ut docerent filios Juda arcum*. Mariana putat *arcum* esse titulum sequentis cantilenæ. Alii plerique omnes existimant sensum esse, voluisse David filios Juda in re bellica institui, et potissimùm in arte sagittandi, cujus eo tempore magnus usus in bello. Chald. habet, *jacere arcu*.

In libro Justorum. Quis esset liber Justorum, explicavimus Jos. 10. cap. 1. 3.

Pro his qui mortui sunt. Quales fuerint Saul, et Jonathas, qui exstincti sunt.

Super excelsa tua. In collibus excelsis, in monte Gelboe.

19. *Quomodo ceciderunt fortes?* Quasi miretur tantam virtutem bellicam tam brevi tempore, tamque horribili strage confici potuisse. * Videtur esse versus intercalaris; nam num. 25 et 27 iterum reperitur. Sic ferè Hebræi suos planctus exordiri solent. Vide Lament. Jerem. cap. 1. 1, cap. 2. 1, cap. 4. 1, et Isa. 14. 12.

20. *Nolite annuntiare in Geth.* Ne scilicet nostris malis lætentur, nosque irrideant. Tale votum ejusdem David Psalm. 24. 3 : *Neque irrideant me inimici mei.*

Ne fortè lætentur filiæ Philisthiim. Harum potissimùm meminit, quia puellæ cantu et choro victorias celebrare consueverant. Sic Davidi prostrato Goliath cantaverunt : *Percussit Saul mille, etc.*

21. *Montes Gelboe.* Gravitas doloris etiam rebus inanimatis maledicere consuevit. Sic Job. cap. 3. 3, dicebat : *Pereat dies in qua natus sum, etc.*

Clypeus fortium. Arma Saulis et Jonathæ, vel potiùs ipsimet principes qui reipub. pro clypeo erant.

Quasi non esset unctus oleo. Clypei et reliqua arma ferrea, ne rubiginem contrahant, oleo solent inungi. Saul etiam reipub. clypeus unctus erat, et christus Domini, ut non semel illum appellat David. Dolet ergo sanctus vates clypeum hunc unctione prophetica consignatum, abjectum jacuisse prostratum telis hostium.

22. *A sanguine interfectorum.* Quasi dicat : sagitta Jonathæ validis lacertis vibrata scuta perfodiebat, thoraces perrumpebat, adipem, sanguinem, intima viscera scrutabatur.

Non est reversus inanis. Non fuit irrita et cassa petitio, sed vulnus, aut mortem afferens.

23. *Amabiles, et decori.* Putat Sanchez hæc verba solemnia fuisse, et legitima passim in funeribus a præficis usurpari solita, ut illud : *Væ frater, et væ soror, væ inclyte, et væ Domine.* Jerem. 22. 18.

Aquilis velociores. Hyperbole.

24. *Vestiebat vos coccino in deliciis.* Cùm ex vicinis regionibus, quas populatus fuerat, purpuram, aliasque mulierum delicias reportabat, quæ filiabus Israel cederent.

26. *Frater mi Jonatha.* Hoc etiam referri potest ad usitatam illam formulam, *væ frater, etc.*, de qua n. 23.

Super amorem mulierum. Vel quo mulieres filios amant, aut maritos; vel quo ipsæ vicissim diliguntur.

27. *Perierunt arma bellica.* Vel Saulem ipsum et Jonatham intelligit, quos clypeos appellavit, vel etiam dolet arma Israelitarum bellica in Philisthæorum spolia detrahentium potestatem venisse, quod ad devictorum dedecus pertinet.

CAPUT II.

David ungitur rex in Hebron a tribu Juda, Isbosethus verò ab Abner super reliquas tribus: inde bellum exortum inter duos reges.

1. AIT *Dominus ad eum.* Nimirum per Abiathar sacerdotem, ut vult Abulensis, etsi Josephus per prophetam malit.

In Hebron. Hæc civitas potiùs eligitur quàm alia, quia in ea patriarchæ vivi habitaverant, et mortui sepulti fuerant. Deinde quia eo tempore erat Hebron metropolis præcipuæ, et bellicosissimæ tribûs Juda; nam Jerusalem adhuc Jebusæi, saltem quoad arcem, obtinebant.

3. *In oppidis Hebron.* Quæ ex ea tanquam metropoli dependebant.

4. *Unxerunt ibi David.* Sive ministerio pontificis cujus id erat munus; sive manu Gad, aut cujuspiam alterius prophetæ.

Quòd viri Jabesgalaad sepelissent Saul. Vide 1. Reg. cap. 31. 12.

5. *Benedicti vos Domino.* Omni bonorum genere cumulet vos Dominus.

6. *Misericordiam et veritatem.* Misericordiam veram, vel sensus èst, juxta fidem, quam dedit, se remuneraturum benefacientes; veritas enim interdum fidem promissionemve fidelem significat.

7. *Filii fortitudinis.* Viri fortes estote, neque animos abjicite, quasi præsidio quod a legitimo principe speratur, destituti.

8. *Abner autem.* Abner Isbosethum Saulis filium regno admovet, vel quia fide constans in Saulem exstinctum, vel quia in Davidem iniquo erat animo, propter malè custoditi regis reprehensionem, 1. Reg. 26. 16; vel quia ab eo tempore quo David præpositus fuerat rei bellicæ, 1. Reg. 18. 5, ei invidebat; vel quia se non pari apud Davidem potestate fore putabat, ut apud Isboseth.

Circumduxit eum per castra. Quæ metu Philisthæorum non uno loco posita erant, sed variis quasi dispersa et dissipata.

9. *Super Galaad.* Eas nimirum tribus quæ erant trans Jordanem.

Super Gessuri. Hebr. *Assuri*, quam vocem S. Hier.

in Tradit. hebr. putat esse tribum Aser, cui consentit chaldæus : vel Gessuri est pars aliqua regni illius, cujus mentio est sequenti cap. num. 3; licèt enim illa potiretur Tholmai, fieri tamen potest, ut aliqua illius regionis portio ad Israelitas pertineret.

Super Jezrahel. Id est, tribum Issachar, in quorum sorte latissima erat vallis Jezrahel.

10. *Duobus annis regnavit.* Non simpliciter, quia diutius regnum tenuit, quamdiu scilicet David regnavit in Hebron, annis scilicet septem et mensibus sex, ut dicitur sequenti versiculo; sed duobus annis regnavit antequam bella inter utramque domum exorirentur, ut explicant Abulensis et Salianus.

12. *Et pueri Isboseth.* Milites qui in Isboseth, vel Abneris erant satellitio, ducemque Abner sequebantur.

De castris. Isbosetho in urbe *Manaim* se continente, quæ vox *castra* significat; sic enim hanc vocem LXX accipiunt, qui vocem Manaim invariatam retinent.

In Gabaon. Urbem tribûs Benjamin tribui Judæ conterminam.

13. *Joab filius Sarviæ.* Davidici exercitûs dux, et ipsius Davidis nepos ex sorore Sarvia.

Pueri David. Milites David.

Egressi sunt. De civitate Hebron, sive casu lustrantes tribum Juda, sive de industria, cùm accepissent Abner transmisisse Jordanem.

Juxta piscinam Gabaon. Lacum non magnum nutriendis piscibus idoneum. *Fontem* vocant LXX.

14. *Surgant pueri, et ludant coram nobis.* Ludo gladiatorio verisque gladiis more monomachorum. Abneris propositio ex fiducia fortitudinis suorum profecta videtur, illiusque ostentatione, itaque peccavit provocans, ut etiam Joab provocationi consentiens, licèt ille graviùs quàm hic. Peccarunt etiam ipsi milites pugnantes, nisi eos ignoratio juris excuset, aut nisi aliquam legitimam causam illius pugnæ duces habuisse crediderint.

15. *De Benjamin.* Tribu bellicosa, ut apparet Judic. cap. 20.

De pueris David. Quos probabile est fuisse de tribu Juda, quæ sola Davidem sequebatur.

16. *Ceciderunt simul.* Omnia duodecim paria mutuis vulneribus confossa ceciderunt.

17. *Ortum est bellum.* Inter duces utriusque regis, Abner scilicet et Joab.

Fugatusque est Abner. Hebr. *cæsus est*, aut *percussus*, chaldæus *fractus*, quod italicæ phrasi respondet; dicimus enim victos *essere stati rotti*.

22. *Levare non potero faciem meam.* Quasi diceret: tibi parco, ne Joab fratrem tuum irritem; si enim te interfecero, cum illo ampliùs de fœdere, aut pace agere non audebo; erit enim mihi ob hanc cædem infensus.

23. *Aversâ hastâ.* In hebr. est, *in posterioribus lanceæ*, id est, cuspide, et ferro posteriori; gemino enim ferro lanceas præfigunt.

In inguine. Aliqui ex hebræo vertunt, *ad quintam costam*. LXX habent, ἐπὶ τὴν ψόαν, *in regione lumborum*.

26. *Periculosa sit desperatio* Qui enim jam de vita desperant acriùs pugnant, ne scilicet inulti cadant.

27. *Si locutus fuisses.* Si te victum fassus esses.

28. *Nec persecuti sunt ultra Israel.* Finis pugnæ fuit, imò et belli, cessatumque planè ab armis est.

29. *Bethoron.* Duplex est Bethoron, et utraque cis Jordanem: altera, quæ superior dicta in tribu Ephraim; altera quæ inferior in Benjamin, aut certè Manasse, ut significatur in libro Josue cap. 16. 3. Lustravit ergo Abner Bethoron, postea Jordanem transiit, licèt inverso ordine priùs transitus Jordanis mentio fiat in textu. LXX habent, περιτείνουσαν χώραν, *regionem protensam* sive *circumjacentem*.

Venerunt ad castra. Quæ ultra Jordanem erant, ubi scilicet Isboseth rex est proclamatus, et ubi hæserat. Vide dicta supra, num. 12.

32. *Et ambulaverunt tota nocte.* Diurno labori nocturnum copulantes, et quidem non exiguum; est enim ex Adrichomio illud iter Gabaone usque ad Bethlehem horarum quatuor; inde verò usque in Hebron horarum sex.

CAPUT III.

Abner transit ad partes Davidis, ad quem Michol uxorem reducit. Joab interficit Abnerem, qui defletur a Davide.

1. *FACTA est ergo longa concertatio.* Non armis, sed studiis, ut Sanchez interpretatur, utroque rege sollicito de regni sui incremento. Putat tamen Salianus armis etiam certatum inter Abner et Joab regum duces, Isbosetho rerum bellicarum insolentiâ; Davide autem, ne manus israelitico sanguine pollueret, bello abstinentibus, cui sententiæ favet textus hic, et num. 6.

David proficiscens. Quia et divino favore provectus,

et majoribus animi corporisque dotibus conspicuus, et Samuelis, a quo fuerat inunctus, testimonio ad regnum vocatus.

2. *Natique sunt filii David in Hebron.* Quia dixerat Davidem quotidie se ipso robustiorem factum, ideo hac occasione ejus filios numerat, quia numerosa proles domos firmat, et robustas facit. Quamobrem Abrahamo dictum Genes. 18. 18: *Faciam te in gentem magnam et robustissimam.* Huc etiam pertinet illud Annæ 1. Reg. 2. 5: *Quæ multos habebat filios infirmata est.*

Primogenitus ejus Ammon. Is qui vitium obtulit Thamari sorori Absalonis, 2. Reg. 13, proptereaque ab eo occisus est, 2. Reg. 13. 32.

3. *Cheleab.* Qui tamen alio nomine dictus est Daniel 1. Paral. 3. 1.

Filiæ Tholmai regis Gessur. De Gessuri vide dicta cap. 2. num. 9, quo loco ait Scriptura Isbosethum super Gessuri constitutum fuisse regem ab Abner. Voluit ergo David sibi regem illum affinitate adjungere, ut si quid ex ea parte moveret, aut tentaret Isboseth, amicus et cognatus rex Davidis rebus commodaret. Credendum verò est Maacham ad Judæorum religionem transiisse, et hac conditione initum a Davide matrimonium. Neque universim cum ethnicis prohibitum erat conjugium, sed tantùm cum septem nationibus terram promissam habitantibus, in quibus Gessur non comprehenditur.

4. *Adonias, filius Haggith.* Is quem regnum ambientem Salomon jussit occidi 3. Reg. 2. 24.

Saphathia, filius Abital. Obscura mater, nec notior filius.

5. *Jethraam de Egla.* De hoc Davidis filio, sicut et de Saphathia, nihil præter nomen habetur in Scriptura, Eglam aliqui eamdem putant cum Michol, sed diversam existimat melior sententia, quam sequuntur Comestor, Abulensis, Pineda, Vatablus, Emman. Sa, Serarius et Mariana apud Solianum anno mundi 2981, num. 8.

8. *Quare ingressus es ad concubinam patris mei?* Meritò factum Abneris molestè tulit Isboseth, sive Respham, regiam concubinam, hoc est, secundariam uxorem habere ipse voluit in matrimonio, ut hac ratione sibi ad regnum viam muniret, ut postea Adonias Abisag Sunamitidem: sive ea ut pellice abuti; hoc enim ad Isboseth dedecus, ut illud ad regni amittendi periculum pertinebat.

Numquid caput canis. Canem pro re vili et abjecta usurpat, quomodo locutus etiam fuerat David 1. Reg.

24. 15, Saulem alloquens. Volebat noxam sinè reprehensione dissimulari tanquam viro de Isboseth et regno optimè merito.

Adversum Judam. Quasi dicat: adeone vilis, et regno tuo in hoc certamine adversus Judam, quod hodie quoque durat, inutilis sum?

Fecerim misericordiam. Regnum tuum labans fulciendo, et te in Davidis manus non tradendo.

Et tu requisisti in me. Et tu ne hanc quidem gratiam mihi reddidisti ut levem culpam mihi tacitus condonares. Arrogans et inverecunda expostulatio hominis pro benefactorum præmio peccandi impunitatem exigentis.

9. *Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat.* Ita exsecrans loquebatur Abner mala enumerans, quæ sibi evenirent, si secus faceret ac jurabat.

Juravit Dominus David. Non apparet ubi juraverit, sed ut divinæ promissionis firmitatem significet, Abner jurasse ait.

10. *Ut transferatur regnum.* Si scivit Abner, cùm Isbosethum admovit ad regnum, hoc divina voluntate David deberi, peccavit Isbosethum regem faciendo; nec illud Isboseth ejusdem Davidici juris conscius, salvo officio admittere potuit, aut retinere; si nescivit, jam bona fide regnum adeptum, illudque tenentem sua possessione privatus principem dejicere non potuit. Vide Abulens. 2. Reg. cap. 3. q. 7.

A Dan usque Bersabee. Qui sunt extremi fines ditionis Israelitarum.

11. *Non potuit respondere ei quidquam.* Intempestiva fuit objurgatio, quæ odium tantùm peperit. Nec mirum Isboseth Abner timuisse, quando etiam David Joab peccantem punire, aut reprehendere ausus non est, infra hoc cap. num. ultimo.

12. *Cujus est terra?* Quasi dicat : nonne ad te, ut regem pertinet?* Vel insinuat Abner se totam terram, et rempublicam in potestate habere.

Fac mecum amicitias. Postulat recipi inter præcipuos regis amicos, sibique, quod est consequens, præcipuas dignitates a rege dari.

13. *Optimè; ego faciam tecum amicitias.* Nec propterea David peccavit, qui jure suo, et Abneris peccato in bonum et commodum suum usus est.

Antequam adduxeris Michol. Causa repetendæ uxoris amor fuit, quo Michol prosequebatur, et ut illam in adulterio cum suo dedecore ampliùs hærere non pateretur; et fortasse etiam quia quoddam ad regnum suf-

fragium videbatur, si Saulis qui regnaverat, filiam haberet in matrimonio.

14. *Redde uxorem meam Michol.* Repetit etiam ab Isbosetho uxorem, ut regi et uxoris suæ fratri id honoris deferret, ne eo inconsulto et non consentiente Michol revocaret; utque sibi eum conciliaret, nec occasionem novis jurgiis præberet inter ipsum Isboseth et Abner. Tandem ne fœdus factum cum Abner patesceret.

15. *Misit ergo Isboseth.* Non repugnavit Isboseth sentiens David irritandum non esse eo tempore, quo Abner alienato erat animo.

16. *Usque Bahurim.* Quod est oppidum tribûs Benjamin ex Adrichomio in Benjamin, num. 28.

17. *Sermonem quoque intulit Abner ad seniores.* Videtur Abner palam de regni translatione egisse, cùm nihil faceret Isboseth precariò regnantem, utque eum, cui erat iratus, magìs contemneret.

18. *In manu servi mei David salvabo populum meum.* Ne videatur proditor, vindictam in Isboseth exercet specie exsequendi divinam revelationem.

* 19. *Ut loqueretur ad David.* Et quomodo Israelitarum animi præparati essent exponeret.

Et universo Benjamin. Quæ tribus peculiariter nominatur, quia in Saul Benjamitam ejusque domum bene erat affecta.

20. *Fecit David Abner. . . . convivium.* Voluit David honorare Abner, cui se obstrictum sentiebat, et propter reductam Michol, et propter conciliatam tribuum voluntatem, ut rex esset Israelis universi; idcirco etiam abeuntem honorificè deduxit num. 21 sequente.

21. *Ineam tecum fœdus.* Ut publicâ cæremoniâ, et populo præsente et spectante sanciretur quod per Abner actum erat cum senioribus.

22. *Cæsis latronibus.* Abulensis putat fuisse Philisthæos, qui Davidis regnum excursionibus infestarent.

24. *Quid fecisti?* Timens sibi Joab ne Abner se gratiosior aut potentior fieret apud regem, illum in invidiam vocare conatur, et odium regis. Hæc præcipua Joabo causa fuit eorum quæ in Abner molitus est. Accessit etiam odium ob cædem Asaelis, de qua supra, cap. 2. num. 23.

Quare dimisisti eum? Immeritò Davidem increpat, qui datam fidem Abnero ut securè ad se veniret fallere non potuit.

25. *Ignoras Abner filium Ner?* Ignoras Abneris subdolum et fallax ingenium?

Exitum tuum et introitum. Quo statu res tuæ sint.

26. *Reduxit eum.* Revocavit nomine David.

A cisterna Sira. Sive, ut alii vertunt, *in puteo spinarum*, quem Josephus ait viginti stadiis Hebrone dissitum, hoc est, duobus milliaribus italicis cum dimidio.

27. *Ut loqueretur ei in dolo.* Finxit se velle ipsum remotis arbitris alloqui nomine regis.

In ultionem sanguinis Asael. Ut ipse Joab dicebat, et credi volebat. Potior tamen causa ea fuit quam dixi num. 24.

* 28. *Mundus ego sum.* Suspiciones hujus cædis a se David amolitur.

Et regnum meum. Deus enim propter principum peccata subditos nonnunquam immissis plagis plectit.

29. *Super omnem domum patris ejus.* Quatenus scilicet ad ipsum aliqua ratione pertinent, aut ad ejus fratrem Abisai sceleris participem, ut patet ex num. 30.

Tenens fusum. Egenus, qui vili ac muliebri opificio vitam sustentet. Alii pro fuso ex hebræo legunt *scipionem*, quo scilicet ob corporis imbecillitatem nitatur, aut quo egeat ut pertentet viam, quia cæcus. LXX eumdem sensum exhibent, qui habent, σκυτάλην κρατῶν, *virgam* aut *rudem manu tenens.*

Cadens gladio. Occisus scilicet.

* 30. *Interfecerunt.* Joab manu, Abisai consensu et auxilio.

31. *Dixit autem David ad Joab.* Voluit David Joabum exsequiis Abner interesse, vel ut illum ex populi luctu in cognitionem et detestationem patratæ cædis adduceret; vel ne si desideraretur Joab cum suis infrequens esset exsequiarum celebritas.

34. *Sicut solent cadere coram filiis iniquitatis.* Ut ii cadunt, qui proditoriè et insidiis circumventi occiduntur.

Congeminansque. Davidis verba repetens, et luctum integrans.

35. *Gustavero panem.* Hæc enim, et alia exhibita amoris signa in Abner Davidem a suspicione imperatæ cædis vindicabant.

38. *Num ignoratis quoniam princeps.* Quasi dicat, bene ergo collocata est exsequiarum hæc pompa et celebritas in tantum virum.

39. *Ego autem adhuc delicatus.* Delicatum se vocat, id est, viribus infirmum, et ea potentia nondum præditum, quæ necessaria fuisset vindicando sceleri.

Unctus rex. Recens factus rex.

* *Filii Sarviæ*. Joab et Abisai Davidis ex sorore Sarvia nepotes. Vide 1. Paral. 2. 16.

Duri sunt mihi. Hebr. chald. et LXX habent, *duriores me* (id est fortiores), seu *præ me*, id est, quàm ut ferre possim. Non tamen condonata pœna, sed in aliud tempus dilata.

CAPUT IV.

Isboseth in thalamo suo occiditur, et illius caput ad Davidem defertur ab interfectoribus, quos David vicissim jubet interfici.

1. *Quod cecidisset Abner in Hebron*. Videtur doluisse Isboseth quòd ad Davidem transisset Abner, nec jam hoc exstincto spes ulla superesset eum sibi reconciliandi. Eo verò destitutus inops erat consilii et præsidii.

Dissolutæ sunt manus ejus. Concidit animo.

Omnisque Israel perturbatus est. Ut fieri solet in hujusmodi casibus, animis omnium exspectatione suspensis, quò res evasura sit.

2. *Principes latronum*. Principes ac duces regiæ cohortis, quæ Isbosethi latera cingere solebat. * Latini milites præsertim prætorianos *latrones* non rarò vocant, quasi laterones, quòd principis latera cingant et tueantur.

Beroth reputata est in Benjamin. Ut patet ex libro Josue cap. 18. 25, et cap. 9. 17.

3. *Fugerunt Berothitæ in Gethaim*. Hæc ut etiam quæ sequenti versiculo habentur per parenthesim dicuntur: sententia est Berothitas occasione cladis, quæ Israeli accidit, cùm mortuus est Saul, in Geth apud Philisthæos se recepisse, ibique mansisse usque ad tempus quo sacer historicus hæc litteris consignabat. Hunc sensum exhibet textus hebræus, chaldæus, et LXX qui habent, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, *usque ad diem hanc*.

4. *Erat autem Jonathæ*. Etiam hæc obiter, et per parenthesim narrantur occasione fugæ Berothitarum, de qua num. præcedenti.

* 5. *Purgans triticum*. Secernens manu triticum ab aceribus, lapillis, glebulis, et alterius generis granis, ut ex eo purgatissimo panes et alia edulia arte pistoria, vel coquinaria fieri possent.

6. *Assumentes spicas tritici*. Specie mercatorum volentium emere frumentum; sic enim explicat chaldæus, qui vertit, *ut emptores tritici*; vel tanquam regi obla-

turi primitias honoris causâ. Hebr. habet, *accipientes frumenta*, seu *accipientium frumenta*, id est, mercatorum specie, aut habitu.

7. *Tota nocte.* Et præcedentis diei reliqua parte. De Manahim civitate trans Jordanem, in qua occisus est Isboseth, usque in Hebron ex Adrichomio est spatium triginta horarum.

8. *Filii Saul inimici tui.* Artificiosus sermo; conatur enim ei odium conflare a persona patris.

Qui quærebat animam tuam. Odium Saulis in David memorat, quia nihil habebant quo ipsius Isbosethi personam Davidi redderent odiosam.

10. *Mercedem dare pro nuntio.* Fausto et læto, ut ipsi putabant. LXX habent, δοῦναι εὐαγγέλια, id est, mercedem pro bono nuntio.

12. *Præcidentesque manus et pedes.* Vivis pedes, et manus amputatæ sunt, ipsi deinde sic mutilati in crucem acti, ut explicat Theodoretus quæst. 14. * Etiam in hostes admissa, si atrocitatem facinoris habeant, cum laude puniuntur; ut Bessi scelus ab Alexandro, et Faliscorum ludimagister a Romanis.

Super piscinam. LXX, *Hebron, supra fontem*, id est, in media platea civitatis juxta fontem.

CAPUT V.

David omnium tribuum rex declaratur et ungitur. Capit arcem Sion, et in ea sibi palatium construit. Alias ducit uxores. Duplex victoria de Philisthæis.

1. *Os tuum et caro tua sumus.* Quasi dicant: nullum obstat impedimentum quominus te eligamus in regem: nam in primis juxta Deuteronomii legem frater noster es, et de domo Jacob. Vide Deut. 17. num. 15.

2. *Tu eras educens.* Non modò absunt impedimenta, sed etiam multa in te sunt rei bene gerendæ præsidia, ac præcipuè rei militaris peritia ac experientia; nam sub Saul regiis copiis præfuisti.

Tu pasces. Adde tibi factam fuisse regni promissionem a Deo: itaque ad illud divino nutu et voluntate venies.

3. *Venerunt quoque et seniores.* De singulis scilicet tribubus aliquot electi, * vel senatores magni Synedrii.

Et percussit cum eis fœdus rex David ... coram Domino. Assumpto videlicet Deo in testem, populus spopondit Davidi fidem et obedientiam: David verò eodem

auctore et teste pollicitus est se populum fideliter ex Dei legibus et recta ratione gubernaturum, et contra Israelis hostes pugnaturum, etc.

Unxeruntque David in regem. Unctio adhibita est ad repræsentandam, approbandam, ac confirmandam Samuelis unctionem, 1. Reg. 16. 13.

6. *Et abiit rex.* Dicitur omnis Israel venisse in Jerusalem, quia illac transibant recedentes de Hebron, et suos lares repetentes; erat enim Jerusalem in via venientibus de Hebron et ad tribus suas redeuntibus.

Ad Jebusæum habitatorem terræ. Qui scilicet arcem Sion habebat in potestate.

Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos. Jebusæi loci firmitate et munitione confisi irridentes David cæcos et claudos pro murorum pinnis tanquam propugnatores statuerunt, dicentes eos satis esse ad Davidis conatus eludendos, et obsidionem sustinendam.

7. *Hæc est civitas.* Quæ est civitas.

8. *Tetigisset domatum fistulas.* Canales tectorum.

Abstulisset cæcos. Transcensis muris, propugnatoribusque deturbatis.

Odientes animam David. Davidi infestos et contrarios, quique dicebant : *Non ingredieris huc*, ut habemus num. 6.

Cæcus et claudus non intrabunt in templum. Vatablus, quem sequitur Salianus, existimat Davidem in ultionem temerariæ jactationis Jebusæorum, et ad perpetuam etiam rei memoriam statuisse ut nunquam liceret cæco, vel claudo intrare in arcem Sion, quod præceptum inter Judæos vulgatum ad alia quoque deinde tanquam proverbium transferebatur. Favet huic expositioni, quòd hebraicè habetur tantùm, *non intrabunt domum* Davidis scilicet, de qua in Sione ædificata mox agitur. LXX habent, *in domum Domini*, pro quo S. Hier. vertit *templum*, quod de palatio, non de templo Domini accipi potest. Constat enim cæcos et claudos templum Domini ingredi solitos, ibique a Christo etiam curatos, Matth. 21. 14. Sanchez putat Jebusæos nomine cæcorum et claudorum intelligi, quod vocabulum illis post factum hoc capite narratum adhæserit, et in proverbio cum irrisione usurpatum fuerit.

9. *Ædificavit per gyrum.* Murum hunc Sion ait Villalpandus fuisse triginta quinque stadiorum per circuitum : arcis verò ipsius gyrum stadiorum novem cum

dimidio. Octo stadia, ut alibi dixi, unum italicum milliare conficiunt.

A Mello. Erat Mello vorago quædam, et vallis profunda et lata, quæ montem Sion a civitate inferiori distinguebat. Itaque David a Mello ædificationem exorsus totum montem Sion per gyrum muro circumdedit. * Vide quæ notavi infra, 3. Reg. 9. 24.

10. *Ingrediebatur proficiens*. Proficiebat. * Italicè diceremus, *andava crescendo*. Vide Jonæ cap. 1. 13.

11. *Artifices lignorum, artificesque lapidum*. Artifices peritissimos, quales decebat regem mittere ad regem, eorum operâ adhibitâ in structura domûs David; nam in arcis muris potiùs quærebatur soliditas quàm species.

12. *Et cognovit David*. Cùm nimirum animadverteret omnia sibi prospere fluere.

13. *Accepit ergo David adhuc concubinas et uxores de Jerusalem*. Eo consilio ut multos haberet filios qui sunt firmamenta domorum, utque sibi præcipuas Israelitarum familias vinculo affinitatis adjungeret. Nec multas hasce uxores ducens peccasse videtur, cùm eas Dominus ipse illi in donum quodammodo dedisse videatur, nec usquam ea de causa reprehensus sit.

17. *Ut quærerent David*. Cum eo pugnaturi.

Descendit in præsidium. Munitum aliquem locum, quem LXX περιοχὴν appellant, ambitum scilicet septum, præsidium undique cinctum, in loco tamen aliquo inferiori situm; nam eò David descendisse dicitur.

18. *In valle Raphaim*. Fuit ea vallis in tribu Benjamin ferè extremà versùs occidentem, et Philisthæorum regionem qui occiduam Mediterranei maris oram incolebant. Dicta est *vallis Raphaim*, sive gigantum, quòd ibi olim gigantes habitarent, sicut in Hebron et in Geth, unde ortus est Goliath.

19. *Consuluit David Dominum*. Non in Cariathiarim, ubì adhuc erat arca Domini, sed in præsidio, de quo dictum est num. 17, per Abiathar sacerdotem.

Tradens dabo. Verba hæc geminata insignem pollicentur victoriam.

20. *In Baalpharasim*. Id est, *in valle divisionum*: qui locus cur ita dictus sit hoc eodem versiculo explicatur.

Divisit Dominus. Dissipavit, dispersit.

Sicut dividuntur aquæ. Quæ per declivem aliquem locum labuntur, et in varios rivulos dividuntur.

21. *Reliquerunt ibi sculptilia sua*. Philisthæi scilicet.

Quæ tulit David. Additur 1. Paral. 14. 12, jussa

fuisse a David comburi juxta præceptum Domini, Deut. 7. 5, quæ scilicet lignea erant; metallica verò conflari.

22. *Diffusi sunt in valle Raphaim.* Vallem Raphaim invaserunt.

23. *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum.* In primo verò Paral. cap. 14. num. 14, ubi hæc eadem historia narratur, ita legimus: *Non ascendas post eos, recede ab eis, et venies contra illos ex adverso pyrorum.* Hæc dua loca in speciem contraria videntur, sed conciliari poterunt, si dicamus *non ascendes post eos* idem esse ac *contra eos;* post Philisthæos enim ire bene dicitur is qui rectà tendens ad Philisthæorum castra, per eam viam graditur, cui etiam illi insistere solent, cùm ad suos post velitationes aut prælium revertuntur.

Pyrorum. Recentiores vertunt *mororum*, ut Pagninus et Tygurina. LXX, *plorationem*, *aut fletum.*

24. *Sonitum gradientis in cacumine pyrorum.* Alii aliter hujus soni, seu strepitûs modum explicant. Probabilius videtur sonos quasi curruum, et advenientis exercitûs fremitum excitatum, sic 4. Reg. 7. 6, legimus: *Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, et equorum, et exercitûs plurimi, etc.* Favent LXX qui habent, φωνὴν τȣ̃ συγκλεισμȣ̃, *vocem*, vel *sonitum conclusionis:* talem nimirum sonum, qui speciem exhibeat advenientis hostilis exercitûs, a quo concludendi sint, ne fugiant, et cædendi. Alii legunt συσσεισμȣ̃, *concussionis*, hoc est, sonum quasi exercitûs per silvam ambulantis, illamque concutientis; ex quo etiam explicari potest quid sit illud *gradientis in cacumine pyrorum;* cùm enim exercitus per nemus graditur, concussis arboribus impetu equorum et curruum, etiam arborum cacumina nutant, et sonum edunt.

25. *De Gabaa.* Juxta quam commissum est prælium, usque Gezer quæ est in tribu Ephraim.

CAPUT VI.

Arca e domo Abinadab educitur: Oza repentina morte a Deo percussus exstinguitur: arca inducitur in domum Obededom et deinde in Jerusalem. Coram ea saltans David a Michol uxore ridetur, quæ propterea sterilitate mulctatur.

2. SUPER *quam.* Id est, ad quam, seu apud quam, vel quasi dicat: super quam est Domini majestas, quæ ibi invocatur.

Sedentis in cherubim super eam. Super alas cherubim. quæ propitiatorium inumbrabant.

3. *Super plaustrum novum.* Imponunt plaustro, quia levitas laboris pigebat, qui eam ferre humeris debuissent ex præscripto legis Num. 4. 15. Ausi autem sunt eam plaustro imponere, quòd idem a Philisthæis factum esset impunè, cùm arca redderetur Israelitis.

4. *De domo Abinadab.* Serarius et Salianus putant Abinadab hoc tempore defunctum fuisse, cùm huic arcæ translationi interfuisse non legatur, sed duo tantùm ejus filii.

In Gabaa. Gabaa hìc non est nomen urbis, sed commune vocabulum significans *excelsum*, sive *collem*; quare LXX habent, ἐν τῷ βουνῷ, *in colle.* Hic autem collis erat in urbe Cariathiarim, quod expressè habetur 1. Paral. 13, ubì hæc eadem narratur historia; sic enim legimus num. 6, *ad collem Cariathiarim, qui est in Juda.*

Custodiens arcam. In domo enim Abinadab servabatur a filiis ejus.

Ahio præcedebat arcam. Ahio arcam bovesque antecedebat, Oza verò sequebatur.

5. *Lignis fabrefactis.* Musicis instrumentis.

Sistris. Quid sint explicavi 1. Reg. 18. 6.

6. *Aream Nachon.* Pro Nachon, 1. Paral. 13. 9, est Chidon, ex quo apparet locum hunc duplici nomine appellatum fuisse.

7. *Iratusque est indignatione Dominus.* Causa cædis fuit ea quam attulimus num. 3; distulit autem Dominus peccatum plectere, donec peccati effectus palam fieret.

Percussit eum. Quo genere mortis occubuerit Scriptura non memorat. Ipse verò potissimùm pœnas luit, quia fortasse consilii de arca plaustro imponenda auctor fuit, ut ait Lyranus. Abulensis existimat etiam alterum fratrem et alios, qui ejus consilii fuere participes, secreta morte punitos esse; primum autem punitum Ozam, quòd ejus culpa populo palam innotuisset, et hanc præ illis animadversionem fuisse narratam.

Super temeritate. Id est, eò quòd temeritate sua venisset in necessitatem tangendi arcam. * Multi et graves auctores putant Ozæ peccatum vel veniale tantùm fuisse, ut pote non ex malitia profectum, vel si fuit mortale, existimant illum pœnituisse, ideoque æternas pœnas propterea non incurrisse.

8. *Contristatus est autem David.* Ozæ commisera-

tione, qui tam repentina morte exstinctus erat in negotio ipsius voluntate suscepto; populi conturbatione ad subitum Ozæ casum territi; violatione et neglectu sacrarum cæremoniarum; timore ne Ozæ culpa ad se aliquo modo pertineret.

Usque in diem hanc. Cùm scilicet hæc sacer scribebat historicus.

9. *Extimuit David*. Timuit David arcam in domum suam inducere, veritus ne aliquo suo vitio malum sibi accerseret.

10. *In domum Obededom*. Levitæ et inter sanctuarii janitores et cantores annumerati, ut constat ex 1. Paral. cap. 15. 18. 21. 24, et cap. 16. 5. 38, et cap. 26. 15.

Gethæi. Quòd in Geth Philisthæorum natus esset, parente ejus aliquo casu ibi peregrinante.

11. *Benedixit Dominus Obededom*. Ita Dominus illi favit, ut bonis omnibus circumflueret, et quæ ad illum pertinerent, omnia prospere feliciterque succederent.

12. *Erant cum David septem chori*. Partim levitarum, partim sacerdotum, ante, post, et circa ipsam arcam aliquo ordine dispositorum.

Et victima vituli. Immolandi, nam sexto quoque passu, ut dicitur num. seq., bos et aries immolabatur.

14. *Saltabat totis viribus ante Dominum*. Aptans videlicet vocem motumque corporis musicis instrumentis, vel quæ alii, vel quæ ipsemet pulsabat.

Accinctus ephod lineo. Ephod etiam homines non sacri induere poterant in religiosa tamen functione. Sic apud nos etiam musici sacris non initiati nec clerici, superpellicium assumunt, et in pompa cantantium choro aliquando se aggregant. Vide dicta 1. Reg. cap. 2. num. 18.

* 16. *Michol*. De paterno ingenio nonnihil trahens, et natalibus superba.

17. *Tabernaculi*. Tentorii.

Quod tetenderat ei David. Quo scilicet obvolvebatur quasi mosaico velo, ne qua ex parte pateret humanis aspectibus. Locus hic fuit extra regiam domum, nam postquam in eo sacrificatum fuit dicitur Davidem reversum fuisse in domum suam; erat ergo extra illam.

18. *Benedixit populo*. Populum salutavit, et illi fausta a Domino precatus est.

19. *Collyridam panis unam*. Sive ut habetur 1. Paral. 16. 3, *tortam panis*. Pagninus utrobique habet *placentam panis*.

Assaturam bubulæ carnis. Partem carnis bubulæ assæ.

Similam frixam oleo. Edulium ex simila oleo macerata, condita et frixa.

20. *Ut benediceret domui suæ.* Vel ei bene precaretur, sicut bene precatus fuerat populo num. 18, vel ut partem epularum ex sacrificiis distribueret et cum domesticis epularetur.

Quàm gloriosus. Ironica locutio. Abulensis non satis probat hanc Davidis saltationem quam regi parum decoram putat. Alii eam defendunt, nam decori inter saltandum Davidem rationem habuisse dubitandum non est, et Michol dum maritum accusat, nimiùm rem exaggerat, quippe commota dolore, et superbia regii sanguinis tumens, ut notavit S. Greg. cap. 27, qui eam hoc nomine insanam vocat.

22. *In oculis meis.* In æstimatione mea. * Multùm est in regia potestate retinere animi demissionem.

Cum ancillis. Apud ancillas.

Gloriosior. Quasi dicat, quod tu vilitatem putas, ego gloriam duco.

23. *Non est natus filius usque in diem mortis suæ.* Sterilitate perpetua divinitus est punita. * Non levis pœna in regia conjuge.

CAPUT VII.

Cogitat David de templo construendo : laudat Nathan ejus consilium, sed mox jubente Domino ab ædificatione jubetur abstinere, addita promissione quòd filius ex ipso nasciturus templum illud construeret.

1. C*um sedisset rex in domo sua.* Cùm nulla esset necessitas prodeundi ad bellum, sed domi quietus ageret.

2. *Dixit ad Nathan prophetam.* Virum sanctum tempore David, qui etiam in catalogo sanctorum a sapiente recensetur. Eccles. 47.

In medio pellium. Hebr. et chald. *in medio cortinæ* sive *aulæ.* Alibi dictum est arcam velis ac pellibus tabernaculi opertam fuisse.

3. *Dominus tecum est.* Qui tibi hanc mentem inspiravit. In hoc deceptus est propheta; ex quo patet non semper eos loqui spiritu prophetico. Locutus est Nathan ut homo prudens, non ut propheta.

4. *Sermo domini ad Nathan.* Noluit Deus Davidem per alium monere quàm per ipsum Nathan, ut ipse idem propheta erudiretur in posterum, nec facilè inconsulto

Domino quasi ex Dei oraculo responderet, quod fecerat cùm dixit: *Omnia quæ in corde tuo sunt fac.*

6. *Neque enim habitavi in domo.* Rationem reddit cur in præsens nolit templum ædificari, quòd scilicet differri possit, nec sit illi templum necessarium, qui tamdiu in tabernaculo peregrinantium more habitavit. * Vide 3. Reg. 5. 3, et 1. Paral. 22. 8.

Ambulabam in tabernaculo. Ambulabam cum Israelitis per desertum, contentus tabernaculo.

7. *Numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel.* Ostendit Deus sibi molestum non fuisse templo carere, quòd nunquam cum populo, aut tribu aliqua conquestus sit de populi oblivione, aut inertia, quòd templum non excitarent.

8. *Ego tuli te de pascuis.* Hæc beneficiorum Dei in Davidem collatorum commemoratio eò pertinet, ut intelligat David non propterea nolle Deum sibi ab eo templum ædificari, quasi minus illum amet, cùm ex tam multis beneficiis satìs de amore Domini in eum constare possit.

9. *Magnorum qui sunt in terra. Qui celebrantur in terra*, ut dicitur 1. Paral. 17. 8.

10. *Et habitabit sub eo.* LXX habent, καθ' ἑαυτὸν, *apud seipsum*, quod italicè diceremus, *in casa sua.*

Non turbabitur ampliùs. Hæc omnia promissa ea conditione effecta censenda sunt, si legem meam servaverint, idola non coluerint, officium fecerint.

Filii iniquitatis. Hostes Israelis illi infesti.

11. *Ex die qua constitui judices.* Ut accidit ab eo tempore quo per judices populum gubernavi.

Quòd domum faciat tibi Dominus. Quid sit facere, aut ædificare alicui domum, dixi supra, Exod. cap. 1. num. 21, et in Œconomicis l. 1. c. 1. num. 1. Promittit ergo Dominus se daturum Davidi filios, qui regnum post illum teneant in perpetuum.

12. *Cùmque completi fuerint dies tui.* Salomon quem suscipies filium, ipse, cùm tu in vivis esse desieris, mihi templum ædificabit.

* *Suscitabo.* Suscitare hìc est in solio collocare.

13. *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* In hac Nathan prophetia quædam de Salomone, quædam de Christo intelliguntur ad litteram. Nam ut monui in Prolegomenis hoc frequenter accidit in prophetiis ut repente a figura transiliat propheta ad figuratum. Omnia etiam de Salomone explicari posse contendit Abulensis, cùm semper tacita conditio intelligenda sit, de qua dixi hoc cap. num. 10.

14. *Ipse erit mihi in filium.* Eâ ipsum indulgentiâ complectar, qua filios parentes solent.

Arguam eum in virga virorum. Clementi scilicet et humana, ut solent homines filios castigare. * Hebræi ex D. Hier. in Traditionibus hebraicis virgam virorum hostium gladios, plagas verò filiorum hominum, morbos, egestatem et alias calamitates, quibus homines a Deo plectuntur, intrepretantur.

16. *Fidelis erit domus tua. Fidelis* idem est ac stabilis et firma, hoc enim vox, *fidelis*, non infrequenter significat in Scriptura, ut 3. Reg. 11. 38, et Isa. 22. 23, Actor. 13. 34.

In æternum ante faciem tuam. Scilicet te vidente; nam vivunt animæ, et vident etiam post mortem. Ita Em. Sa. Sanchez putat idem esse *ante faciem tuam*, quod *in posterum*. Sic Itali de præterito tempore dicunt: *Per l'addietro*, de futuro verò: *Da qui inanzi.* Apud Hebræos vox עולם *holam*, *æternum*, *seculum*, non semper significat mensuram temporis, cujus nullus sit finis; itaque in possessionibus privatis ad annos quinquaginta porrigitur, in regnis longiùs. Duravit autem in posteritate Davidis regnum per annos plus quingentos, successorum serie ultra viginti, quod satìs rarum.

18. *Sedit coram Domino.* Quasi diutius et familiarius cum Domino, eo permittente collocuturus. Nemini licebat sedenti orare Deum, præterquam regi, ait Vatablus, quod Sa non improbat, sed explicat etiam *mansit*, sicut *stare*, non semper erectam corporis positionem significat, sed quietem et mansionem. *Plus animo* (inquit Cajet.) *quàm corpore sedit quietus coram Domino, meditando et orando.*

Adduxisti me hucusque. Vel ut est in 1. Paral. 17. 16, *ut præstares mihi talia.*

19. *In longinquum.* In futurum tempus longum. Vel, ut infra habetur num. 25. *in sempiternum.*

Ista est enim lex Adam. Id est lex hominum, * quibus non satìs est, si ipsis solùm faveatur, nisi idem favor porrigatur ad posteros. Agis mecum ut amicus cum amico. Vel sensus est, sicut cum Adamo pro ipso et tota ejus posteritate pactum inivisti, magnis beneficiis ornasti, principem inferiorum creaturarum constituisti; ita mecum et cum domo mea pacisceris si servaverimus legem tuam, ut regnum nobis maneat, et in maximo hoc populo imperium teneamus.

20. *Quid ergo addere poterit.* Quasi dicat : necesse non est ut verbis apud te, qui omnia nosti, patefaciam quanto me tibi beneficio obligatum putem.

Scis servum tuum. Cor meum tibi patet.

21. *Propter verbum tuum.* Quia tibi placuit ita promittere.

Et secundum cor tuum. Quia nimirum insigniter bonus es.

Ita ut notum faceres servo tuo. Mihi tuum consilium aperiendo, ut amicus facit cum amico.

22. *Extra te.* Præter te.

23. *Ivit Deus, ut redimeret eam.* Ex Ægypti servitute.

Poneret sibi nomen. Se celebrem faceret.

A facie. Coram, vel causâ populi tui.

Gentem et deum ejus. Scilicet percutiens. Hebr. et chaldæus, *gentibus et diis ejus.* LXX, *gentes et tabernacula.*

25. *Verbum..... suscita in sempiternum.* Idem est quod præstare promissa ; nam quamdiu suspensa est, neque dum exsecutioni mandata promissio, dormire quodammodo videtur.

26. *Dominus exercituum, Deus super Israel.* Vel sensus est, Deus exercituum potens nimirum, et invictus, curam Israel suscepit, vel, qui Deus est Israel, ille Deus est exercituum.

27. *Revelasti aurem.* Revelare aurem idem est quod alicui aliquod prædicere, præcipere, aut loqui. Vide dicta 1. Reg. 9. 15.

Domum ædificabo tibi. Vide dicta hoc cap. num. 11.

Invenit servus tuus cor suum. Fiduciam nactus est.

28. *Tu es Deus, et verba tua erunt vera.* Quasi dicat, Domine, tu verax es, et hæc mihi bona sponte promisisti; itaque jam nunc oro ut oculos benevolos in domum meam convertas.

CAPUT VIII.

Variæ Davidis victoriæ de Philisthæis, Moabitis, Syris, Ammonitis, Amalecitis, Idumæis. Recensentur aliqui aulæ Davidis proceres et ministri.

1. *Frenum tributi.* In hebr. est מתג האמה *meteg haama*, quarum vocum interpretatio est, *frenum tributi*, vel *frenum aquæductûs*, vel, ut chald. habet, *commoditas rivi.* Sententia ergo est, vel David civitatem Philisthæis eripuisse, quæ *frenum tributi* diceretur, vel liberasse Judæos tributo quod iisdem solvebant Philisthæis, hosque vicissim fecisse tributarios; vel aliquos aquæductus rigandis agris utiles, aut ad alios

hujusmodi usus comparatos, israelitici juris fecisse. Vocantur verò aquæductûs frenum, quia in illis cataractæ fieri solent ad sustinendum fluxum aquarum, vel quia per canales in quam partem volumus aquas ut freno equos flectimus. LXX habent, ἀφορισμένην, *separatam*, sive *sepositam* intellige, vel μερίδα, *partem*, ut putat Serarius, vel πόλιν, *civitatem*, Geth scilicet, ut cap. 18. 1. Paral. indicatur num. 1.

2. *Percussit Moab, et mensus est eos funiculo.* Theodoretus q. 23. hunc locum ita explicat: *Tanta*, inquit, *erat vis et victoria, et tànta erat multitudo eorum qui capti erant vivi, ut eos numerare non permitteret. Quare jussit eos pronos dejici in terram divisos trifariam, et duas quidem partes occidit, unam verò vivam reservavit.* Hæc ille. Alii funiculos accipiunt metaphoricè ut sensus sit: prostravit Moabitas ingenti strage, interfecit plurimos, pepercit quibus voluit, et qua voluit, eos mensura dimensus est. Sic ferè Comestor, Vatablus, Sa, Pineda l. 3, Sal. cap. 2. num. 3, Abulens. 1. Paralipomenon, cap. 18. q. 9, et alii.

Coæquans terræ. Vel eos humi sternens ut explicavimus ex Theodoreto, vel clade affligens. Aliqui tamen malunt explicare de Moabitarum arcibus dirutis et solo æquatis. Ita Lyranus, Carthusianus, Cajetanus, nec improbat Abulensis 2. Reg. 8. q. 3.

Ad vivificandum. Quibus scilicet parceret, vivosque dimitteret. Hæc autem major pars fuit, ut colligitur ex hebræo, in quo pars illa cui parcitum est, *funiculus plenitudinis* appellatur: *Mensus est duos funiculos, ad occidendum*, subaudi, *unum, et unum plenitudinis funiculum ad vivificandum.* * Sententia etiam esse potest: tres designavit terræ Moabiticæ partes, in quarum una tantùm indigenas reliquit superstites occisis cæteris.

3. *Regem Soba.* Regem Syriæ; ab urbe enim regia Soba, sive Sobal, Syria Soba dicta est, sicut a Damasco Syria Damasci: eratque utraque contermina dimidiæ tribui Manasse, quæ ultra Jordanem habitabat: Syria quidem Soba, quæ et Cœlesyria, et Cavasyria appellata est, ex orientali parte; Syria verò Damasci versùs septentrionem.

3. *Quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten.* Incertum Davidne an Adarezer dominatum hunc affectarit, cùm hæc ambiguitas nec ex hebræo, nec ex græco, aut chaldæo textu tolli possit. Probabilius videtur de Adarezer intelligendum, qui Moabitis auxilium tulerit, et suspecta habens Davidis

incrementa regionem ad Euphraten sibi vindicare voluerit. Certè David plures habebat hostes, quos debellaret, Idumæos, Damascenos, Ammonitas, Philisthæos, eosque adeo vicinos, ut hoc tempore externa et longinqua bella quærere non debuerit. Ita sentit Salianus cum Vatablo et Abulensi.

4. *Mille septingentis equitibus.* At 1. Paral. 18. 4, habemus, *septem millia equitum.* Dici potest cum Abulensi et David Kimhi, hoc libro Regum primarios tantùm equites, et qui erant ex regio satellitio, numerari; in Paralipomenis verò planè omnes. Salianus et Sanchez addunt fortè in Paralipomenis numerari inter equites eos qui equis currulibus insidebant, nam etiam hi equites, et de equis pugnare dici possunt. Nec novum est eos, qui quadrigis vehuntur, equites appellari, ut patet ex Isaia 21. 7. *Vidi currum duorum equitum*, et num. 9: *Vir bigæ equitum, etc.* et cap. 22. 6: *Currum hominis equitis.*

Subnervavit. Succisis poplitibus, aut suffraginibus, ut nulli usui esse possent. Porro David equos subnervavit, quia Deut. 17. 16, regi interdicitur equorum multitudo. *Non multiplicabit*, inquit, *sibi equos.*

Dereliquit autem ex eis centum currus. Habuerat enim Adarezer mille currus, ut discimus ex 1. Paral. cap. 18. 4. 5.

6. *Syria Damasci.* Vide dicta hoc cap. num. 1.

7. *Arma aurea.* Ex Paral. 18. 7, discimus hæc arma fuisse aureas pharetras.

9. *Rex Emath.* Emath alio nomine dicitur Epiphania, vel Antiochia Syriæ.

10. *Et in manu ejus.* Joram scilicet filii Thou regis Emath; nam verba quæ immediatè præcesserunt: *Hostis quippe erat Thou Adarezer*, parenthesi includenda sunt. LXX missam aiunt hanc legationem ut pacem a Davide peteret, quod etiam disertè habetur 1. Paralipom. 18. 10.

11. *Sanctificavit.* Dedicavit et destinavit ad templi ministeria, ad cujus fabricam jam antea animum adjecerat.

13. *Fecit quoque sibi David nomen.* Hebræi, quos Dionysius, Abulensis et Salianus non improbant, de triumphali fornice interpretantur: quod si verum est, putandum David in inscriptionibus, si quæ fuerunt, totam adeptarum victoriarum gloriam in Deum illarum auctorem retulisse. Crediderim potiùs illa phrasi significari ingentem sibi famam David peperisse. Certè non

alium sensum habet illud capitis proximè superioris num. 9 : *Fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra*, et illud primi Mach. 5. num. 57 : *Faciamus et ipsi nobis nomen*.

In valle Salinarum. Vallis Salinarum extra Syriam est non longè a mari quod Mortuum appellatur, vel Salsissimum, et pertinet ad Idumæorum fines.

* *Cæsis decem et octo millibus*. Partim Syrorum, partim Idumæorum, qui eis fuerant socii. Horum sex millia occidit Abisai, deinde Joab duodecim millia, 1. Paral. 18. 12. Vide titulum Psal. 59.

15. *Super omnem Israel*. Quod dicitur non solùm, ut ostendatur regnasse super omnes duodecim tribus, cùm priùs una tantùm tribus Juda illi pareret; sed etiam quia quicumque alienigenæ intra fines Israeli attributos adhuc loca quædam obtinebant, David aliqua ratione subjiciebantur, saltem tributum pendentes.

Faciebat quoque David judicium et justitiam. Rectè, justè sapienterque judicabat.

16. *Filius Sarviæ*. Sororis David.

A commentariis. In hebræo est מזכיר *mazchir*, quæ vox a verbo זכר *zachar*, deducitur, quod recordari significat, vel reminisci. Erat ergo Josaphat vel commonefactor, id est, qui negotia tractanda in memoriam revocabat, et supplices porrigebat libellos, quos vulgò *Memorialia* appellamus, quo munere ut plurimùm funguntur qui principibus sunt a secretis, vel certè res gestas in commentaria referebat, ne memoria illorum intercideret, qui libri *verba dierum* dicebantur, quod in modum ephemeridum, quæ accidebant notatu digna, per sua tempora et dies digesta notabantur, ut esset historiæ parata materia.

17. *Sadoc filius Achitob, et Achimelec filius Abiathar erant sacerdotes*. Ambo summi pontifices (si Abulensi et Josepho credimus), sed munus illud per vices tantùm, et alternatim ministrantes; et favet quod habemus 1. Paral. 24. num. 3. Salianus tamen ait Sadoc non fuisse pontificem ante initium regni Salomonis, quando abdicatus est Abiathar, 3. Reg. 2. 26. 35, sed fuisse tantùm hoc tempore quasi archipresbyterum sacris in Gabaone, ubi erat tabernaculum, administrandis. Vide 1. Paral. cap. 16. num. 39 et 40.

Achimelec filius Abiathar. Videtur potiùs dicendum Abiathar filius Achimelech. Respondet Salmeron. to. 8, tr. 14, Emman. Sa et Sanch. in hunc locum tam Achimelech quàm Abiathar binomios fuisse, et utrumque tam

Achimelech quàm Abiathar dictum, quare promiscuè dici potuisse Abiathar filium Achimelech, et Achimelech filium Abiathar. Dionysius et Salianus probabile putant nominari hoc loco duos primarios sacerdotes, quasi archipresbyteros duobus locis in quibus Dei cultus exercebatur præpositos, Gabaone scilicet, et Sione, quibus tamen præerat Abiathar summus sacerdos.

Scriba. Legis peritus, illiusque in rebus dubiis interpres. LXX appellant σύμβελον, id est, *consiliarium*.

18. *Cerethi et Phelethi*. Hi erant quasi prætoriani milites, et regii corporis custodes: quare illos Josephus appellat σωματοφύλακας. Fortasse sic dicti sunt, inquit Em. Sa, quòd essent Cerethæi et Philisthæi, ut nunc solent Suizzeti, seu Helvetii. D. Hier. putat sic dictos quasi *interfectores;* id enim significat vox hebræa כרתים *cherethim*. Phelethi autem dicuntur quasi *mirabiles*, scilicet viribus, ut aliqui interpretantur, deducentes a radice פלא *pala*. Chald. vertit, *sagittarios*, *et fundibularios*.

Sacerdotes. Id est, principes. Chald. *magnates*. LXX, *principes*. Vide dicta Exod. cap. 2. num. 16.

CAPUT IX.

Miphibosetho benefacit David in gratiam Jonathæ parentis ejus.

1. *Et dixit David*. Id est, et subiit Davidi cogitare et quærere.

2. *Servus nomine Siba*. Hunc Josephus Saulis libertum appellat, simulque significat eum non fuisse genere Judæum, sed proselytum ex aliqua circumjectarum nationum oriundum, idque confirmat Abulensis.

3. *Misericordiam Dei*. Misericordiam magnam, vel Deo gratam. Chald. *coram Domino*.

Debilis pedibus. Quo casu id acciderit dicitur supra, cap. 4. num. 4 hujus libri.

5. *De domo Machir*. Viri primarii et potentis, ex illustri et antiqua familia Machir filii Manasse patriarchæ, quem Miphiboseth quasi patronum et tutorem quæsivisse videtur, Davidem timens.

De Lodabar. Fuit civitas in monte Galaad, in tribu Gad trans Jordanem.

7. *Restituam tibi omnes agros Saul*. Qui erant fisco addicti; nam qui regno Isbosethi consenserant (inter quos procul dubio censendus est Miphiboseth) rei erant

imminutæ majestatis, et bonis spoliari poterant. Hæc bona cui voluisset reddere poterat David.

* *Patris tui*. Avi tui.

8. *Super canem mortuum similem mei*. Super me, qui cani mortuo similis sum. Frequens est hæc phrasis in Scripturis, ut scilicet cum cane mortuo conferant, qui demissè de se sentiunt, et loquuntur. Vide supra, 1. Reg. 24. 15, et 2. Reg. 3. 8.

9. *Filio domini tui*. Miphiboseth Saulis nepoti; phrasi enim Scripturæ nepotes, aliique posteri filii dicuntur.

10. *Filio domini tui*. Hoc loco non Miphiboseth intelligitur, sed Michas Miphibosethi filius, ut explicant Lyran. Dionys. Cajetan. et Salianus.

Ut alatur. Ipse nimirum, et famulitium, et uxor, cùm illam duxerit, etc., * ex proventu agrorum Saulis.

11. *Et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis*. Quasi dicat, non solùm Micham alam, sed si jubes apud me etiam Miphiboseth splendidè tractabo, et ut filium regis. Ita Sanchez.

13. *De mensa regis jugiter vescebatur*. Non solùm de mensa regis cibos regios, sed etiam in ipsa mensa: quare hebræi codices et græci, et chaldæa paraphrasis habent, *super mensam regis*.

CAPUT X.

Legati Davidis contumeliosè tractantur a rege Ammonitarum, qui unà cum Syris auxiliaribus semel iterumque profligatur.

2. S*ICUT fecit pater ejus mecum misericordiam*. Vox hebræa חסד *chesed*, omne benignitatis genus significat; quænam fuerit hæc misericordia incertum est. D. Hieronymus in Traditionibus in hunc locum: *quando fugit*, inquit, *David a facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiens ei bona. De Naas itaque venit in speluncam Odollam, etc.*

Misit ergo David, consolans eum. Quamvìs non deberent Hebræi prævenire beneficiis Ammonitas, aut Moabitas, nec eorum ambire amicitiam, eò quòd Deut. 23. 6, scriptum esset, *non facies cum eis pacem, nec quœras eis bona cunctis diebus vitœ tuœ in sempiternum;* præventi tamen ab eis beneficiis ex lege naturæ ad

ad gratitudinem tenebantur. Itaque præventus David beneficiis non peccavit, si paria reponere studuit, et in regem Ammonitarum se officiosum exhibuit.

3. *Ut investigaret, et exploraret civitatem.* Habes in hac historia specimen ingenii eorum qui sapientes sunt secundum carnem; qui se oculatissimos, et πολιτικωτάτους existimant, cùm sunt maximè suspiciosi; quare frequenter in non absimilia discrimina principes suos trahunt, quàm hi consiliarii Hanonem regem suum adduxerint.

4. *Rasitque dimidiam partem barbæ.* In libro Paral. 1. cap. 19. 4, habemus : *Pueros David decalvavit, et rasit.* Videntur potissimùm hoc genere contumeliæ voluisse Ammonitæ Hebræos afficere, quia Ammonitæ in luctu solebant barbam et caput radere, a quo ritu abhorrebant Hebræi, quia vetabatur illis Deut. 14. 1. Cùm ergo tunc defunctum Naas lugerent, voluerunt per contemptum legatos cogere ut etiam ipsi, ut in funere, capita et barbam rasam gestarent.

Vestes eorum medias usque ad nates. Ut turpitudo et nuditas eorum in conspectu omnium aulicorum et civium appareret, et circumcisio derideretur.

5. *Manete in Jericho.* Erat is locus olim in oppidum, tunc verò raro habitatore cultum in itinere Ammonitico, Hierosolymis distans 150 stadiis, ut ait Josephus; a Jordane autem sexaginta.

6. *Syrum Rohob.* Ex ea parte Syriæ, cujus metropolis erat Rohob : sunt qui putent Rohob esse nomen proprium principis ejus provinciæ, patris Adarezer; nam, ut vidimus cap. 8. num. 3 et 12, Adarezer filius Rohob dicitur, sed huic expositioni adversatur quod ibi Adarezer filius Rohob dicitur rex Soba; hic autem Syrus Soba et Syrus Rohob distinguuntur. In lib. 1. Par. 19. 6, dicitur Hanon conduxisse militem de Mesopotamia, quæ tamen regio ea non est, quæ jacet inter Euphraten et Tigrim, sed alia, quæ aliis Syriæ fluminibus clauditur, ut notat Salianus.

Syrum Soba. Vide dicta cap. 8. num. 3.

A rege Maacha. Id est, Syros subjectos regi Maacha.

Istob. Id est, Syros incolas terræ Istob, in qua, ut sentit Salianus, Vatabl. et Sa, peregrinatus est Jephte Jud. 11. 3. Josephus putat Istob esse nomen proprium regis. Hebræi separant Is-Tob, quasi dicas, virum, aut principem Tob.

8. *Introitum portæ.* * Urbs Maacha, ut patet ex 1. Paral. 19. 6.

Seorsum erant in campo. Eo consilio ut medium Joab includerent, ut patet ex sequenti versiculo.

12. *Pugnemus pro populo nostro.* Qui cum rege suo injuriâ affectus est ab Ammonitis.

Et civitate Dei nostri. Jerusalem scilicet nova regni Judæorum metropoli. 1. Par. 19. 13, dicitur in plurali *civitatibus ;* sinè dubio, si vicissent Ammonitæ, clades ad plures Hebræorum civitates pertinuisset.

Dominus autem faciet quod bonum est. Quasi dicat : nos pugnemus strenuè; reliqua Domino, qui est Deus exercituum, cujus sunt bella atque victoriæ, curæ erunt : in ejus nos providentia acquiescamus.

13. *Qui statim fugerunt.* Syri mercenarii primi in fugam se dant; non enim par est animus conductitio militi, et ei cujus proprium est periculum. *Mercenarius fugit, quia mercenarius est.* Joan. 10. 13.

14. *Videntes quia fugissent Syri.* In quorum virtute ac multitudine spem suam collocaverant. * Id sæpe faciunt ii qui mercede sola militant. Prudenter Joab, antequam conjuncti essent hostium exercitus, externos et pretio conductos priùs impugnandos censuit.

Ingressi sunt civitatem. Vide dicta num. 8.

15. *Congregati sunt pariter.* Illi ipsi qui antea fugerant, ignaviæ notam abstergere volentes fortiter pugnando. * Metuentes etiam ne, ut fieri solet, ab auxiliatore hostium suorum pœnas David deposceret, quod et factum est. Vide infra, num. 19.

16. *Eduxit Syros.* Eos evocavit non imperio quasi subditos, sed pretio, ut ait Josephus, quasi mercenarios.

17. *Venitque in Helam.* Quam urbem Syrorum putat Abulensis. Alii putant esse locum ubi congregati erant Israelitæ qui trans Jordanem habitabant, quos ut vicinos Ammonitis semper in armis paratos esse oportebat.

18. *Septingentos currus, et quadraginta millia equitum.* Videtur hic locus pugnare cum iis quæ habemus 1. Paral. 19. 18: *Interfecit*, inquit, *de Syris septem millia curruum et quadraginta millia peditum.* Ut hæc duo loca concilientur dici potest currus tantùm fuisse septingentos, in quorum singulis decem milites pugnarent, qui septem millium summam efficiunt, hos autem eos esse, quos sacer textus in Paralipomenis expressit, cùm ait, *septem millia curruum*, id est, militum ex curribus pugnantium. Vide dicta cap. 8. num. 4. Cùm verò dicitur in Paralipomenis occisa *quadraginta millia peditum*, hoc verò loco *quadraginta millia equi-*

tum, dicendum utrumque verum esse, ac cæsorum summam fuisse octoginta millium præter eos qui pugnabant de curribus. Ita Lyranus, Abulensis, Vatablus, Sa, Salianus et Sanchez.

Sobach principem militiæ percussit. Non constat ex textu an ipsius Davidis manu percussus fuerit, nam etiam multa illa millia equitum David occidisse dicitur, quod tamen de illius exercitu intelligendum est.

19. *Qui erant in præsidio Adarezer*. Id est, qui sub ejus auspiciis contra Israel pugnabant.

Quinquaginta et octo millia. Ex quo apparet totum exercitum fuisse centum quadraginta quinque millium militum; nam octoginta septem millia cæsa fuerant. 1. Paral. 19 additur, quod hic erat prætermissum, servos Adarezer ad Davidem transfugisse.

CAPUT XI.

Obsidio Rabbæ. Adulterium Davidis cum Bethsabee. Cædes Uriæ: Davidis cum Bethsabee matrimonium, ex quo filius nascitur.

1. VERTENTE *anno*. Hebr. *revertente*, ut etiam LXX, ἐπιστρέψαντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, cùm scilicet cùm vere novo sol longiores dies faciens ad nos revertitur.

Tempore quo solent reges ad bella procedere. Mense martio, cùm mitescit cœlum, et solum equitatui reliquisque jumentis pabulum suppeditat, aliæque commoditates ad educendum ex hibernis militem invitant.

Vastaverunt filios Ammon. Agris Ammonitarum vastitatem intulerunt.

Rabba. Metropolim Ammonitarum.

Remansit in Jerusalem. Neque enim diu extra regnum manere poterat in diuturna civitatis illius obsidione.

2. *Dum hæc agerentur*. In castris apud Ammonitas.

Surgeret David de strato suo post meridiem. Ubi se a prandio quieti dederat.

In solario domûs regiæ. Supra palatii tectum, quod de more regionis planum erat, et peribolo cinctum, ut in eo deambularet.

Mulierem se lavantem. Vel ad naturalem corporis, vel legalem immunditiam abstergendam, vel ut se a calore, cùm tempus esset æstivum, refrigeraret.

Viditque.... ex adverso super solarium suum. Sententia est: David existens super solarium suum vidit

mulierem se lavantem : vidit autem per fenestram domûs mulieris, si se abluebat in cubiculo : vel ad fontem, si, ut Susana, se ad salientem lavabat. Hunc sensum faciunt hebræa in quibus est, *vidit desuper tecto*, vel *de solario*, ut etiam LXX habent.

3. *Bethsabee filia Eliam*. Hunc autem Eliam fuisse filium Achitophel discimus infra, ex cap. 23 hujus libri, n. 34, idemque affirmat D. Hier. in Traditionibus, et alibi. 1. lib. Paral. cap. 3. num. 5, Bethsabee dicitur filia Ammiel, sed dicendum est ejus parentem binomium fuisse, vel hæc duo nomina poni pro eodem, cùm eamdem habeant significationem : nam Ammiel significat *populus Deus meus;* Eliam verò, *Deus meus populus*.

Hethæi. D. Hier. in Traditionibus in 2. Paral. cap. 11: *Urias*, inquit, *Hethæus vir Bethsabee a loco, qui vocatur Heth, Hethæus vocatus est*. Porro Heth Adrichomius in tribu Juda num. 128, ad Hebronem collocat, juxta sepulcrum Abrahæ.

4. *Statimque sanctificata est ab immunditia sua*. Id est, statim menstrua illi fluere desierunt, ut mulieribus accidit post conceptum fœtum; ideoque sublata immunditia legalis, quâ menstruatæ laborabant in lege veteri, Levit. 15. 19. LXX habent, *et ea erat sanctificata ab immunditia sua*, quasi dicerent, a menstruo purgata, ideoque apta ad conceptum.

6. *Mitte ad me Uriam Hethæum*. Excogitatum remedium occultando crimini; nam si reversus Urias uxorem cognovisset, natum infantem suum credidisset.

8. *Lava pedes tuos*. Solebant enim lavari pedes iis qui ex itinere veniebant.

Secutusque est eum cibus regius. Specie quidem in signum benevolentiæ, re autem ipsa, ut hilariùs et lautiùs cibo potuque regio exceptus, ad voluptatem alliceretur, ut Abulens. et Glossa notarunt.

10. *Nuntiatumque est David a dicentibus*. Id est, respondentibus; id enim sinè dubio quæsiverat David.

Numquid non de via venisti? Quasi dicat: par est ut tibi aliquid indulgeas, et corpus cures, cùm longum iter confeceris. Adrichomius ait Rabbam, ex qua venerat Urias, a Jerusalem itinere triginta horarum distare.

11. *Arca Dei*. Ex hoc perspicuum est arcam Dei de Sion in castra fuisse delatam, ut in aliis quoque bellis factitatum fuisse vidimus supra. Ideoque et ibi adfuerit Abiathar pontifex, aut certè sacerdotes, qui illi adessent, eamque pro officio custodirent.

Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ. Non

est duplex juramentum, sed repetitio ejusdem rei; idem enim est per salutem animæ tuæ, quod per salutem tuam.

13. *Inebriavit eum*. Tum ut non recordaretur jurisjurandi sui, tum ut vino ad hilaritatem solutior, domum atque uxorem suam adiret.

16. *Posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos*. Paruit Joab existimans Uriam scelus aliquod contra regem admisisse, ideoque mortem esse commeritum; velle tamen regem in eum ita animadvertere, ut simul ejus honori parceret.

20. *Quare accessistis ad murum, ut præliaremini?* Ex hoc apparet Uriam juxta murum Rabba occubuisse.

21. *Quis percussit Abimelech*. Vide Jud. 9. 50, et ibi dicta.

Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit. Jubet Joab narrare regi irascenti mortem Uriæ, ut commemoratione rei optatæ ejus indignationem leniret.

25. *Non te frangat ista res*. Eminet in his verbis animi malè voti compotis lætitia, facilè cladem suorum ferentis, cùm etiam Uriam cecidisse cognoscit.

26. *Planxit eum*. Quanto tempore sacer textus non exprimit : Cajet. putat fuisse diuturnum luctum more nobilium matronarum. Abulensis in hoc caput quæst. 21 septem dies, aut paulò plus luxisse existimat, quod videtur probabilius, quia hoc faciebat ad occultandum adulterium suum. Adde per unius hebdomadæ spatium Hebræos solitos fuisse lugere mortuos, nam, ut habemus in Ecclesiastico c. 22. 13, *luctus mortui septem dies*. * Lacrymæ Bethsabeæ similes lacrymis quibus Cæsar occisum Pompeium luxisse scribunt. Sic periisse Germanicum nulli jactantiùs mœrebant, quàm qui maximè lætabantur, ut apud Tacitum, lib. 2 Annal., ait Domitius Celer.

27. *Displicuit verbum hoc, quod fecerat David coram Domino*. Non quòd uxorem Bethsabeam duxisset, aut in domum suam induxisset; nulla enim lege hoc facere vetabatur, et alioqui hac ratione famæ illius, quæ lapidationis rea erat, consulebat : sed displicuit Deo adulterium, et Uriæ cædes inde profecta : nisi fortasse dicamus displicuisse Deo venereum Davidis affectum in Bethsabeam, quo potiùs ductus est, cùm eam sibi adjunxit uxorem, quàm amore prolis.

CAPUT XII.

David corripitur a Nathan, et culpam agnoscit et veniam obtinet; moritur proles ex Bethsabea suscepta, sed mox Salomon ex eadem nascitur. Capitur Rabba, et in Ammonitas sævitur.

1. *Duo viri erant.* Quatuor hisce primis versiculis parabola narratur cujus scopus eò dirigitur, ut Davidi ponatur ob oculos injuria, quam Uriæ fecit ejus tollendo uxorem unicam quam habebat, cùm ille multas haberet. Particulas singulas parabolæ Davidis facto accommodare velle inutile est; multa enim in parabolis adduntur, quæ decori et probabilitati narrationis tantùm serviunt.

5. *Filius mortis.* Mortis reus: est hebraismus. Hoc tamen Davidis dictum hyperbolem continet, ut docent Abulens. et Cajet.; neque enim divina lex Exod. 22. 1, furem morte afficit, sed furem ovis mulctat pœnâ quadrupli, ut scilicet pro una quatuor reddat.

6. *Ovem reddet in quadruplum.* Hoc passus est David, cui pro unius Uriæ morte quatuor filii mortui sunt. Primus fuit filius adulterinus, hoc cap. num 15. Alter Amnon, quem Absalom interfecit. Tertius Absalom, qui a Joab occisus est. Quartus Adonias, quem frater ejus Salomon jussit interfici. Adde pro corrupta una Bethsabea permisisse Dominum ut decem ejus concubinæ a filio ipsius nefariè publicèque polluerentur.

7. *Tu es ille vir.* Contra quem scilicet sententiam protulisti.

* Mutato nomine de te
Fabula narratur

Ut ait Horatius.

8. *Uxores domini tui in sinu tuo.* Sententia est dedisse Dominum in potestatem Davidis omnia quæ fuerunt Saulis, etiam uxores, ut illas etiamsi vellet ducere posset nemine repugnante; quarum tamen nullam, quod sciamus, duxit David.

Si parva sunt ista, adjiciam tibi multò majora. In hebræo textu Pagninus habet, *adjiciam tibi similia, et similia.*

9. *Contempsisti verbum Domini.* Divinam legem violasti.

Percussisti. Gladio scilicet filiorum Ammon, ut paulò post dicitur.

10. *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.* De cæde aliquot filiorum Davidis vide dicta num. 6. Ex posteris etiam Davidis multi, ut deinceps patebit ex sacra historia, gladio perierunt.

Et tuleris uxorem Uriæ Hethæi. Vide dicta superiori cap. num. 27.

11. *Suscitabo.* Suscitari et existere permittam.

De domo tua. Durum est a quocumque acerba pati: durum et etiam supra modum acerbum a suis. Sic idemmet David in Ps. 54. 13, lamentabatur: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc.; tu verò homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, etc.*

In oculis tuis. Non clam, sed palam, et nullo tuî respectu.

Proximo tuo. Vinculo consanguinitatis, et eximii cujusdam amoris. Absalonem enim filium mirum quantùm dilexit David.

12. *In conspectu solis.* Publicam infligam pœnam sceleris, quod occultum esse voluisti.

13. *Peccavi Domino.* Idem quod Saul locutus est David, sed diverso animo, dolenti nimirum ob Deum offensum, cùm Saul non ob culpam doleret, sed ob pœnam.

Transtulit peccatum tuum. Sustulit, dimisit, condonavit quoad culpam. In hebræo est, *transire fecit a te.*

Non morieris. Vitæ securus redditur; poterat enim meritò timere comminationem illam, *non recedet gladius de domo tua, etc.*

14. *Blasphemare fecisti.* Deum scilicet, qui tam improbum regem dederit. * Gravis etiam ad peccatum accessio occasionem dare impiis gentibus malè sentiendi de lege divina, quam sperni a primis Hebræorum videant.

15. *Percussit quoque Dominus parvulum.* Febri, aut alio languore corporis.

16. *Deprecatusque est David Dominum.* Orat, jejunat, humi cubat, etc., ut mortem a filio avertat, si fortè prophetica denuntiatio conditionem habeat, et precum, et afflictionis corporis interventu revocabilis sit.

18. *Die septima.* Ab ægritudine; septimus enim dies a medicis criticus appellatur, et graviter ægrotantibus periculosus est. Itaque cùm septimus hic dies non sit a nativitate numerandus, sed ab initio morbi, dicendum est infantulum ante mortem circumcisione fuisse consignatum.

20. *Ingressus est domum Domini.* Potuit David adire Domini tabernaculum ; neque enim ex luctu erat immundus; contrahebatur enim immunditia non propter lacrymas, sed exeundo ad exsequias, aut defuncti cubiculum ingrediendo.

21. *Sermo.* Res.

23. *Numquid potero revocare eum ampliùs ?* Nec de animorum immortalitate, nec de corporum resurrectione dubitat David, sed pro certo habet Deum vitæ non restituturum eum pro quo ne moreretur tam ferventer oraverat. Adde quòd nullum adhuc exstabat exemplum mortui ad vitam viventium precibus revocati.

24. *Consolatus est David Bethsabee uxorem suam.* Non solùm suadens ut in placito divinæ voluntatis acquiesceret, sed etiam, ut putant Pineda lib. 1. de Salomone, cap. 6, et Salianus, promissione regni in eum filium, qui ex illa nasceretur, transmittendi.

Salomon. Id est, *pacificum.* Ratio nominis habetur 1. Paral. cap. 22. 9: *Faciam enim*, inquit, *eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, et ob hanc causam Pacificus vocabitur, et pacem, et otium dabo in Israel omnibus diebus ejus.*

25. *Misitque in manu Nathan prophetæ.* Dominus scilicet, ut nomen infanti imponeret, *Amabilis Domino*, hebr. ידידיה *jedidejah.* Itaque Salomon binomius fuit, licèt secundum hoc nomen hoc tantùm loco referatur.

26. *Expugnabat.* Oppugnabat.

27. *Urbs aquarum.* Rabba, quæ dicta est urbs aquarum vel quòd plurimis aquis, locisque palustribus cincta esset, ideoque ut munitissima Joabi conatus frustraretur, ut tradit Lyranus et alii : vel quòd torrens Jaboc eam circumflueret, ut vult Serarius, et Adrichomius in tribu Gad, num. 23. 37.

28. *Congrega reliquam partem populi.* Ut scilicet tibi cum novis copiis supervenienti cedat decus urbis captæ, quasi minori exercitu rege absente capi non potuerit. * Curtius rem similem de Cratero narrat in Artacacnæ obsidione : *Ille omnibus præparatis regis exspectabat adventum, captæ urbis titulo (sicut par erat) cedens.*

30. *Diadema regis eorum de capite ejus.* Regem eorum appellat idolum Moloch, sive Melchom, quæ vox interpretata *regem eorum* sonat. Ita hunc locum interpretantur S. Hier. et Pineda, ac Villalpandus ex recentioribus, et alii apud Salianum, licèt non desint qui non de idolo, sed de rege intelligant.

Impositum est super caput David. Deut. 5. 25, lex est : *Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, etc.* Aliqui Davidem excusant a peccato contra legem hanc, quòd ea de idolis tantùm Chananæorum accipienda esset : alii quòd de ipsis idolis, non de eorum ornamentis, coronis, torquibus, etc.

31. *Serravit.* Serris secuit. * Non incognitum illis in regionibus supplicium, quo et Isaiam affectum a Manasse aiunt Hebr., et innuit D. Paulus ad Hebr. 11. 37, *secti sunt*, ἐπρίσθησαν. Videntur quæ hìc narrantur sapere crudelitatem, sed fœdissimè violatum ab Ammonitis jus gentium, et concitati alii reges adversus Israelem, et creata molestia diuturni belli gravem pœnam exigebant ; si verò aliquid crudeliùs designatum est, Joab auctori cum Saliano adscribi fortasse potest.

Circumegit super eos. Sensus est aliquos fuisse serrâ dissectos, alios suppositos ferratis carpentis contritos, alios gladiis trucidatos, alios traductos per fornacem lateritiam, ut igni comburerentur ; hoc enim est *traduci in typo laterum*, id est, per eum locum in quo lateres formantur, et igni durantur. Locum hunc fusiùs explicavi in Hieropoliticis l. 2. cap. 3. num. 1.

CAPUT XIII.

Amnon incestat Thamar sororem suam, ideoque illum occidit Absalom, qui patrata cæde ad regem Gessur profugit, apud quem triennio exulat.

1. ABSALOM *filii David sororem.* Soror dicitur Absalonis, quia eâdem cum illo matre genita.

2. *Cùm esset virgo.* Quæ propter ea diligenter custodiebatur.

3. *Filius Semmaa.* Patruelis ipsius Amnonis.

Prudens valde. Prudentia carnis, quæ astutia est. * Jonadab unus erat ex eorum numero, quibus omnis principum honesta, atque inhonesta laudare mos est, ut Tacitus loquitur tertio Annalium.

4. *Fili regis.* Emphasim habet, quasi inertiæ cujusdam sit filium Regis, qui voti cujuscunque compos esse possit, tabescere rei alicujus desiderio, nec conari illam consequi.

5. *Languorem simula.* Ægritudinem paulò gravio-

rem, quæ lecto affigat; nam priùs etiam, sed leviter ægrotabat.

Thamar soror mea. Vocare jubet sororem ad amoliendam suspicionem meditati facinoris.

6. *Sorbitiunculas.* LXX, *placentas;* alii, *lagana.*

12. *Neque enim hoc fas est in Israël.* Quia in Levitico, cap. 18. 6, dicitur: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus*, et num. 9, ad rem nostram propius: *Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi, vel foris genita est, non revelabis.*

13. *Opprobrium meum.* Dedecus ob violationem.

Quasi unus de insipientibus. Sceleratis, divinæ legis violatoribus.

Non negabit me tibi. Id fortasse licitum putavit Thamar ignoratione legis: vel qualemcumque spem Amnoni objiciendam putavit, ut, si fieri posset, desisteret ab injuria.

15. *Exosam eam habuit Amnon.* Quæ odii causa? an ex conscientiæ stimulo, et synderesi, et pudore infamiæ secuturæ? * juxta ea, quæ docet Aristoteles in Problematis sect. 4. probl. 11; an potiùs id egit dæmon, ut expulsa virgine, et propalato crimine, turbæ domi, odia, cædesque nascerentur, quod etiam consecutus est.

16. *Majus est hoc malum.* Id est, perpetratum malum majus fit expulsione, quia infamiam affert expulsio, et spem excludit patrati criminis tegendi, et aliquod remedium adhibendi.

18. *Talari.* Sic LXX, at hebr. פסים *passim*, id est, ut alibi noster vertit interpres, *polymita.* Vide dicta Genes. 37. 3.

19. *Impositisque manibus super caput suum.* Manuum impositio capiti signum erat dolentis animi. Sic Jer. cap. 2 extremo dicitur: *Ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum; quoniam obtrivit Dominus, etc.*

Ingrediens, et clamans. Ne si re jam manifesta leviter injuriam ferre videretur, non vim passa, sed volens corrupta crederetur.

20. *Frater tuus est.* Non significat id Absalom fratri licuisse, aut impunè esse debere, sed premendam rem silentio, ne major fiat infamia, quæ tam in eos redundet, qui intulerunt, quàm in eos qui passi sunt. Vel etiam eam consolatur, quòd cùm Amnon frater illius esset, nemo jure suspicari posset eam in stuprum consensisse.

Contabescens. Hebr. et chald. *desolata*, scilicet mœsta. LXX, *animo deficiens.*

21. *Noluit contristare spiritum Amnon.* Nimiæ remissionis Davidem accusat Abulensis, quòd peccantem adeo graviter filium ne asperiùs quidem appellaverit. Alii plures existimant tempore opportuno non fuisse neglectam a Davide correptionem, licèt id sacer textus non expresserit. Ita sentit Lyranus, Dion. Salianus, et alii.

22. *Non est locutus...nec malum, nec bonum.* De hoc scilicet violatæ sororis facinore: si enim planè ab omni ejus colloquio abstinuisset, suspectum eum habuisset Amnon, et ab eo sibi cavisset.

23. *In Baalhasor, quæ est juxta Ephraim.* Non tribum Ephraim, sed civitatem hujus nominis in tribu Juda, quæ etiam dicitur Ephraim et Ephræm cum diphthongo, cujus mentio est Joan. 11. 54.

24. *Ecce tondentur oves.* Quod tempus celebre et lætum erat illo ævo Judæis rei pecuariæ intentis: quare etiam convivia tunc agitabant, ut vidimus supra in Nabal Carmeli. 1. Reg. 25.

Veniat, oro, rex cum servis suis. Cum tota familia regia. Cùm regem ipsum invitat Absalom, hoc agit ut suspicionem meditati criminis amoliatur.

25. *Gravemus te.* Apparet Absalonem sua sibi bona habuisse separata, et conjugio fuisse devinctum, præsertim cùm capite sequenti tres ejus filii et una filia memorentur.

Benedixit. Bene precatus est, scilicet valedicens.

27 *Coegit itaque Absalom eum.* Precibus importunis. Tam morosus David in danda venia videtur mali aliquid timuisse.

Quasi convivium regis. Quippe qui regem et regios filios omnes convivio excipere volebat.

28. *Ego enim sum qui præcipio vobis.* Quasi dicat: ego periculum vestrum in me recipio, ego damnum omne præstabo.

29. *Pueri Absalom.* Est probabile, ut Lyranus, Abulensis, et Dionysius volunt, fuisse istos alienigenas ex regno Tholmai regis Gessur avi sui materni oriundos, ut patrata cæde cum Absalone aufugerent, nec filios, aut familias suas in certo vitæ ac fortunarum discrimine relinquerent.

30. *Fama pervenit ad David.* Fama, ut sæpe solet, mendax; quæ tamen divino consilio atque judicio ad majus Davidis supplicium pertineret, dum mortis omnium filiorum falsa opinione cruciatur.

32. *In ore.* In decreto et voluntate Absalonis positus erat, et destinatus ad cædem, quia decreverat, et fortasse etiam jurejurando confirmaverat se illum interfecturum. Chaldæus vertit, *in corde. In ore* propriè hìc accipi non potest, quia consilium suum Absalom mira dissimulatione texerat.

34. *Fugit autem Absalom.* Ad Tholomai regem Assur avum suum maternum, ut habetur num. 37 sequenti. * Urbes refugii non texissent deliberatò parricidam.

Per iter devium ex latere montis. Putat Abulensis filios regis metu Absalonis compendia viarum fuisse sectatos, non viâ regiâ progressos.

39. *Eò quòd consolatus esset super Amnon interitu.* Quòd scilicet ira deferbuisset, quâ exarserat in Absalonem propter Amnonis mortem. * Cùm præsertim expenderet eum justas suæ necis causas dedisse.

CAPUT XIV.

Joab per mulierem Thecuitem reditum in urbem impetrat Absalom, qui tamen ad conspectum et osculum Davidis admittitur tantùm post biennium.

1. *Cor regis versum esset ad Absalom.* Quòd scilicet illi placatior esset factus.

2. *Misit Thecuam.* Ea fuit olim urbs tribûs Juda a Bethlehem distans duobus milliaribus. * Voluit Joab hoc beneficio sibi Absalonem devincire, quem patri in regno successurum sperabat.

Plurimo tempore lugens mortuum. Non funeris exsequias celebrans, quæ paucis diebus finiebantur, sed mœrens pro sua in defunctum benevolentia et damno accepto. Hæc omnia adornantur ad ciendam in Davide misericordiam.

3. *Posuit autem Joab verba in ore ejus.* Quasi mulieris ore ipse loqueretur, et parabolam, quâ uteretur, docens, et illius apodosim et usum.

5. *Quid causæ habes?* A quonam periculo, aut malo eripi cupis?

6. *Interfecit eum.* Non fatetur crimen vidua, cùm id testibus convinci non posset, neque id reus fateretur, sed accusatorum orationem referebat, ut placet Abulensi.

7. *Trade eum, qui percussit.* Erant hi cognati ex parte patris, qui occiso filio superstite hæredes futuri

erant; itaque non zelo justitiæ, sed hæreditatis amore in viduam insurgebant.

Deleamus hæredem. Notat illorum intentionem : non enim hoc verbis dicebant, sed factis.

Exstinguere scintillam meam, quæ relicta est. In qua exstinctus jam pridem pater reviviscat; et ego prope diem moritura deinceps vivam.

Non supersit viro meo nomen. Viri sui nomen memorat, tacet suum, quia filii patribus succedebant, non matribus, quæ nisi hæredes essent, quòd fratribus carerent, nihil habebant. Filii etiam a patre denominabantur, ut cùm dicitur Saul filius Cis, Salomon filius David.

8. *Jubebo pro te.* Quod opportunum fuerit, ac necessarium fieri jubebo, ne premaris injustè.

9. *In me, domine mi rex.* Quasi dicat : si tu rex tibi a Deo times, quasi occisi fratris reum impunitum dimittere peccatum sit, in caput meum pœna iniquitatis hujus deferatur; tu verò sis innoxius, nec tibi regno tuo incommodum ullum inde proveniat. Quamvis principes pro arbitrio nocentes impunitos dimittere non possint, poterat tamen David in casu proposito; nam nec reus crimen fatebatur, nec aderant testes quibus revinceretur. Itaque cùm delictum non probaretur, nec pœna poterat infligi.

10. *Adduc eum ad me.* Ego quippe ei nominatim interdicam ne tibi, aut filio tuo molestiam exhibeat.

11. *Non multiplicentur proximi sanguinis.* Mulier dixerat universam cognationem adversus ipsam consurrexisse; petit a rege ut non tantùm qui proximus est, ac habet primarium jus ad accusandum, ab accusatione repellatur, sed alii quoque, qui illo recedente illius juri succedunt, ne multiplicentur ultores fusi sanguinis, sed planè ab omni molestia liberetur.

13. *Contra populum Dei .... ut peccet.* Quasi dicat, nisi revocetur hic exul, peccaturus est, et futurus cultor idolorum in damnum et dedecus populi Dei.

14. *Omnes morimur.* Altera ratio est, quasi dicat, quod factum est infectum esse non potest, qui mortuus est exilio vivi non revocatur ad vitam. Cur ergo malum malo cumulemus, et non potiùs veniâ et indulgentiâ illud reparare studeamus?

Nec vult Deus perire animam. Altera ratio petita ex Dei exemplo, qui resipiscenti peccatori noxam condonat, etiamsi abjectus sit, quòd scilicet divinâ ceciderit gratiâ.

Retractat. Sententiam mutat.

15. *Nunc igitur veni.* Ego scilicet. Hebraicè est, *et nunc quòd veni*, id est, causa propter quam veni.

Præsente populo. Ex hebræo verti potest, *quia terruit me populus.* Potestque locus hic explicari, vel de Absalone, vel de filio viduæ. De hoc quidem, ut sit sensus : volui hæc dicere præsente populo, ut omnes noverint sententiam regis filium meum absolventis. Ita Theodoretus et Abulensis. De Absalone verò, ut sit sensus : parabolam proposui tibi, rex, in gratiam populi, quem vidi mœstum ob exilium Absalonis, et quem hoc tuo beneficio exhilarabis.

17. *Dicat ergo ancilla tua.* Obtineat ab humanitate et benignitate tua.

Fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sententia, quam pronuntiasti, rata sit et immutabilis, ideoque Deo grata ut sacrificium.

Sicut enim angelus Dei. Quasi dicat : hoc etiam decet constantiam tuam qui instar es angeli, ut sermonibus hominum non movearis, sive bené sive malè de te sentiant et loquantur, modò facias quòd justum est, et consentaneum divinæ legi.

Est tecum. Tibi favet, rebusque tuis.

19. *Numquid manus Joab tecum est?* Id est, nonne opera ejus et consilio usa es in hoc toto negotio tuo?

Nec ad sinistram, nec ad dexteram est. Rem ipsam attigisti, planè dixi quæ ille suggessit. Non dissimulat mulier auctorem parabolæ, sive quia Joab illi id permiserat, sive quia cùm cor regis versum esset ad Absalom, ut supra dictum est, gratum erat illorum officium qui de eo revocando agebant.

20. *Verterem figuram sermonis hujus.* Parabolam applicarem.

Sapiens es. Quasi dicat, fas mihi non est dissimulare diutius, aut sperare te falli posse cùm sis sapiens sicut angelus, tantoque intervallo reliquos mortales post te relinquas, quanto angeli Dei omnes homines sapientiâ antecedunt.

21. *Verbum tuum.* Quod propositâ viduæ personâ a me postulasti.

Puerum Absalom. Vox *puerum* tacitam habet criminis excusationem ex imprudentia, fervore et temeritate juvenili. Vel etiam formula est blandè, indulgenter et amanter filium charissimum appellantis.

22. *Cadensque Joab super faciem suam.* Pronus se inclinavit in terram in signum reverentiæ.

Benedixit. Verbis officiosis quæ sequuntur gratias egit.

24. *Faciem meam non videat.* Quod factum est a Davide, ut ferox Absalonis ingenium contineret in officio, utque ex pœna diuturniore admissi criminis gravitatem agnosceret.

25. *Non erat in eo ulla macula.* Nullum planè vitium, nihil quod reprehendi posset, aut improbari.

26. *Ponderabat.* Scilicet qui vendere volebat, fortasse ad feminarum ornatum. * Nec enim probabile videtur filium regis quæstum inde quæsivisse, sed aliquibus e suis donabat qui postea pretio accepto distrahebant. Pondus autem quidam referunt ad capillorum gravitatem, alii ad pretium quo vendebantur.

Ducentis siclis. Sæpius dictum est siclum unum argenteum quatuor regalibus hispanicis æquivalere.

Pondere publico. Hebr. chald. et LXX habent, *regio*, id est, justi ponderis.

27. *Nomine Thamar.* Vel pater id nomen filiæ dedit in memoriam, aut desiderium sororis suæ, ait Abulensis, aut ipsa potiùs amita, quæ cum Absalone morabatur, nepti nomen suum attribuit, consentiente patre.

29. *Ut mitteret eum ad regem.* Ut illo uteretur tanquam legato apud patrem. Probabile est Absalonem non habitasse Hierosolymis, sed in agro suo aliquo, hancque procrastinationis Joab causam fuisse.

32. *Misi ad te.* Etsi non habeatur in sacro textu, dubitandum tamen non est quin Joab illatum damnum se reparaturum promiserit, blandè compellarit rogaveritque ut quod apud regem optabat expediret.

33. *Osculatusque est rex Absalom.* Eum morem frequentem fuisse apud Hebræos, præsertim in reconciliatione filiorum, ex parabola filii prodigi in parentis gratiam recepti, Luc. 15. 20, intelligi potest.

CAPUT XV.

Absalom regnum affectat, et conjurat in Davidem. Hic urbe excedit, remisso eò Chusai, ut Achitophelis consilia disturbet.

1. FECIT *sibi Absalom currus, et equites.* Non jam æquo animo ferens vitam privatam, sed regiam dignitatem et illius insignia ante tempus affectans.

2. *Juxta introitum portæ.* Ubì juxta illius ævi morem prætorium erat, et judicia exercebantur.

Ex una tribu Israel. Ex tali tribu illius edens nomen.

* 3. *Videntur mihi.* Plebem sibi conatur adjungere, illique blanditur ambitiosè. Sic apud Terentium in Adelphis dicebat Demea :

Paulatim plebem primulum facio meam.

Non est qui te audiat constitutus a rege. Falsum hoc, nam de Davide dictum est cap. 8. hujus libri, num. 15 : *Et regnavit David super omnem Israel, faciebat quoque David judicium, et justitiam omni populò suo*, et ipse per se audiens et idoneos judices constituens.

4. *Omnes qui habent negotium.* Omnes indiscriminatim et sinè delectu vocabat ad se, ut ostenderet se non respicere personam hominum, sed tantum de bono communi esse sollicitum.

5. *Cùm accederet ad eum homo ut salutaret illum.* In hebræo est, *cùm appropinquabat quispiam, et incurvabat se ei.*

Extendebat manum suam. Illum humanissimè erigebat, complectebatur, osculabatur.

6. *Sollicitabat corda.* In hebr. est, *furabatur corda.* Etiam italicè de eo, qui cùm egregiis animi corporisque dotibus sit ornatus, benignus est et humanus, dicimus : *Ruba in cuore delle persone.*

7. *Post quadraginta autem annos.* Quos Vatablus ab eo tempore numerat quo Israelitæ regem petierunt a Samuele. Salianus verò a prima Davidis unctione in regem. * Aliqui putant mendum esse, et legendum *post quatuor annos;* tot enim intercessisse dicit Josephus et Theodoretus.

Reddam vota mea. . . . in Hebron. Parum probabilis prætextus; nam jam dudum reversus erat ab exilio, et vota, si quæ conceperat, jam dudum debuisset persolvisse : deinde locus sacrificiorum eo tempore non erat Hebron, sed aut Gabaon ubì erat excelsum maximum, et sacerdos Sadoc; aut Sion, ubì erat arca Domini : fortassis David sensit fraudem, sed voluit potiùs videri parum prudens quàm nimiùm suspicax. Vel etiam id egit Deus qui per Absalonem exercere Davidem parabat. Vel tandem, quod ad locum attinet, eam fortasse rationem suæ profectioni in Hebron prætexuit Absalom, quòd ibi, ut notavit D. Hier. in Tradit. hebr. corpora requiescerent patriarcharum Abraham, Isaac et Jacob.

* 10. *Exploratores.* Concitores vulgi, homines ad res turbandas idoneos.

Regnavit Absalom in Hebron. Cum regalibus insignibus

nibus etiam cæremonia unctionis in regem adhibita est, ut apertè colligitur cap. 19 sequenti, n. 10, cùm ait populus : *Absalom autem quem unximus super nos, mortuus est in bello.* Lyranus probabiliter putat etiam fidelitatis juramentum a populo exhibitum.

12. *Achitophel.* Bethsabeæ avum, ut supra diximus, quem Salianus Davidi putat infensum fuisse propter adulterium cum nepte et Uriæ occisionem.

Gilonitem. De Gilo civitate, quæ erat in tribu Juda.

14. *Neque enim erit nobis effugium a facie Absalom.* Agnoscebat pius rex se, Deo pro Absalone stante, non posse resistere; itaque ultro cedendum Deo.

Impellat super nos ruinam. Cadentes urgeat, et præcipites det.

16. *Pedibus suis.* Vel festinatione, vel patiendi desiderio, vel ut humili hac ratione agendi quasi cum reverentia Domini flagella exciperet, illumque placaret.

Dereliquit rex decem mulieres concubinas. Secundarias scilicet uxores suas, reliquis secum abductis.

Ad custodiendam domum. Non quidem contra vim hostium, quibus potiùs milites fuissent opponendi; sed ut domum eo modo quo mulieres solent gubernarent.

17. *Stetit procul a domo.* Non ingressi sunt domos, ut latè circumspicerent si qui ad eos de amicis se reciperent, uti postmodum factum est. Vel ita substitit in aperto, ut suos ordinaret, qui confusè ob festinationem egressi fuerant.

18. *Legiones Cerethi et Phelethi.* De quibus supra diximus, cap. 8. num. 18.

Sexcenti viri. Antiqui illi Davidis milites et exilii comites qui illum secuti fuerant in speluncam Odollam, in Ziphæorum desertis locis in Siceleg Gethæorum, unde et illis nomen adhæsit. Hi adhuc erant sexcenti, nam cùm aliquis ex hac legione desiderabatur, alium David in ejus locum sufficiebat.

19. *Ad Ethai Gethæum.* Quem graves auctores existimant filium fuisse Achis Gethæorum regis, qui admiratione virtutis Davidis ad illum transierat, judaicam religionem professus.

Habita cum rege. Absalone scilicet quem non vocat tyrannum, ut revera erat, quia sic locutus quod volebat non persuasisset.

Quia peregrinus es. Sententia est : Hierosolymis maneas cum novo rege, neque enim æquum est te peregrinum nostris turbis, quæ ad te non pertinent, jactari, idque tui apud nos incolatûs initio.

20. *Ego autem vadam quò iturus sum.* Ad locum nescio quem, neque enim adhuc mihi constitutum est quò me recipiam.

Reduc tecum fratres tuos. Cives tuos ac socios Gethæos qui te ducem sequuntur.

22. *Veni, et transi.* In talem scilicet ordinem, vel potiùs, ut ex consequentibus intelligitur, transi torrentem Cedron.

23. *Contra viam quæ respicit ad desertum.* Hæc dicuntur per anticipationem, nam sacerdotes cum arca Domini ad Davidem pervenerunt antequam ille torrentem Cedron pertransiret. Cæterum hoc desertum, cujus hìc mentio fit, situm erat orientem versùs inter Jerusalem et Jericho; ibi commoratus dicitur S. Joan. Baptista, et Christus Dominus, cùm jejunavit dies quadraginta.

24. *Portantes arcam fœderis.* Ut pro Davide Dominum cùm res ferret consulere possent.

Deposuerunt. In tumulo aliquo idoneo, donec omnes adessent, et congregarentur qui Davidem sequi volebant, utque eam honorare possent, et Dominum in ea adorare.

Ascendit Abiathar. Fortasse ad orandum prope arcam, vel quasi dicat: Comitatus est eos.

25. *Ad Sadoc.* Qui fortè honoris causâ arcam Domini suis ipse humeris tulerat, Abiathar pontifice infulato, et cum ephod pontificio subsequente.

Reporta arcam Dei in urbem. Quia consulente Dominum Abiathar pontifice responsum non tulit David, ideo intelligens nondum sibi divinum numen esse placatum (silentium enim illud signum quoddam erat offensionis illius), arcam jussit reportari.

Si invenero gratiam in oculis Domini. Quam scilicet nondum inveni.

Et tabernaculum suum. Sive quod in Sione ipse tetenderat, sive mosaicum quod adhuc in Gabaone sub Sadochi cura extensum fuisse diximus supra, cap. 8. num. 17.

26. *Non places.* Nolo te habere in conspectu meo, nolo te regem esse, nolo te vivere.

Faciat quod bonum est coram se. Quasi dicat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Psal. 107. 2.

27. *O videns.* Sadoc vocatur videns fortasse propter donum prophetiæ. In hebræo est, *nonne videns tu?* quod Vatablus explicat, *vidensne? valensne consilio?* quasi dicat: si vales consilio revertere; plus enim mihi profueris redeundo quàm manendo. Verius mihi vide-

tur quod ait Dionysius, vocari prophetam quia in divino obsequio psallentibus et prophetarum oracula recitantibus præerat. Sic Chonæias princeps levitarum prophetiæ præfuisse dicitur, 1. Paral. 15. 22. Juxta eorum sententiam qui putant Sadoc unà cum Abiathar pontificem fuisse, idem esset *videns* ac consulens Dominum per ephod. Vide dicta supra, cap. 8. num. 17.

28. *In campestribus deserti.* De quo num. 23 est dictum.

Indicans mihi. Quid geratur et quid faciendum videatur.

30. *Clivum Olivarum.* Per quem in montem Oliveti ascenditur.

Flens, nudis pedibus incedens. Non ex animi dejectione, sed ex peccatorum suorum dolore.

Operto capite. Caput velatum habitus est eorum qui sunt in luctu.

31. *Infatua. . . . consilium Achitophel.* Optat vel ineptum ab eo dari consilium, vel tanquam ineptum et inutile contemni.

32. *Summitatem montis.* Oliveti.

Adoraturus erat Dominum. Convertendo se versùs montem Sion, ubi sedes erat arcæ.

Chusai Arachites. A civitate Arach cujus mentio est Genes. 10. 10, et ponitur in terra Sennaar, quam aliqui Cœlesyriam interpretantur. S. Hier. in Tradit. in cap. 10. Genes. ait Arach notiori vocabulo *Edessam* dici. Videtur Chusai fuisse ex gentili proselytus hebræus.

33. *Eris mihi oneri.* Quia fortassis melior consilio quàm gladio, fortasse propter ætatem. Magni consilii virum fuisse ex eo patet quia illum David Achitopheli oppositum cupit, et ex eventu etiam patet, de quo infra.

CAPUT XVI.

Sibæ Miphibosethi procuratori confert David bona heri sui. Semei in via maledicentem vetat occidi. Absalom consilio Achitophelis Davidis parentis uxores incestat.

1. SIBA *puer Miphiboseth.* De quo vide supra, cap. 9.

In occursum. Ex aliqua proxima villa Miphibosethi, cujus erat curator bonorum, ut ex cap. 9 patet.

Centum alligaturis uvæ passæ. Vide dicta 1. Reg. 25. 18.

Palatharum. Ficorum exsiccatarum, quas massas caricarum non semel appellat sacra Scriptura.

2. *Domesticis regis.* Mulieribus.

3. *Ubì est filius domini tui?* Miphiboseth scilicet Jonathæ filius. Ita David interrogat, quia Siba nullam heri sui mentionem faciebat, nec satis intelligere poterat suone illa, an domini sui nomine daret.

Hodie restituet mihi domus Israel. Improbabilis calumnia, cùm appareret totum Israelem in Absalonis desiderium esse conversum, et Miphiboseth membris captus, et in domestico otio nutritus regno non esset idoneus.

4. *Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth.* Nimia sanè Davidis credulitas. Sed non putavit mentiri Sibam in re tam gravi, et cujus veritas facilè deprehendi posset. Adde eos qui calamitate aliqua pressis opem ferunt, ut nunc Davidi Siba, viros bonos videri; et dolore aliquo perturbatos minùs aptos esse ad pervidendum quid verum sit; quæ tamen non ita excusant David ut non peccaverit inauditum Miphibosethum damnando.

Oro ut inveniam gratiam. Quasi dicat : non hæc dixi, aut huc veni accusandi causâ, aut ut me in Miphibosethi bona immitteres; sed ut animum meum tibi patefacerem, et gratiam tuam promereri possem, quæ mihi instar erit bonorum omnium.

5. *Bahurim.* Oppidum et castrum in monte situm unius ferè horæ itinere ultra Bethaniam, Jordanem versùs. Vide Adrichomium in tribu Benjamin num. 28.

7. *Egredere.* Exi ex finibus regni Israelis.

Vir sanguinum. Qui ut sicarius et homicida multùm sanguinis fudisti.

Vir Belial. Vir profane, sceleste, et divinæ legis contemptor.

8. *Universum sanguinem.* Pœnas pro sanguine.

9. *Abisai filius Sarviæ.* Davidis ex sorore nepos, et Joabi frater.

Canis hic mortuus. Vide dicta cap. 3. num. 8.

10. *Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ?* Quasi dicat: omitte me.

Dominus enim præcepit. Divinæ justitiæ me punientis instrumentum est.

11. *Quantò magìs nunc filius Jemini!* Vir nempe neque domo, neque familia, neque tribu meus. Imò de tribu Benjamin et cognatione Saulis, cujus in me invidiam imitatur.

14. *Refocillati sunt ibi.* In oppido Bahurim.

17. *Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum?* David scilicet, quasi dicat : qualem ego te mecum futurum sperem, cùm videam te eum deseruisse, qui de te bene meritus est?

21. *Ingredere ad concubinas patris tui.* Aliqui ex primoribus et populo timidè sequebantur Absalonem, timentes ne fortasse inter se filius ac pater reconciliarentur, et qui pro Absalone stetissent pœnas luerent : fit ergo Achitophel auctor Absaloni ut adeo gravem patri irroget injuriam, ut planè omnes sibi persuadeant nullam inter ipsos reconciliationis spem superesse.

22. *In solario.* Vide dicta cap. 11. num. 2.

23. *Quasi si quis consuleret Deum.* Achitopheli sacer textus non prudentiam veram, sed quæ carnis dicitur attribuit, sive etiam naturalem quamdam circumspectionem quæ apta media ad finem aliquem, sive bonum, sive malum excogitat, et opportunè applicat. Confertur autem cum divina propter certitudinem eventorum, in quo tamen est hyperbole, quasi dicatur : erat præditus divina prudentia, quantùm licet magnis parva componere, terrena cœlestibus, humana divinis. Italicè diceremus : *Pigliavano i suoi consigli come oracoli.*

CAPUT XVII.

Chusai disturbat Achitophelis consilium de statim aggrediendo Davide, quare laqueo se suspendit Achitophel. David Jordanem transit, et illi ab amicis necessaria subministrantur.

2. SOLUTIS *manibus.* Remissis, seu debilibus.

Percutiam eum. Hebræa et LXX, *tenebo eum.* Chald. *turbabo eum.*

Desolatum. Solum relictum.

3. *Quomodo unus homo reverti solet.* Sententia nostræ vulgatæ esse videtur : totus Israel te sequetur unanimi consensu, nullo excepto; nam unius tantùm caput quærimus, quo sublato, nemo supererit qui populum in varias partes distrahat.

8. *Et amaro animo.* Quasi dicat, periculosum est cum desperatis hominibus pugnare; non inulti cadent.

Nec morabitur cum populo. Ponebat Achitophel Davidem in medio populi fuisse, ibique a suis perturbatis

destitutum iri. Chusai contra opponit Davidis consuetudinem nocte secedentis a turba, ne a suismet conjuratione aliqua comprehensus hostibus dedi posset; sicque fore ut quamvis Davidis copiæ deleantur, ille tamen evadat.

9. *Audiet*. Id est, quicumque audierit, dicet.

10. *Fortissimus quisque*. In hebr. est, *et ipse etiam filius fortitudinis*, id est, ipse Achitophel, qui dat hoc consilium, trepidabit. Aut cum Hieronymo, et aliis, intelligitur de quovis fortissimo qui, si semel noctu fuerit offensus, expavescet.

11. *Hoc mihi videtur rectum esse consilium*. Bonum utileque consilium, in Davidis scilicet commodum, quod si Chusai in mente habuit, non est mentitus.

* *Tu eris in medio eorum*. Dux scilicet, quem pluris facturi sint milites, quàm Achitophelem, qui sibi ducatum hunc depoposcerat num. 1.

12. *Sicut cadere solet ros super terram*. Cujus guttulæ innumerabiles sunt.

13. *Circumdabit .... illi funes*. Videtur esse proverbiale et hyperbolicum dicendi genus, quo gloriosi milites tunc utuntur, cùm suas vires jactant. Simili dicendi formula usi videntur reges Samariæ et Syriæ, licèt paulò obscuriùs, Isa. 7. 6, cùm ingenti exercitu adversus Judam comparato aiunt: *Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos*.

Ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea. Hæc etiam proverbialis est et hyperbolica dicendi formula.

14. *Consilium Achitophel utile*. Potuit enim David opprimi, si celeritate usi fuissent, nec tempus illi ad copias contrahendas reliquissent.

16. *Ne moreris nocte hac in campestribus*. Ne fortè iterum Absalom in Achitophelis consilium inclinet, et supervenientibus ejus copiis cædatur, aut in filii potestatem veniat.

17. *Jonathas autem et Achimaas*. Ab ipso David destinati ut munere nuntiorum fungerentur.

Juxta fontem Rogel. Id est, *fontem fullonis*. Fuit hic fons in suburbanis Hierosolymorum versùs orientem.

Abiit ancilla. Specie lavandi in fonte pannos, ut ait Hieronymus in Traditionibus, et ex eo alii.

Poterant. Id est, tutum erat.

18. *Quidam puer*. Ejusdem ancillæ filius, ex iisdem Traditionibus.

Concito gradu. Ut se periculo eriperent; senserant enim aliquo indicio se a militibus Absalonis quæri.

19. *Expandit velamen super os putei.* Ita ut ne puteus quidem ipse appareret, cùm careret peribolo.

Quasi siccans ptisanas. Grana frumenti, sive hordei madefacta et contusa.

22. *Ne unus quidem residuus fuit.* Cùm albesceret cœlum omnes Davidis comites partim naviculis, partim vado Jordanem transierunt.

23. *Disposita domo sua.* Datis familiæ mandatis quid se mortuo fieri vellet.

Suspendio interiit. Jam animo præsagiens victorem futurum Davidem, et extrema quæque sibi timens : impulsus etiam indignatione, quòd consilium suum Chusai consilio posthabitum fuisset.

24. *Venit in castra.* Quæ urbs hebraicè Mahanaim dicitur, eratque ultra Jordanem. Vide Gen. 32. 2.

25. *De Jezrael.* Civitate Juda, sicut et Achinoam uxor Davidis, et mater Amnon.

Ingressus est ad Abigail filiam Naas. Modus hic loquendi, ut notavit Sanchez, aliquid indicat non omnino legitimum ; quare aliqui putant Amasam ex furtivo concubitu fuisse susceptum : ex Scriptura nihil certi haberi potest.

27. *Sobi filius Naas de Rabbath.* Frater Hanonis Ammonitæ, qui contumeliosè acceptis David legatis, dein malè multatus a Davide, in gratiam Naas parentis de ipso Davide bene meriti in regnum fuerat restitutus.

Machir. Ille idem est, qui Miphiboseth Jonathæ filium nutriebat, antequam ad Davidis convictum admitteretur. Vide cap. 9. num. 4.

Berzellai. De quo cap. 19 sequenti erit sermo.

28. *Stratoria.* Lectus. Chald. *sindones.*

Tapetia. Fortasse stragula, et lectorum operimenta.

Polentam. Frumenti, aut farris grana tosta et contusa. * Fuit Berzellai pro sua copia liberalis in Davidem et ejus milites. Multa etiam in beneficii nomen veniunt ob tempus quo dantur: *Quanti æstimas in solitudine hospitium, in imbre tectum, in frigore balneum, aut ignem !* inquit Seneca l. 6 de Benef. c. 15.

CAPUT XVIII.

Absalom prælio vincitur, in fuga quercui per capillos innectitur, a Joab occiditur, et a Davide lugetur.

2. SUB *manu Ethai.* Voluit enim David fidelitatem et amicitiam Gethæi hujus principis, qui constantissimè illi adhæserat, honorare.

3. *Sis nobis in urbe præsidio.* LXX habent, *in auxilium nostrum*, ut nimirum si quid militum, aut commeatus ad exercitum ex oppido mittendum sit, tuo jussu promptiùs effectum detur. Chald. habet, *ad orandum pro nobis.*

4. *Juxta portam.* Civitatis, de qua superiori cap. num. 24.

5. *Servate mihi puerum Absalom.* Videtur subaudienda conditio, si viceritis. Putat tamen Abulensis certum fuisse Davidem de victoria, sive quia nullam Scriptura conditionem addit; sive quia cùm illi Deo favente successisset votum de evertendo Achitophelis consilio, sentiebat sibi Numen esse placatum. Putat S. Aug. 3 de Doctrina christiana, c. 23, propterea jussisse Davidem ut Absaloni parceretur, ut *edomito servaretur pœnitendi locus*, ut ille ait, et æternum evaderet exitium.

6. *In saltu Ephraim.* Non erat hic saltus in tribu Ephraim; nam et David, et Absalom Jordanem transmiserant. Abulensis, Torniellus et Salianus existimant Ephraimitas prioribus temporibus memorabile aliquod facinus ibi edidisse, unde loco nomen adhæserit, et omnino suspicor, inquit Salianus, Oreb et Zeb ibi ab Ephraimitis tempore Gedeonis interfectos. Eman. Sa saltum Ephraim interpretatur, ubi Ephraim Jordane transmisso solebat pecora pascere. * Vel tandem saltus Ephraim locus ille est in quo cæsi olim fuerant Ephraimitæ, ut habemus Judic. c. 7.

8. *Prœlium dispersum super faciem omnis terræ.* Clades latè fusa.

Quos saltus consumpserat. Quia per saltum invium conciti ferebantur, et in terræ voragines, imminente a tergo hoste, abjiciebant se, ne gladiis confoderentur. Has autem terræ voragines Absalonis sepultura confirmat; dicitur enim projectus in saltu in foveam grandem, in quam comportatus sit ingens acervus lapidum, infra, num. 17.

9. *Adhæsit caput ejus quercui.* Ramis implicita cæsarie, quam puto fuisse in aliquot capillorum discrimina, floccos aut tricas collectam. Italicè dicimus *le treccie.* Tales erant septem illi Samsonis capilli, de quibus Judic. 16. 3, ut ibi explicavimus.

10. *Nuntiavit Joab.* Vel non ausus ipse in filium regis manus injicere, vel opima hæc spolia militiæ principi reservare volens, vel jussui Davidis parere de servando Absalom, quod verius est, ut patet ex sequentibus.

11. *Quare non confodisti eum cum terra?* De quercu dejectum, et hasta ita transfixum, ut mortuus terræ adhæresceret.

Decem argenti siclos. Qui æquivalent quadraginta regalibus hispanicis.

Unum balteum. Militare cingulum in mercedem, ac monimentum egregii facinoris.

12. *Mille argenteos.* Siclos scilicet.

In filium regis. Majorem habet emphasim oratio quàm si dixisset, Absalonem.

13. *Si fecissem contra animam meam audacter.* Si reluctanti conscientiæ meæ vim intulissem.

Et tu stares ex adverso? Fieresne patronus meus? num eriperes me de manu irati regis?

14. *Tulit ergo tres lanceas.* Sive tria spicula, ut est in hebræo.

In corde Absalom. Perfosso pectore.

15. *Interfecerunt eum.* Motûs ac sensûs expertem penitus reddiderunt.

17. *Comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis.* Sicque locum habuit in Absalonis pœna lex Deut. 21. 21, quæ filium protervum et contumacem lapidibus obrui ab universo populo jubet, quod in Traditionibus hebraicis, et a Lyrano notatum est. Noluit verò Joab cadaver ad Davidem deferri, ne oculi augerent parentis dolorem, quem sciebat acerbissimum fore.

18. *Absalom erexerat sibi.... titulum.* Hujus monumenti, quod sibi paraverat Absalom, hoc loco Scriptura mentionem facit, ad ostendendam hominis vanitatem, qui cùm ad perpetuam memoriam sibi titulum illum erexisset, ad perpetuam infamiam ingenti lapidum acervo obrutus est.

Titulum. Aliqui columellam fuisse putant, aut pyramidem; alii statuam, alii triumphalem arcum, omnes probabiliter; nam certi nihil habemus.

In valle Regis. Valle Cedron, sive Josaphat, quæ inter Jerusalem et inter montem Oliveti jacebat, et a rege Melchisedech dictam indicant Biblia LXX interpretum Regiæ, et Complutensis editionis, in quibus Genes. 14. 17, ubi in Vulgata habemus, *vallis Regis*, legimus τὸ πεδίον βασιλέος Μελχισεδὲκ, *campus regis Melchisedech*, in quo scilicet Melchisedech Abrahamo occurrit.

Non habeo filium. Ex quo apparet eos jam mortuos fuisse, quos Scriptura memorat supra, c. 14. n. 27.

Manus Absalom. Quia manus operum pene omnium

artifex est, fit ut pro ipso sumatur opere. Sic Martialis lib. 8, epigram. 51, ait de phiala affabre facta :

> Mentoris hæc manus est, an, Polyclete, tua?

manus ergo *Absalom* est opus Absalonis.

19. *Judicium fecerit ei Dominus.* Ultionem, vel quasi dicat, jus dixit.

De manu. Scilicet liberans.

20. *In hac die.* Hac vice.

Filius enim regis est mortuus. Quasi dicat : alia occasione lætiori eris nuntius, non hac, quæ magnum parenti mœrorem afferet.

21. *Chusi.* Plebeio cuidam, qui ita appellabatur, vel qui gente Æthiops; hoc enim Chusi significat. Puto tamen hoc nomen illi proprium fuisse.

23. *Quid enim si cucurrero?* Hebr. et chald. habent, *quidquid sit, curram.*

Per viam compendii. In hebr. est, *per viam planitiei.* LXX hebræam vocem ככר retinuerunt, innuentes id esse proprium loci nomen.

24. *Inter duas portas.* Urbis scilicet, et septi quod ante portas ex trabibus, aut alia materia fieri solet ad munimentum tempore belli.

In fastigio portæ. Turri, quæ portæ urbis, ut assolet, incumbebat.

25. *Si solus est, bonus est nuntius.* Nam victi turmatim fugiunt. Victores verò occupantur spoliis detrahendis, et persequendis hostibus, et imperator unum aliquem destinat, qui victoriam nuntiet.

28. *Conclusit.* Punivit scilicet, ac perdidit.

29. *Estne pax?* Salvusne est?

Nescio aliud. Cautè lætam victoriam nuntiat, tristem mortem dissimulat, et Chusi nuntiandam relinquit.

30. *Transi, ait, et sta hìc.* Abire eum vult post se, aut ad latus, nec tamen longiùs discedere, ut ex utroque nuntio pleniùs cognosceret pugnæ eventum.

31. *Judicavit.* Vide dicta n. 19.

De manu. Vide ibidem.

32. *Fiant, inquit, sicut puer, inimici.* Id erat ei mortem Absalonis fateri, alioqui bene precaretur inimicis domini sui regis.

In malum. Malo fine, ut ei noceant.

33. *Ascendit cœnaculum portæ.* Superius scilicet tabulatum, quod imminebat portæ; neque enim decebat

regem coram populo lacrymari; sed potiùs regium et excelsum animum præ se ferre, et omnibus casibus superiorem. Quid in Absalone David luxerit diximus supra, hoc c. n. 5.

CAPUT XIX.

David cessat a luctu Absalonis : revertitur in Jerusalem : Semei veniam postulanti ignoscit : Miphibosetho dimidiam bonorum partem restituit : Israel cum Juda pro Davide contendit.

2. *VERSA est victoria in luctum.* Et quia lugente principe par non erat triumphare populum gaudio, et quia victoriæ in bello civili luctuosæ esse solent, aliis fratres, aliis cognatos, aliis amicos et necessarios desiderantibus.

3. *Declinavit populus in die illa ingredi civitatem.* Chaldæus habet, *et furati sunt sese populus*, id est, clam et furtim egressi sunt, *in die illa, ut intrarent in urbem*, sive ingrediendo in urbem, ut est in hebr. *sicut sese furatur populus, qui pudefacti sunt in conversione sua*, quasi sibi conscii et rei mortis Absalom, in cujus mortem consenserant, et super quem exstinctum lapides miserant. Nostra tamen Vulgata editio significat non ingressos civitatem, quod fortasse explicari potest non ingressos per portam illam in qua rex erat, quia illos pudebat dare se in conspectum illius, ingressos tamen per alias portas clam et furtim.

4. *Operuit caput suum.* De more lugentium.

5. *Confudisti.* Pudefecisti.

Salvum fecerunt animam tuam. Vitam tuam, in quam conjuraverat Absalom cum suis.

Et animam filiorum tuorum. Quos ille interfecturus erat, ut sibi regnum stabiliret, ut olim Abimelech fecit. Jud. 9. 5.

6. *Tunc placeret tibi.* Hoc falsum erat; suos enim cupiebat incolumes, sed Absalonem quoque.

7. *Surge.* A luctu in quo jaces.

Procede. In publicum.

Alloquens satisfac servis tuis. Hebr. *loquere ad cor servorum tuorum*, id est, alloquere eos non tetricè, ut iratus; sed placidè ac benevolè.

Si non exieris. Ad populum, præ te ferens grata tibi esse quæ ab ipso tuâ causâ facta sunt.

Ne unus quidem remansurus sit. Sed omnes te de-

serto rebus suis consulturos. * Ut qui visuri sint se labore et periculo suo nihil aliud lucratos quàm sui regis offensam.

8. *Surrexit ergo rex.* E loco in quo sedebat lugens.

Sedit in porta. In aula quapiam ad urbis portam, ubi judicia exerceri solebant, ibique ad se adeuntibus benevolè suî copiam fecit.

Israel autem fugit in tabernacula sua. Illi nimirum, qui Absalonem secuti fuerant.

9. *Certabat.* Certatim contendebat pro Davide restituendo, ejus in populum merita tum privatim in circulis, tum publicè in civicis conventibus commemorando.

Fugit de terra. De tribu sua Juda.

10. *Quem unximus super nos.* Vide dicta c. 15. n. 10.

Usquequo siletis? Quare non initis hac de re consilium, et quod in regem peccatum est illum ejiciendo, quamprimùm emendetis revocando?

11. *Cur venitis novissimi.* Hoc dicitur a David, quia reliquæ tribus israeliticæ legatione missa, tribum Juda anteverterant, officiosè regem revocantes, ut patet ex sequentibus.

Sermo autem omnis Israel. Legatio quam D. Hier. agnoscit in Traditionibus hebr. in hoc caput.

12. *Fratres mei vos, os meum.* Quia David e tribu Juda erat, et in ea consanguineos et affines multos habebat.

13. *Nonne os meum.* Erat Amasa Davidi nepos ex sorore Abigail.

Magister militiæ fueris. Abdicato Joab, ut jure facere poterat: 1. propter Absalonem occisum contra regis imperium; 2. propter cædem Abner per insidias, et proditionem patratam; 3. quia regi gravis, in illum inverecundus et imperiosus erat.

15. *Reversus est rex.* Cum iis qui aderant ex tribu sua frequentes, cùm nondum convenissent qui ex aliis tribubus exspectabantur, quæ res jurgio causam dedit, de quo infra, n. 41.

Usque in Galgalam. Galgala a Jordane distat itinere horæ unius cum dimidia. Josephus ait distare stadiis quinquaginta.

16. *Descendit cum viris Juda.* Qui progredientes e sua tribu in Galgala per tribum Benjamin et Bahurim transibant.

17. *Cum mille viris de Benjamin.* Ut officiosus videretur in regem tam multis quasi clientibus ad Davidis

partes adjunctis. Vel fortasse tribunus fuit inter suos, ideoque sibi subjectos milites adduxit.

Irrumpentes Jordanem. Viri scilicet Juda, qui venerant ut regem reducerent. Hi ergo vada explorantes, fortasse sedentes in equis, ne quod periculum rex, aut ejus familia adiret in Jordane transmittendo.

18. *Cùm jam transisset Jordanem.* Scilicet Semei.

19. *Neque memineris.* Ad pœnam exigendam.

Neque ponas, rex, in corde tuo. Sed contemne, quasi rem nihili.

20. *De omni domo Joseph.* Nomine Joseph intelligit omnes tribus præter Judam, quia in Judam et Joseph divisa sunt jura primogenituræ, quibus privatus est Ruben. Vide 1. Paral. 5. 1.

21. *Pro his verbis.* Quamvis demissè agat, crimen agnoscat, et veniam petat.

Christo Domini. Davidi, prophetæ unctione in regem inuncto.

22. *Quid mihi, et vobis, filii Sarviæ?* Quid vestrâ interest, si ego misericors esse voluero?

In Satan. Adversarium erat enim re ipsa hujusmodi consilium inimici; mors quippe Semei omnes tribus a Davide alienas reddidisset, dum de venia desperarent, et par supplicium sibi formidarent.

Ergone hodie. Significat in die tantæ lætitiæ non esse sumendum de quoquam supplicium.

* 23. *Non morieris.* Scilicet hodie, vel mea manu, vel quamdiu vixero.

24. *Illotis pedibus, et intonsâ barbâ.* Totum enim Davidici exilii tempus in luctu posuit, quem in corporis et vestium neglectu præ se tulit, ex quo apertè agnovit David vera esse quæ dicebantur a Miphiboseth; satis enim apparebat illum in diuturno luctu fuisse.

26. *Servus meus contempsit me.* Per contemptum scilicet neglexit mandatum meum. In hebræo et apud LXX est, *decepit me.* Chaldæus habet, *dolosè egit contra me*, quia nimirum jumenta et viaticum non paravit domino suo, meque eum frustra exspectantem reliquit, contemptum simul et illusum. Munera etiam fortasse Miphiboseth erant, quæ servus nequam nomine suo obtulit.

27. *Accusavit me.* Vide supra, c. 16. n. 3.

Sicut angelus Dei. Eximiâ sapientiâ, et quasi supra hominem.

28. *Domus patris mei, nisi morti obnoxia.* Sensus est, si placet me reum credere, et non solùm possessio-

nibus, sed etiam vita privare, id facilè potes, præsertim cùm tota Saulis familia ob injurias ab eo in te illatas morte affici a te potuerit.

Vociferari ad regem? Quasi mihi fiat injuria.

29. *Quid ultra loqueris?* Quid pluribus verbis opus est? Qui loquendi modus indicat longiorem intercessisse sermonem præsente fortasse Siba, et se, ut poterat, verbis, mendaciis et calumniis defendente.

Fixum est quod locutus sum. Nolo omnino retractare et irritum reddere quod statui.

Dividite possessiones. Sententiam hanc et factum Davidis injustum fuisse omnes ferè tradunt; nam inauditum damnavit Miphibosethum calumniæ fidem accommodans, et innocentem compertum media bonorum suorum parte mulctavit, et calumniatorem Sibam adeo non punivit, ut etiam cum domino suo bona dividere jusserit. Abulensis et Sanchez putant alia bona Miphibosetho dedisse Davidem in compensationem eorum quæ illi abstulerat, nec voluisse Sibam privare concessis, ut beneficii accepti memorem se ostenderet et gratum. Adde Sibam non punivisse, quia omnibus, propter diei illius lætitiam, parcebat. Vide supra, hoc c. n. 22.

30. *Dominus meus rex.* Qui mihi bonorum omnium instar est.

31. *De Rogelim.* Civitate sua trans Jordanem, in qua habitabat.

32. *In castris.* In Mahanaim. Vide supra, c. 17. 24.

33. *Ut requiescas securus mecum in Jerusalem.* LXX verterunt, *et nutriam senectutem tuam*; cupiebat enim David illi gratam vicem rependere pro acceptis ab eo alimentis.

34. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ?* Quasi dicat, quid est opus ad tantulum tempus vitæ, quod mihi superest, sedem mutare; cùm præsertim idoneus non sim ad fruendum aulæ deliciis.

35. *Quare servus tuus sit oneri?* Scilicet senio confectus nulla in re usui esse possum.

36. *Paululum procedam.* Te comitando.

Non indigeo hac vicissitudine. Ut vicem mihi reddas acceptorum a me alimentorum.

37. *Chamaam.* Filius Bersellai.

38. *Transeat.* Jordanem scilicet.

39. *Benedixit ei.* Bene precatus est, officiosis verbis in digressu propensam in illum ostendens voluntatem.

40. *Media tantùm pars.* Ut suæ tribûs viris David satisfaceret, non exspectatis reliquis ex aliis tribubus,

qui illum deducere parabant, qui media pars erant, ut habet hìc sacer textus, se dederat in iter. Hinc natum sequens jurgium contra viros tribûs Juda, quasi ambitiosè alios a deducendo rege sua festinatione exclusissent.

41. *Quare te furati sunt fratres nostri?* Cur furtim, nos non exspectans, et hac gloria privans, in regnum reducere voluit sola tribus Juda?

42. *Mihi propior est rex.* Quippe qui ex eadem tribu Juda est, et in nostra tribu, ex quo rex est, semper habitavit.

Numquid comedimus aliquid ex rege? Non hoc facimus utilitatis alicujus causâ, quasi nos rex alat, aut det munera; sed quia propiùs nos attingit.

43. *Decem partibus major ego sum.* Si David spectetur ut privatus, magìs ad vos pertinet, quia ex vestra tribu; si verò ut rex, magìs ad nos, qui decem partibus vos numero superamus, et ideo maxima illius regni pars sumus.

Duriùs autem responderunt viri Juda. Sed quibus verbis usi sint ex Scriptura non habemus.

CAPUT XX.

Secessio Israelitarum a Davide et domo Juda, duce Seba; quo occiso cessat rebellio. Joab Amasam proditoriè occidit.

1. VIR *Belial.* Rectè Seba *vir Belial* appellatur, jugum scilicet excutiens, improbus et seditiosus.

Vir Jemineus. De tribu Benjamin, vir primarius, et fortasse, ut Semei, Saulis propinquus, ideoque Davidi infensus.

Cecinit buccinâ. Israelitas convocans, ut relicto Judæis rege ipsi secederent, quandoquidem, ut extremo superiori capite vidimus, ita despiciebantur. Eman. Sa putat cecinisse tubâ ut sedaret tumultum, et attentis loqueretur.

Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai. Hæc Hebræorum erat formula quâ negabant sibi cum aliquo futurum commercium. Italicè diceremus: *Non abbiamo che fare con David:* sic Act. c. 8. 21, D. Petrus ait ad Simonem magum: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Alia exempla vide apud Sanchez latiùs hoc explicantem.

3. *Tradidit eas in custodiam*. Liberali custodiâ; supponebat enim invitas cum Absalone cubuisse. Dedit etiam alimenta, sive mercedem præcedentis famulatûs, sive quia aliis nupturæ non erant, a quibus alerentur.

Non est ingressus ad eas. Quia factæ erant quasi nurus ipsius; vetitus autem erat Levit. 18. 15, accessus ad nurum.

In viduitate. In cœlibatu, neque enim erant propriè viduæ superstite Davide cui nupserant.

4. *Convoca mihi omnes viros Juda*. Jam enim se in domos suas receperant. Causa convocandi fuit ut novum ducem exercitui imponeret Amasam, ut pollicitus fuerat superiori c. n. 13, utque gliscentem Seba seditionem opprimeret.

5. *Moratus est extra placitum*. Dum urget quod rex jusserat, et varia, ut fit, interveniunt impedimenta.

6. *Ait autem David ad Abisai*. Mittit Abisai, quia Joabi operâ uti nolebat, ne timeret Amasa novus dux exercitûs Joabum militari præfecturæ, quam hactenus exercuerat, restituendum.

Magìs afflicturus est nos Seba. Hæc per auxesim dicuntur, et cum aliqua amplificatione. Nam Absalonem omnis tribus etiam Juda ad regnum admovere conata fuerat.

Tolle igitur servos domini tui. Id est, David, qui de se in tertia persona loquitur. Alii putant dominum vocari Joab, quia ætate major erat, et dignitate.

Inveniat. Invadat, occupet.

7. *Cerethi quoque et Phelethi*. Vide dicta c. 8. n. 18.

8. *Juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon*. Distat locus hic Hierosolymis stadiis quadraginta ex Josepho, lib. 7. c. 10. Circa hunc eumdem locum Joab cum Abnere pugnaverat initio ducto a gladiatorio certamine, supra, c. 2 hujus libri.

Stricta ad mensuram habitûs sui. Hebr. *vestimenti sui*, quo scilicet vestiri solebat.

Qui fabricatus levi motu egredi poterat. Laxiori vaginæ inditus, ut facillimè posset educi, aut inclinato corpore e vagina sponte cadere. In hebr. est, *qui egressus est et cecidit*. Modum occisionis clarè Josephus expressit his verbis loco citato: *Ibi Joabus thorace munisus, accinctusque gladio, accedente ad complectendum Amasa, de industria gladium sibi e vagina elabi passus est, eoque mox e terra sublato, et altera manu barbâ Amasæ deosculandi causâ prehensâ, improviso ictu ventrem ei perfodit, hominemque confecit*.

9.

9. *Tenuit manu dextera mentum Amasæ.* Hic enim erat mos osculantium. Sic Thetis apud Homerum, Iliad. 1, Jovi supplicatura illius genua et barbam apprehendit. *Antiquis Græcis*, inquit Plin. lib. 11. c. 45, *in supplicàndo mentum attingere mos erat.*

11. *Ecce qui esse voluit pro Joab comes David.* In hebr. est, *qualis est, qui voluit esse pro Joab, et qualis est qui voluit esse Davidi post Joab*, id est Joabi successor in militum præfectura.

14. *Transierat per omnes tribus.* Pervenerat enim ad tribum Nephthalim, quæ ultima est septentrionem versùs; a tribu enim Juda digressus alias tribus perambulaverat.

In Abelam, et Bethmaacha. In hebræo additur Sebam transisse per omnia loca Berim, quo nomine provinciam aliqui intelligunt, in qua essent Abela et Bethmaacha, quæ pertinent ad Galilæam superiorem, quæ ab Isa. c. 9. 1, dicitur *Galilæa gentium.*

* *Circumdederunt munitionibus.* LXX, ἐξέχεαν πρόσχωμα πρὸς τὴν πόλιν, *effuderunt aggerem erga civitatem.*

18. *Qui interrogant, interrogent in Abela.* Commendat mulier patriam suam ab antiquitate et opinione, quòd cives haberet sapientes ad quos nimirum se conferrent, qui difficilem haberent quæstionem, ut sapientem aliquem ex Abela interrogarent. * Vel sic loquitur, quòd ibi esset publica litterarum academia.

Et sic perficiebant. Capto consilio illud sequebantur, et negotia sua feliciter conficiebant.

19. *Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel?* Hæc dicuntur in persona civitatis.

Evertere matrem. Metropolim et primariam civitatem, * et de publico bene meritam.

Hæreditatem Domini. Civitatem hanc quæ pertinet ad regnum Israel, quod est hæreditas Domini.

21. *De monte Ephraim.* Erat Seba de tribu Benjamin, ut patet ex hoc c. n. 1; sed dicitur de monte Ephraim, quia fortasse in eo habitavit.

22. *Locuta est eis sapienter.* Suadens ut caput Seba Joabo mitterent.

Reversus est Jerusalem ad regem. Quem mœrorem animi ex Amasæ cæde dissimulantem narratione civilis belli feliciter oppressi recreavit.

23. *Fuit ergo Joab super omnem exercitum.* Quia alius sinè magnis motibus substitui non poterat.

24. *Super tributa.* Quæstor regni.

A commentariis. Explicatum est hoc supra, c. 8. n. 16.

25. *Scriba.* Vide eodem cap. 8. num. 17.

Sadoc verò et Abiathar, sacerdotes. Etiam hoc ibidem explicatum est n. scilicet 17.

26. *Sacerdos David.* Vide ibidem dicta n. 18.

CAPUT XXI.

Fames divinitus immissa ob sævitiam Saulis in Gabaonitas : expiatur noxa traditis septem viris Saulis nepotibus, quos Gabaonitæ in crucem agunt. Horum ossa, ut etiam Saulis et Jonathæ, honorificè tumulantur jussu Davidis, cujus quaterna prœlia contra Philisthæos recensentur.

1. *Oraculum Domini.* Per Abiathar sacerdotem ephod applicantem.

Sanguinum. Homicidam, sanguinarium.

Occidit Gabaonitas. Contra datam a Josue fidem. Vide numero sequenti.

2. *Reliquiæ Amorrhæorum.* Chananæorum, qui aliquando Amorrhæi dicuntur: sic Gen. 15. 16, dicitur, *nondum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, id est, Chananæorum; erant enim Amorrhæi inter Chananæos potentissimi, ex quo factum ut illorum nomen toti Chananæorum regioni adhæserit.

Filii quippe Israel juraverant eis. Vide Josue 9. 15.

Voluit Saul percutere eos zelo. Quasi Gabaonitis parcendum non esset, nec permitti posset salvo officio ut inter Israelitas agerent. * Voluit percutere, et percussit quosdam, ut jam jam sequitur, et narrat Josephus.

Quasi pro filiis Israel et Juda. Quasi supplens ipse id quod Israelitæ et tribus Juda facere debuisset, ut scilicet exterminarentur Gabaonitæ.

3. *Quod erit vestri piaculum?* Quomodo vobis vultis satisfieri, sicque expiari Saulis peccatum in vos commissum?

Ut benedicatis hæreditati Domini. Quasi diceret : ne efficiatis ut divina maledictio exitio nobis sit.

4. *Super argento et auro.* Nolumus nobis compensari injuriam, aut damnum argento vel auro.

Neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Nullos alios ex Israelitis ad necem quærimus, nisi domum Saulis.

5. *Virum, qui attrivit nos.* Saulem scilicet.

6. *Dentur nobis septem viri.* Priùs omnes exstinguere volebant, postea septem tantùm postulant. Fortasse David, dum hi miscebantur sermones, significaverat se Miphibosethum non daturum; itaque septem tantùm petunt, ut David Miphiboseth, et si cui alteri voluerit, parcere possit.

Crucifigamus eos Domino. Ad placandum Dominum. LXX habent, ἐξηλιάσωμεν αὐτὺς, id est, sub dio palam eos de ligno suspendamus.

In Gabaa Saul. Quod calamitatem auget miserorum, si in qua urbe Saul regiam suam constituerat, in ea ipsi agantur in crucem.

Quondam electi Domini. A Domino electi ut rex esset.

7. *Jusjurandum Domini.* Per quem juraverat Jonathæ. Vide 1. Reg. 18. 3, et c. 20. 42.

8. *Quinque filios Michol.* Adoptivos; nam genuerat eos Merob soror Micholis, quæ Hadrieli nupserat, ut patet ex 1. Reg. 18. 19. Hic autem filii dicuntur Hadrielis. Ita ferè auctores explicant hunc locum. Ingerit tamen difficultatem, quòd filios illos genuisse dicitur Michol in nostro textu; mater verò adoptans non potest dici genuisse. Emanuel Sa censet Merob etiam Michol appellatam fuisse. Alii, quos refert Salianus, nec omnino improbat, putant in textum hebraicum mendum irrepsisse, et pro *Merob* scriptum fuisse *Michol.* * David Saulis nepotes neci tradidit instinctu Dei, qui vitæ et mortis Dominus est, et punit peccata patrum in tertiam, et quartam generationem, Exod. 20. 5, præsertim cùm filii parentibus scelere et nequitia similes sunt, ut de his verisimillimum esse putant Cajetan. et Abulensis.

9. *In monte.* In Gabaa, cujus situs excelsus erat, et montanus.

Coram Domino. Ad placandum Dominum, vel publicè.

Incipiente messione hordei. Quæ fit in Judæa circa æquinoctium vernum, et festum Azymorum.

* 10. *Cilicium, substravit.* Rude stragulum, in quo subinde quiesceret.

Donec stillaret aqua super eos. Quia Saulis peccatum prohibebat pluviam, et sterilitatem faciebat, probabile est non multò post horum crucifixionem imbrem decidisse. Aliqui putant usque ad ineuntem septembrem non pluisse. Raro enim illis in regionibus pluit æstate

appetente verò autumno ea pluvia cadere solet, quam Scriptura temporaneam appellat. Vide dicta Josue c. 3. 1. 15. Quòd si tamdiu non pluit, per aliquot menses Respha filiorum cadavera singulari pietatis exemplo custodivit. Quamvis autem juberet lex ut crucifixorum cadavera eodem die de crucibus deponerentur, Deut. 21. 23, tamen rex de cruce hos pendere voluit usque ad supervenientem pluviam, quia illa erat signum divinæ clementiæ exoratæ, ad quam propitiandam suspensi erant, et suo illam modo implorabant.

12. *Qui furati fuerant ea de platea Bethşan.* Vide histor am 1. Reg. 31. 10.

14. *In latere.* Montis alicujus extra oppidum Ga[illegible]a, de more Hebræorum, qui extra urbem sepulcra [illegible]bebant. Alii putant τὸ *in latere*, quod in hebr[illegible], צלע *tselah*, esse nomen proprium. Ita Pagninus, [illegible]tablus, Sa, Salianus, et alii. * Honos aliquis est condi in monumentis majorum potiùs quàm alibi.

Omnia quæ præceperat rex. Ad funus spectantia.

Repropitiatus est Deus terræ. Fertilitate restitutâ.

15. *Deficiente.* Viribus destituto.

16. *De genere Arapha.* Arapha ejus pater non erat, sed unus de majoribus, puta avus, aut proavus.

Trecentas uncias. Viginti quinque libras. Vide dicta 1. Reg. 17. n. 5.

17. *Ne exstinguas lucernam Israel.* Ne gloria et splendor Israelis te moriente exstinguatur. Chaldæus habet, *et non exstinguas*, *vel pereat tecum regnum Israel.*

18. *In Gob.* 1. Paralipom. 20. 4, dicitur hoc bellum gestum in Gazer. Fortasse locus ille utroque nomine appellabatur. Porro Gazer erat in tribu Ephraim, et dicebatur etiam Gazera, et Gezer, et a Josepho Gazara.

Sobochai. Hic Sobochai 1. Paralipom. 11. 29, numeratur inter fortes David.

De stirpe Arapha. Vide dicta n. 15.

19. *Adeodatus.* Hebraicè, *Elcana*, cujus nominis latina interpretatio est Adeodatus. Hic numeratur inter fortissimos David 1. Paral. 11. 26.

Filius Saltus. Hebraicè, *filius Jahare*, quæ vox *saltum* significat.

Quasi liciatorium texentium. Jugum circa quod textores telam circumvolvunt; quod intellige quoad hastilis crassitiem. Abulensis putat hunc Goliath ejus fratrem fuisse, qui a Davide occisus est, 1. Reg. 17.

*20. *Senos...... digitos.* Vide Plin. lib. 11. c. 43, qui

hujusmodi homines sedigitos appellari docet, et sedigitorum exempla affert.

21. *Blasphemavit.* Probris affecit Israel.

CAPUT XXII.

Carmen Davidis eucharisticum, quo Deo gratias agit, quòd e manibus hostium suorum liberatus sit.

Hoc caput nihil aliud continet quàm Psalmum decimum septimum, qui commodiùs suo loco cum aliis Psalmis explicabitur.

CAPUT XXIII.

Extrema Davidis verba prophetica, et ejusdem virorum illustrium catalogus.

1. VERBA *David novissima.* Quæ scilicet spiritu prophetico locutus est. *Vel quæ psalterio suo ultimo loco subtexuit.

Vir, cui constitutum est de christo Dei Jacob. LXX habent, *quem suscitavit Dominus in christum Dei Jacob.* Sensus nostræ Vulgatæ idem est : vir, scilicet, cui a Deo concessum est ut rex constitueretur, aut in cujus favorem de regno illi tribuendo constitutum est et decretum.

Egregius psaltes. Sacrarum cantionum scriptor et modulator.

3. *In timore Dei.* Verba in quibus est timor Dei, pia, scilicet, ac religiosa, et ad mores sanctè instituendos accommodata.

4. *Sicut lux auroræ.* Intelligi hæ similitudines possunt de sacris Psalmorum canticis, ut de omnibus Scripturis, quibus illud convenit elogium : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, Psal. 18. 9. Secundò intelligi possunt de David, aut ejus familia, et prole ex eo nascitura, ac præsertim de Christo Domino, de quo etiam Psal. 71. 5, dicitur : *Permanebit cum sole, et ante lunam in generatione, et generationem, descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.*

Et sicut pluviis germinat herba de terra. Vel Christus imbri comparatur, de quo Isa. c. 45. 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum ;* hoc enim imbre fecun-

data tellus justos plurimos, nova sanctitatis germina, protulit. Vel imber est favor divinus in Davidem, quo eò provectus est, ut de terra illius, posteris scilicet suis, pluvia cœlesti in Virginem descendente, Christi Domini eximium germen existeret.

5. *Nec tanta est domus mea.* Indigna cui tanta præstaret Deus.

Pactum æternum. De quo Psal. 131. 11 : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Cuncta enim salus mea. Ipse scilicet est.

Et omnis voluntas. Quòd Deum timeo et amo, quòd virtuti adhærere studeo, etc., beneficium Dei est, qui mihi bonam mentem tribuit.

Nec est quidquam ex ea quod non germinet. Familia mea bonis omnibus abundat, quæ magna copia domi meæ quasi germina nascuntur; nam benedixit mihi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ.

6. *Quæ non tolluntur manibus.* Nam tangere volentium manus cruentant.

7. *Si quis tangere voluerit.* Ut eas evellat, aut ab aliquo loco removeat.

Ligno lanceato. Oblongo, ut lanceæ sunt, ne propius accedere necesse habeat.

Usque ad nihilum. Donec planè in cineres redigantur.

8. *Sedens in cathedra.* Hebraicè est, יֹשֵׁב בַּשֶּׁבֶת *iosceb bascebet, sedens in cathedra.* Est autem periphrasis, aliis verbis vim nominis proprii exprimens, quod ex 1. Par. 11. 11, discimus fuisse יָשָׁבְעָם *Jasbaham*, quod latinè redditum *sedentem in populo* significat; sic enim nomen hoc S. Hier. interpretatur in Traditionibus hebraicis.

Inter tres. David geminam triadem eximiorum virorum a reliqua fortium multitudine seposuit. Abisai 1. Paral. 11. 20 et 21, dicitur inter tres nominatissimus, et inter secundos inclytus, et princeps eorum, qui tamen ad tres primos non pervenerit: quod ipsum de Banaia dicitur hoc c. infra, n. 23. Jesbaham ergo primus erat primæ triadis, et trium fortissimorum fortissimus.

Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. In hebræo habemus, *ipse Hadino Hesnita super octingentos occisos in vice una.* Itaque cùm dicitur, *tenerrimus ligni vermiculus*, ponitur nominis interpretatio loco nominis proprii, quod fuit *Hadino*. LXX ipsum proprium nomen retinuerunt; habent enim, Ἀδινὼν ὁ ἀσαναῖος, Adi-

non Asonæus. Sententia nostræ Vulgatæ editionis est Jesbaham fortem admodum fuisse, et conferendum cum Hadino Hesnita, antiquo scilicet heroe, cujus fortitudo celebris erat apud Hebræos. Nec obstat quòd in hebræo dicitur *ipse Hadino* scilicet *est*, quasi idem sit Jesbaham et Hadino; nam Jesbahamus similitudinarie tantùm, ut sic loquar, fuit Hadino, quod Vulgatus noster indicavit cùm dixit, *quasi.* Ita Itali de fortissimo quopiam dicunt: *Egli è un Orlando, o un Achille.* Similitudo etiam inter hos duos heroas, Jesbaham scilicet et Hadino, in eo apparet, quòd Jesbaham *levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice*, ut 1. Paral. c. 11. 20, dicitur; Hadino verò *octingentos interfecit impetu uno*, id est, in una tantùm pugna.

9. *Post hunc, Eleazar.* Secundus in priore triade.

Filius patrui ejus. Hic etiam posita est interpretatio vocabuli pro ipso vocabulo proprio. Dod enim apud Hebræos patruum significat, et Dodi *patruus ejus.* Eleazar ergo erat filius Dodi.

Ahohites. Nepos Ahohi. Adrichomius tamen putat Ahohi civitatem fuisse in tribu Juda.

Exprobraverunt Philisthiim. Philisthæi Hebræis timiditatem objicientes.

Congregati sunt illuc. Scilicet in Phesdomin, ut est in 1. Paral. 11. 13, estque idem locus cum Dommin in tribu Juda, ut vult Adrichomius.

10. *Cùmque ascendissent viri Israel.* Ad propria fugiendo.

Donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio. Vel contractione nervorum præ labore, vel, ut vult Josephus, quia ex copia sanguinis gladii capulus manui ita adhæsit, ut finitâ pugnâ difficilè avelleretur.

11. *Post hunc, Semma.* Tertius in hac prima triade.

In statione. Hebræus habet, *in villa.*

13. *Ante.* Cùm scilicet David pugnavit contra Philisthæos in Baalpharasim, ut narratur c. 5. 20, hujus libri.

Tres qui erant principes. Tres numerati Jesbaham, Eleazar et Semma.

In speluncam Odollam. 1. Par. 11. 15, ita habemus: *Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David ad speluncam Odollam;* In hac ergo petra prope speluncam habebat David arcem oportunam bello, quam sacer textus versu sequenti *præsidium* vocat.

Castra autem Philisthinorum. Distinguenda sunt

castra Philisthinorum ab eorumdem statione. Statio in Bethlehem fixa erat, et in ea præsidiarii milites degebant : castra verò erant in valle Gigantum, et prout ferebat usus, huc et illuc transferebantur.

In valle Gigantum. Quæ eadem est cum valle Raphaim de qua supra c. 5. n. 18. Raphaim hebraicè gigantes significat. Vide ibi notata.

15. *O si quis mihi daret.* Nec jussit David suos aquam afferre, nec eo animo est locutus ut ipsi regi gratificantes se in illud discrimen darent. Accidit tamen quod in hujusmodi casu fieri amat, ut scilicet desideria principum subditis sint pro jussionibus.

Quæ est in Bethlehem juxta portam. Nota erat Davidi cisterna illa, quia fuerat a puero educatus in Bethlehem.

16. *Irruperunt castra .... Philisthinorum.* Per quæ necessariò eundum erat et redeundum ut aquam afferrent.

Noluit bibere. 1. Ne videretur cupivisse ut tanto cum periculo aqua illi pararetur; 2. *ut in licitis cupiditatem refrenaret, cui aliquando in illicitis frena laxasset*, ut ait S. Greg.; 3. quia aquam tam pretiosam, emptam scilicet humano sanguine, dignam esse judicavit quæ Domino libaretur per extraordinarium sacrificium; 4. ut milites temperantiam in siti doceret.

17. *Animarum periculum.* Vitæ periculum.

18. *Abisai quoque.* Hìc incipit secunda trias fortium David, ex qua tamen duo tantùm hìc recensentur, Abisai scilicet et Banaias. D. Hier. in Tradit. hebr. tertium numerat Jonatham filium Semmaa fratris David, quod alii aliquot auctores secuti sunt.

Princeps erat de tribus. Primus in altera triade.

Levavit hastam suam contra trecentos. Quos aut occidit, aut vulneravit; nam hìc dicitur occidisse; 1 autem Paral. 11. 20, vulnerasse. Id verò credibile est accidisse, cùm Davidem deficientem periculo eripuit, supra, cap. 21. num. 17.

19. *Et inter tres nobilior.* Primus, ac fortissimus inter tres secundæ classis.

Ad tres primos non pervenerat. Fortitudine non æquabat primos illos tres, Jesbaham scilicet, Eleazar et Semma.

20. *Magnorum operum.* Patrator.

Leones. Fortissimos viros velut leones. Chaldæus habet, *magnates*, ita multi explicant; alii tamen putant veros leones fuisse.

In media cisterna. Cisternam plerique interpretantur foveam sive lacum, quales sæpenumero a venatoribus talibus feris parantur. Cajetanus notat fortitudinis fuisse cum leone congredi in tam arcto loco.

21. *Virum dignum spectaculo.* Propter proceritatem corporis.

In virga. Inermis, virgam tantùm manu tenens.

23. *Inter tres robustos.* Secundi ordinis, ut supra dictum est.

Usque ad tres. Primæ triadis.

A secreto. A secretis.

39. *Omnes triginta septem.* Selegerat David triginta e suis fortissimos, quibus postea alii etiam supra numerum aggregati sunt, manente tamen denominatione triginta fortium. Sic apostoli dicuntur duodecim, licèt supra duodenarium numerum Paulus et Barnabas additi sint.

CAPUT XXIV.

Sensus populi, et propterea immissa pestis clades : Deum placat David sacrificio et cessat pestis.

1. *Furor Domini.* 1. Paral. 21. 1, hoc idem ita dicitur : *Consurrexit autem Satan contra Israel.* Satan vocatur furor Domini, quia Deus iratus contra peccatores, ejus mala voluntate et viribus utitur ad eos castigandos. * Vel sensus est Satanam Davidem concitasse, et deinde iratum Dominum.

In eis. Scilicet diebus.

2. *A Dan usque Bersabee.* Dan est terræ sanctæ terminus borealis ; Bersabee verò australis.

Ut sciam. Videtur itaque census ex sola curiositate jussus a Davide.

3. *Quid sibi .... vult.* Deterrere conatur Joab Davidem, quòd scilicet malum aliquod ex hoc censu Israeli impenderet. Itaque 1. Paral. 21. 3, ait, *quod in peccatum reputetur Israeli*, id est, in pœnam peccati, ut docuit eventus. * Peccatum est a Davide in hoc censu ambitione, et quòd citra Dei jussum et necessitatem illum instituerit. Vide 1. Paral. 21.

4. *Obtinuit.* Id est, prævaluit, seu vicit ; Joab verò regi citra noxam paruit, quia res de se erat indifferens, et bono fine fieri poterat ; itaque subdito diutius repugnandum non fuit.

5. *Venerunt in Aroer*. Quæ erat in finibus tribuum Gad et Ruben, unde videntur tribum Ruben primum percensuisse; hoc enim erat initium possessionis Israelitarum trans Jordanem.

6. *Per Jazer transierunt in Galaad*. Est enim Jazer, sicut et Aroer, ad torrentem Arnon, in via ad perlustrandam totam regionem galaaditidem, quæ montibus Galaad ab oriente clauditur, et pertinet ad tribum Gad.

Terram inferiorem Hodsi. Terram novæ habitationis, id est, recens cultæ, ac populis frequentatæ, ut ex hebræo exponit Lyranus.

Dan silvestria. Dan est urbs ad fontes Jordanis prope Libanum montem.

Juxta Sidonem. Quæ est ad occidentale latus terræ sanctæ.

7. *Mœnia Tyri*. Urbis antiquissimæ in eodem occidentali latere.

8. *Lustrata universa terra*. Totum regnum Israelitarum percurrit Joab, non omnes tamen numeravit; nam. 1. Par. 21. 6, dicitur: *Levi et Benjamin non numeravit, eò quòd Joab invitus exsequeretur regis imperium;* et c. 27 ejusdem lib. num. 24: *Joab*, inquit, *cœperat numerare, nec complevit: quia super hoc ira irruerat in Israel, et idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David.* * Quod dicitur *irruisse ira in Israel*, significat multos, qui tributum neglexerant, aut morte, aut divinitus inflictis plagis percussos fuisse; quam ob causam territus Joab in censu progressus non est.

9. *De Israel octingenta millia virorum fortium .... et de Juda quingenta millia pugnatorum*. Aliter se habet hic num. 1. Paral. 21. 5, ubi legimus: *Inventus est omnis numerus Israel mille millia, et centum millia*, id est, undecies centena millia: *De Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum*. Hæc textuum dissonantia tollitur, si dicamus numerum majorem qui habetur in Paralipomenis esse eorum qui recensiti sunt; minorem verò, quem habemus hoc capite, eorum qui relati sunt in fastos regios; priùs enim recensebantur; postea verò summæ capitum per partes in fastos referebantur. Hoc significare videtur locus 1. Par. cap. 27. num. 24, quem attuli præcedenti versiculo. Ita explicant Serar. et Salianus, secuti Abulensem. Quod ad tribum Juda attinet, cùm hoc cap. 24, dicitur fuisse quingenta millia; in Paralipom. verò tantùm quadringenta septuaginta millia, dicendum in numero majori

fortasse comprehendi proselytos qui se Davidi dediderant, vel tribum Juda juxta antiquos suos terminos æstimari, intra quos partes tribuum Simeon et Dan receptæ sunt. Josue 19. 9.

10. *Percussit*. Reprehendit Davidem conscientia, Deo ad culpæ suæ agnitionem illum excitante.

Numeratus est populus. Magna, aut majori ex parte, non totus.

Transferas. Dimittas, condones.

11. *Surrexit itaque David*. Conscientiæ stimulo, et spiritu pœnitentiæ illum excitante et urgente.

Videntem David. Quo Deus peculiariter utebatur ad suam Davidi voluntatem enuntiandam.

13. *Septem annis veniet tibi fames*. In Paral. lib. 1. 21. 12, tres tantùm anni famis proponuntur. Vel ergo septem annos pro multis propheta hebraica phrasi usurpavit; vel septem a principio proposuit, deinde ad tres descendit.

14. *Coarctor nimis*. Cùm hæc mala diuturnitate diversa, re tamen ipsa paria sint.

Melius est ut incidam in manus Domini ... quàm in manus hominum. Quocumque modo plecteretur David semper incidebat in manus Domini, nec homines plus illi nocere poterant, quam Deus permisisset; sed loquitur juxta popularem loquendi, aut sentiendi modum, quo dicere solemus mitiùs nobiscum Deum agere, quàm homines. Deus enim, ut pater, castigat; parentes verò humaniùs filios puniunt quàm justitiæ ministri. Videtur ergo David famem, aut pestem elegisse, excluso bello.

15. *Immisitque Dominus pestilentiam*. Non ex causis naturalibus, sed angelo percussore immisso.

Usque ad tempus constitutum. Scilicet per triduum. Multi tamen putant pestem matutino tempore inchoatam, ultra tempus sacrificii vespertini progressam non fuisse. Alii brevius tempus statuunt, scilicet usque ad prandium ejusdem diei.

Septuaginta millia virorum. Tantam stragem populi edidit angelus non solùm in Davidis pœnam, sed etiam ut puniretur populus, qui primùm Absalonem secutus, et postea Seba filium Bochri, contra regem suum rebellaverat.

16. *Super Jerusalem ut disperderet eam*. Multis jam ex regia civitate cæsis, ut patet ex c. 21. 1. Paralip. n. 15, ubi legimus : *Misit quoque angelum in Jerusalem, ut percuteret eam, cùmque percuteretur*, etc.

Contine manum tuam. Ex quo intelligi potest nescivisse angelum a principio numerum interficiendorum.

Nisi dicere velimus hæc more humano narrari; angelum verò ab initio accepisse divinitus quantùm cædendo progredi deberet.

Juxta aream Areuna Jebusæi. Origine et genere, non autem religione. Porro area Areuna sita erat in monte Moria ubi Isaac immolare pater voluit.

* 17. *Cùm vidisset angelum.* Ex 1. Paral. 21. 16, colligi videtur angelum etiam a senioribus visum, et n. 18 et 20, etiam ab aliis.

Oves sunt. Quasi oves, id est, innocentes.

18. *Ascende.* Erat David in arce Sionis editiore monte Moria, in quo, ut dixi, erat area Jebusæi; sed interjecta erat vallis, sive vorago dicta Mello inter utrumque collem, ideoque priùs descendendum Davidi fuit, ut rursum ad dictam aream ascenderet.


22. *Juga boum in usum lignorum.* 1. Paral. 21. 23, additur, *et tribulas in ligna.* Sunt autem tribulæ instrumenta lignea dentata ad comminuendas glebas.

24. *Siclis quinquaginta.* At in Paralip. loco citato dicitur dedisse sexcentos. Communis et melior explicatio est dedisse quinquaginta pro bobus, sexcentos pro area.

25. *Et propitiatus est Dominus terræ.* Hæc propitiatio declaratur 1. Par. 21. 26, ubi legimus: *Et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti;* in signum videlicet placati ac propitiati Numinis depluit ignis de cœlo, quo consumptum est holocaustum.



FINIS TOMI PRIMI.





MENOCHII

COMMENTARIUM

I.

